This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

PRAELECTIONES THEOLOGICAE

QUAS

IN COLLEGIO ROMANO S. J.

HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOL. PROF.

EDITIO SECUNDA ROMANA, DILIGENTER EMENDATA, ET VARIIS ACCESSIONIBUS AB AUCTORE LOCUPLETATA

VOL. I

CONTINET TRACTATUM DE VERA RELIGIONE

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ROMAE

TYPIS COLLEGII URBANI

SUPERIORUM PERMISSU

1840.

141. i. 91.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE

ADVERSUS

INCREDULOS ET HETERODOXOS

TYPOGRAPHUS

LECTORI

Nondum omnia harum praelectionum theologicarum volumina prelo subjecimus, et jampridem exemplaria eorum omnia venalia in hoc nostro typographeo prostare desierunt: cito adeo ea sibi omnia studiosorum cupiditas usurpavit. Tametsi vero probe nobis esset perspectum, et intra et extra Italiam non defuisse typographos, qui iterandae editionis munus sibi susceperint; majorem nos tamen ipsi laudem nobis comparaturos arbitrati sumus, si manus et nos alteri huic editioni admoveremus. Operis enim auctor nobis, non ipsis praesens adest; imo non modo adest ut praelectiones suas a mendis typographycis expurget, sed multo magis ut singulas expoliat, tum ea submovendo quae minus ad rem facere videbuntur, tum pleraque adjiciendo quae majorem vim auctoritatemque illis valeant conciliare. Si priori nostrae editioni a typis et a carta elegantiae aliquid desiderari poterat, in hac posteriori et typi et carta adeo sunt et nitidiora et splendidiora ut externis editionibus praerepturos palmam confidamus. Haec te monitum volebam, tibique diuturnam incolumitatem, lector benevole, adprecari.

LECTORI BENEVOLO

Quod maximo illi Ecclesiae lumini et theologorum fere parenti Augustino, quum de Trinitate scriberet, visum est, verae justaeque excusationis loco sibi esse posse apud illos, qui putassent eum propterea tacere debuisse, quia non tam expedite ac dilucide, quam ceteri, eloqui potuisset; id mihi theologicas hasce praelectiones in lucem educere cogitanti, de eventu tamen pertimescenti ob copiam praestantiamque tot illustrium virorum, qui tum superioribus aetatibus, tum hac etiam nostra, de re eadem scripserunt, magno, equidem fateor, solatio fuit, atque adeo incitamento, ut quod institueram, quanto possem citius, perficerem. *Neque*

enim omnia, ajebat sanctissimus Doctor (1), *quae ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt, et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam haec nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, et in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Accedebat, quod, quum postremus aggressus sim ad hoc genus doctrinarum tractandum, auctorum priorum opibus locupletare commode potuerim inopiam meam; hinc, quam detrimenti quidquam eorum multitudo et sapientia afferret operi meo, pretium potius eidem faceret, commendaretque illud lectoribus, quippe in quo, quantum habenda brevitatis ratio patiebatur, collecta pleraque invenirent, quae a ceteris accuratius sunt disputata, unoque in conspectu universa intuerentur. Illud vero tandem me vehementissime commovebat ac veluti spei blandae stimulis concitabat, fore ut hac mea tenuitate laboris non tenuem fortasse operam navarem sanctissimae nostrae religioni, quam, hoc maxime tempore, tantis afflictam aerumnis totque calamitatum turbulentissimis fluctibus exagitatam dolemus. Etenim unum horum aliquod bonorum

(1) De Trinit. lib. 1. c. 5.

inde extiturum sperabam, nempe ut, dum magis quam veterum, recentium opinionum pravitatem haereticorumque nostrorum perversitatem insector atque urgeo, vel ipse constringerem per me eorum audaciam furoremque compescerem vel, si hoc minus assequerer, catholicos viros, qui id majori ingenii et doctrinae vi possent, excitarem ut praestarent, vel denique mature moniti adolescentes de temporum nostrorum erroribus, edoctique praesentem necessitatem Ecclesiae, alacriores in studiis essent, seque impensius compararent, ut strenui ejus administri atque adjutores evaderent. Hoc autem postremum si vel unum obtineo, equidem laboris mei fructum amplissimum sum consequutus; nam si aetatibus reliquis, profecto hac nostra optandum maxime est, ut, quemadmodum increbrescere in dies numerum improborum, et profundiores, quam tolerabile sit, radices agere et dilatare stirpes videmus, ita uberior etiam consurgat et quasi succrescat bonorum proles, succusque ille et sanguis incorruptus virorum propagetur, qui et sanctitate morum et excellentia doctrinae acceptam divinitus fidem et religionem adornent atque tueantur. Sic enim fiet, ut, si minus jactura omnis resarciatur, quam furiosorum hominum amentia et scelere pati cogitur Ecclesia, habeat tamen optima mater ex constanti gnavaque filiorum pietate quo inustum ab ho-

stibus dolorem allevet, quantumque ab his sibi injuriarum et vexationum timere debet, tantumdem in illis sibi praesidii solidaeque oblectationis gaudeat adesse.

Haec ferme sunt, quae reluctantem me diu multumque et aegre ferentem, ut, quae hactenus in hoc Romano Collegio adolescentibus praelegeram, typis vulgarem, tandem accedentibus nonnullorum postulationibus, volentem, atque adeo fortasse audacem fecere; quae proinde etiam praeloqui volui, ut, qui fuerit mihi in hoc opere conscribendo animus, quod in eo edendo consilium, quisque perspiceret. Ceterum quemnam sortiturum sit demum exitum, futurum ne sit ut probetur nec ne, quam divinari inutiliter et blandiri mihi, malo committi aequitati usuique lectorum, si prius tamen benignissimae Dei providentiae commendavero, in cujus majorem gloriam volo totum hoc cedat quodcunque est. Restat ut, quemadmodum ex Augustino accepi, quo exordirer, ab eo etiam mutuer quo finem faciam, illud orans omnes, in quorum manus nostra haec pervenerint, ut scilicet, *quia sicut Dei data, sic etiam mea errata cognosco, non solum curam legentis impendant, sed etiam censuram corrigentis assumant* (1).

(1) Epist. 37, ad Simplicianum.

IN PRAELECTIONES THEOLOGICAS

PROLEGOMENA

§ I.

THEOLOGIAE NOTIO OPERISQUE PROSPECTUS

1. Theologia, quae, si vocis etymon spectes, est *Sermo de Deo*, modo latiori, modo strictiori significatione usurpatur.

2. Theologiae enim nomine ea peculiariter divinae scientiae pars comprehenditur, quae agit de Deo, deque iis, quae Deo inhaerent, cujusmodi sunt Dei proprietates seu attributa tum absoluta tum relativa. Ampliori acceptione designatur praeterea quidquid ad Deum tanquam causam refertur, seu opera comprehendit omnia, quae extra Deum sunt, quanquam ab ipso originem trahant, atque instrumenta, quibus Deus ad aliquid efficiendum utitur.

3. Hinc in duas partes divina haec disciplina dividitur, quarum altera disputationes complectitur de Deo ejusque attributis, altera circa Dei opera versatur.

4. Cum autem dupliciter Deum spectare possimus, nempe vel ut auctorem naturae, vel ut auctorem gratiae, hinc rursum posterior haec theologiae pars bifariam distribuitur. Prior quidem Dei opera contemplatur, qua creator et auctor naturae est, posterior, qua gratiae est fons et origo.

5. Ex operibus porro a Deo conditis alia mere spiritualia sunt, ut angeli et hominum animae, alia prorsus corporea, ut haec rerum universitas, quae coeli terraeque ambitu continentur, alia demum, quae tum spiritu tum corpore constant, ut homo ipse.

6. Sic opera gratiae, quibus intelligentes creaturae Dei ipsius naturam quodammodo induunt, seu ad quoddam cum Deo consortium ac communicationem supra naturae suae conditionem admittuntur, pro duplici communicationis modo, dupliciter distingui possunt.

7. Alia siquidem cum Deo communio interior est et absoluta, ac per hanc non divina solum, sed etiam Deus fit, et in unam cum Deo personam convenit humana natura, quod in Incarnatione divini Verbi contigit. Alia est, quae fit extrinsecus atque ex parte duntaxat, siquidem in sola voluntatum inter se conjunctione consistit. Haec porro *moralis* communiter nuncupatur, et est fons, unde omnis sanctitas, quae in creaturis est, dimanat.

8. Ad hanc vero conjunctionem efficiendam duplex adhibetur adjumentorum genus. Alia quippe sunt instrumenta, eaque partim efficentia, ut sacramenta novae legis, partim dirigentia, ut lex ac morum virtutumque praecepta. Aliae autem sunt interiores causae ejusmodi conjunctionis; ex quibus aliquae eam, quam vocant *formam*, constituunt, seu *causam formalem* justificationis et sanctitatis, qua tum angeli tum homines sancti efficiuntur; tales sunt gratia sanctificans, necnon fides, spes, caritas ac reliquae virtutes infusae; aliquae spectari debent ut dispositio seu praeparatio ad talem formam recipiendam, ut omnia auxilia gratiae quibus intelligentes creaturae interius illustrantur quoad intellectum, et permoventur quoad voluntatem ad bene et sancte volendum et agendum.

9. Statui sanctitatis et gratiae opponitur status peccati; et quum sibi invicem oppositorum mutua sit scientia, de peccatis etiam theologia pertractare consuevit.

10. Ex hac vero theologiae notione, quam ex clarissimo Petavio (1) deduximus et contraximus, quaeque a

(1) Cons. Petavius, tom. 1, *De theologicis dogmatibus*, Proleg. 1, cap. 1, n. 1 et seqq.

methodo S. Thomae (1) non abscedit, duo colliguntur, generalis theologiae definitio, ut sit nempe: *Scientia, quae de Deo agit, deque iis, quae ad Deum quoquomodo pertinent*: tota deinde praelectionum nostrarum ratio ordoque rerum, in quibus tractandis et evolvendis opera deinceps nostra versabitur.

11. Quare hae praelectiones dogmaticae complectentur tractatus de Deo ejusque attributis, de Trinitate, de Deo creatore, ubi de Angelis, de mundo, deque homine in duplici suo statu, naturae innocentis et lapsae, necnon de altera ejus vita sermo erit. Hos autem tractatus excipient illi, qui de Dominica Incarnatione sunt ac de divina Christi gratia, ubi de justificatione et merito, ac de sacramentis novae legis, tum generatim tum singillatim.

12. Frustra porro de his omnibus dissereremus, nisi luctuosis hisce nostris temporibus praejaceremus quasi fundamentum tractatum de religione, non modo adversus incredulos et recentiores rationalistas, qui omnem revelationem e medio tollunt, sed et adversus heterodoxos, qui, ex privato judicio revelationem divinam interpretantes, eam omnino labefactant atque subvertunt.

13. Ab hac propterea tractatione lucubrationes nostras auspicati sumus. Divina enim revelatione in tuto posita, atque Ecclesiae catholicae auctoritate firmiter constituta, facilis erit via ad ea omnia, quae hinc sponte quodammodo fluunt.

14. Ad haec potissima theologiae argumenta, quibus in Romano Collegio totum hujus disciplinae curriculum constat, est nobis in animo etiam tractatum de Locis theo-

(1) Vestigiis tanti doctoris eo libentius insistimus, quod ipse veluti sol affulserit in Ecclesia Dei, eaque vi mentis copiaque et delectu doctrinae rem omnem theologicam persequutus sit, ut *Angelici* nomen merito sibi comparaverit. Eum vel ipsi doctiores Protestantes magni faciunt; ac profecto vix theologum dixeris, qui ipsius opera, *Summam* praesertim et libros *Contra gentes* non legerit ac pervolutaverit. Nostra studiorum ratio theologiae professores jubet eum ut *doctorem* suum habere (*Ratio studiorum Societ. Jesu*, regula 2, profes. theol.).

logicis adjicere, ut opus nostrum saltem ex hac parte absolvatur. Tractatus enim de actibus humanis, de legibus, deque virtutibus atque peccatis, theologiae moralis institutoribus dimittimus.

§ II.

FONTES AD HANC ELUCUBRATIONEM ADHIBITI

15. Erit etiam operae pretium quaedam hic subjicere circa fontes, e quibus ea, quae scripturi sumus, depromemus.

16. Quum igitur juxta Angelicum Doctorem in celeberrimo opere, quod *Contra gentes* (1) inscripsit, ex veritatibus, quae ad Deum spectant, aliae sint, quae humanae rationis facultatem excedunt, aliae vero, ad quas ratio naturalis potest pro suis viribus pertingere, hinc pro diversitate argumenti, de quo agitur, diversa etiam via est incedendum. Rursum, prout idem observat Angelicus Doctor (2), quum ex hostibus, qui christianam religionem impugnant, alii sunt, qui omnem penitus scripturarum auctoritatem rejiciunt, alii qui non admittunt nisi libros Veteris Testamenti, alii qui praeterea admittunt libros Novi Testamenti, sed respuunt traditiones et auctoritatem Ecclesiae, hinc diverso armorum genere utamur necesse est, sive ad propositas veritates propugnandas, sive ad diversos ejusmodi religionis hostes refellendos.

17. Quare, ubi agendum nobis erit adversus incredulos, ratione atque monumentorum adjumentis eos a pravis nefariisque opinionibus deducere conabimur, ut tandem admittant non solum divinae revelationis existentiam, sed insuper Ecclesiae a Christo fundatae auctoritatem; siquidem haec est veritatis magistra atque divinae

(1) Lib. I, cap. 3. (2) Ibid. cap. 3.

revelationis servatrix et infallibilis interpres. Si vero cum judaeis nobis manus conserendae sint, ex Veteri Testamento atque ex auctoritatibus, quas ipsi non respuunt, eos erroris arguemus. Sic ex sacris litteris universim sumptis pugnabimus adversus protestantes et haereticos, nec non ex certis totius antiquitatis monumentis. Demum, ut par est, si cum catholicis, seu cum iis, qui se Catholicos profitentur, nobis negotium sit, quales hisce temporibus in tanta praesertim quidvis sentiendi et scribendi licentia non pauci existunt, ex Romanorum Pontificum constitutionibus atque Conciliorum praesertim oecumenicorum decretis, ex recepta in Ecclesia catholica doctrina et Patrum auctoritate eos refellemus, qui in aliquo articulo a sana doctrina aliqua ratione deflectunt.

18. Modo igitur ratione, modo auctoritate pro diversa adversariorum indole incedemus; aliquando, prout res postulabit, et ratione simul et auctoritate.

19. Quum vero gravissimi atque eruditissimi viri magnos exantlaverint labores ad religionem atque catholicam doctrinam propugnandam, sive ex antiquis sive ex recentioribus scriptoribus, non dedignabimur ex probatis ejusmodi fontibus aquas derivare ad hortulos nostros irrigandos, eosque suo loco cum debita laude commemorabimus, quod lubenti pariter animo praestaremus erga institutores nostros, quorum opera usi sumus, si typis vulgatae essent eorum lucubrationes.

20. Ne vero in nos etiam cadat ea satis communis querela, quod scilicet minus exacte atque accurate scriptorum loca referuntur, hanc nobis legem constituimus sancte servandam de nullo unquam, quoad licuerit, citando auctore, quem oculis nostris minime inspexerimus, adnotando, si opus fuerit, editionem etiam qua usi sumus. Quod si libros ipsos ad manus habere quandoque nobis non licebit, indicabimus saltem auctorem, cujus fide innixi, vel cujus auctoritate aut rationibus usi fuerimus.

21. Atque ista in genere de his fontibus delibasse sufficiat ; ubi enim in operis decursu de iisdem specialis mentio fiet , et ex professo in tractatu de Locis theologicis sermo occurret, singulorum theologiae locorum auctoritatem expendemus ac vindicabimus. Quod quidem, ut per se patet, intellectum volumus de iis auctoribus, quorum operibus utemur sive ad rem catholicam adstruendam et confirmandam , sive ad errores adversariorum refellendos. Quod enim spectat ad ceteros quorum in notis tantum elenchum subjiciemus ad discipulorum eruditionem, et quorum copia nobis praesto non est, eorum praesertim quae a rationalistis in Germania prodierunt, hoc profitemur ut plurimum innixos Wegscheidero adducere. Hic enim cum in institutiones redegerit doctrinam rationalisticam , auctores singulos magna sedulitate collegit in singulis doctrinae illius articulis : quare ab ipso elenchum nostrum praesertim mutuabimur. Si quidem Wegscheiderum potissime aggredimur , et in hoc uno conficiendo , caeterorum fidem auctoritatemque elevare contendimus.

§ III.

METHODUS ET INSTITUTUM

22. Diversam methodum pro subjectae materiae diversitate proque varia adversariorum indole adhibendam esse in harum praelectionum decursu , ex dictis compertum est. Illud tamen addimus , quod spectat ad speciale illud propositum, quod in animo nobis est , talem nempe tractationum seriem exhibendi , qualis theologiae tironum captui accommodata sit.

23. Quare in scribendi ratione eam methodum consectabimur , quae et idonea sit ad eorumdem tironum ingenia in his disciplinis apte informanda , et privatis ac

publicis concertationibus, quae ipsis ingeniis excolendis plurimum conferunt, inserviat.

24. Idcirco praemissis, quae ad controversiae, de qua agitur, statum et naturam dignoscendam necessariae visae fuerint, notionibus ac enarrationibus opportunis ad definiendum germanum et verum propositionis enunciandae sensum, propositionem ipsam statuemus, deinde vel refellemus vel propugnabimus quod propositum est.

25. Quum praeterea diuturnis experimentis nobis compertum sit, non parum conferre, ad claram qualemcunque notionem sibi efformandam, dilucide exponere ac determinare propositae propositionis certitudinis gradum, et ea, quae stricte de fide sunt ac definita, ab iis secernere, quae talia non sunt, curae nobis erit, ubi materia patietur, singulis propositionibus suam, ut ajunt, qualificationem subjicere, atque illico fundamentum exhibere notae seu censurae, qua multata est. Ubi vero de ecclesiae definitione aut ejus sensu non omnino constat, dicemus quid nobis videatur ex argumentis, quibus innititur. Hinc fortasse fiet, ut omnis e juvenum mente confusio tollatur; ex qua non raro contingit, ut quae de fide sunt definita, vel ad doctrinam catholicam pertinent, vel quae eumdem certitudinis gradum minime obtinent, permisceant cum ingenti ipsius scientiae detrimento, atque periculo contrariam doctrinam non debita ac propria censura notandi.

26. Quamobrem, ubi opportunus erit locus et id ipsa materia patietur, satagemus propositiones enunciare iisdem plane verbis, quibus qualiscumque veritas vel a Conciliis vel a constitutionibus pontificiis definita ac declarata est.

27. Jam vero sic insectabimur veritatis hostes, ut omnes domesticas atque olim magna animorum contentione agitatas in scholis catholicis quaestiones, quoad fieri potest, devitemus. Salva enim fide, et Ecclesia ipsa an-

nuente, unaquaeque schola suis potest adhaerere placitis. Ad pacem propterea conservandam atque fovendam, his supersedebimus, nisi expeditior dogmatis explicatio aliud suadeat; quo in casu illud ante omnia nobis curae erit, eam seligere sententiam, quae dogmati cum explanando tum contra incredulos ac heterodoxos tuendo accommodatior videbitur. Ne tamen quaestiones ejusmodi a theologiae studiosis penitus ignorentur, controversiam historica ratione exponemus, ac praecipua utriusque contrariae sententiae momenta, ex cujusque illustrioribus patronis deprompta, ingenue ac breviter attingemus; quo fiet, ut in talibus quaestionibus, unusquisque, perpensis hinc inde rationibus, eam sequetur sententiam, quam veriorem putaverit; tali enim in casu *unusquisque in sensu suo abundet.*

§ IV.

SCRIBENDI RATIO

28. Duo prae oculis habemus, quae in ejusmodi praesertim scriptionis genere reperiri debent, brevitatem ac perspicuitatem. Haud ignoramus, quam operosum sit binas recensitas proprietates, quae sese invicem excludere videntur, simul conciliare; divina tamen ope freti pro viribus enitemur eas perpetuo consectari, easque ita simul conjungere, ut nec brevitas perspicuitati, nec perspicuitas brevitati detrimentum afferat.

29. Ad brevitatem obtinendam, inutiles omnino atque jamdiu obsoletas et antiquatas quaestiones missas faciemus, vel obiter de minus necessariis agemus, easque potissimum prosequemur, quae aetate hac nostra agitantur tum a biblicis ac rationalistis, quos vocant, tum ab incredulis et heterodoxis. Rursum in iis, quae ab auctoritate pendent, in medium allatis praecipuis, sive ex Scri-

ptura sive ex Patribus ac monumentis ecclesiasticis, testimoniis, quae rem conficere videntur, indicabimus fontes, ex quibus studiosiores atque ingeniosiores adolescentes poterunt sibi pleniorem comparare rei, de qua agitur, cognitionem, eosque praecipue, qui ex instituto de peculiari illo argumento scripserunt seu commentaria ediderunt. Adversariorum autem difficultates, ut ordini inserviamus, in classes redigemus, ac non interrupto sermone una simul conjungemus, tum ne aliquid nativae vis ac roboris amittant, tum ut locum exercitationibus scholasticis praebeamus, dum ad dialecticae normam eas unusquisque exigere debet in mutuis concertationibus; atque id quidem brevitati non parum inserviet.

30. Ad perspicuitatem quod attinet, quae est altera sermonis virtus; eo utemur stilo eaque scribendi ratione, quae maxime decent tractatus polemicos, simplici nempe atque accurata. Exquisitam proinde elegantiam, quae quidquid latinum non est, rejiciat, minime consectabimur, utpote alienam ab eo fine, quem nobis proposuimus, et minus fortasse ad id accommodatam, ut nempe juvenum utilitatibus, quantum in nobis est, prospiciamus.

31. Cum opus erit, nonnullas addemus notulas, ad rem apertius declarandam, ita tamen ut nonnisi parce ac moderate id praestemus, ac nonnisi ubi necessitas aut saltem opportunitas ad majorem questionum claritatem tulerit, ne nimium libri moles excrescat.

32. Mediam igitur inibimus viam; nimiam in rebus tractandis prolixitatem aeque ac nimiam jejunitatem devitabimus. Adolescentes theologiae studiosi totam quam exoptant, quaeque ipsis necessaria est, doctrinarum supellectilem hic ita nanciscentur, ut eorum animi nec supervacaneis abundent, nec nimia rerum copia absterreantur.

33. Licet vero in his elucubrandis nec industriae nec

labori pepercerimus, facile tamen profitemur, nos non omnes idcirco maculas culpasve effugere potuisse. Et nos homines sumus; humani nihil a nobis alienum putamus. Verum ejusmodi labes aequi bonique viros doctos consulturos esse confidimus. Quod si quidpiam minus caute aut minus accurate dictum, quidquam fortasse etiam catholicae ecclesiae doctrinis minus consonum invitis exciderit, id velut indictum haberi volumus, cum nos nostraque omnia pientissimae huic veritatis magistrae, columnae ac firmamento subjecta esse decernamus.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE

ADVERSUS

INCREDULOS ET HETERODOXOS

1. Duae omnino sunt classes hominum, qui verae religioni adversantur atque repugnant, haereticorum una, altera incredulorum. Hi enim unica contenti religione naturali, si tamen eam, prout decet, admittunt, revelationem omnem, utpote supervacaneam et hominum cogitatione inventam, rejiciunt; illi vero, dum privato judicio religionem permittunt, suis pessime commentis eam temerant ac labefactant. Hinc fit ut adversus incredulos necessitas existentiaque revelationis sit demonstranda, simul et via ratioque tradenda, qua eam tuto investigent, si velint, et consequantur; adversus haereticos autem divinitus constituta ecclesiae auctoritas sit vindicanda, apud quam depositam Deus revelationem suam voluit, et qua solum vindice et magistra integram inviolatamque habere possumus, ejusque germanam intelligentiam tenere.

2. Duae itaque erunt quoque partes tractatus nostri. Altera incredulos redarguet, atque eos admodum quos deistas aut naturalistas vocant; qui quidem Deum existere et cultu pio prosequendum fatentur, ejusque praeterea providentiam agnoscunt sive pro hac, sive pro altera vita praemia poenasve pro merito decernentem: nam cum atheis, ubi de Deo ejusque attributis agemus, res nobis futura est. Eos hic unos adorimur, qui in enumeratis

modo articulis nobiscum consentientes, in eo tamen longe discrepant quod solam religionem naturalem, uti appellant, necessariam homini esse arbitrantur. Altera sectarios sive haereticos perstringet, revelationem utique recipientes, at eam mancam, ut ita loquar, et mutilam: quippe qui traditiones divinas respuunt, et pronum ad incredulitatem iter faciunt, negantque commissam ecclesiae custodiae et fidei revelationem ejusque cognitionem, quam temere ad jus devocant sensumque privatum.

3. Intendendi hic sane nobis nervi omnes industriae et ingenii, nec permittendum ut in tanti momenti re ullae nostrae partes desiderentur. Patrocinium enim suscipimus verae religionis; agitur fides catholica, aguntur ecclesiae jura, agitur sanctorum doctrina, tranquillitas imperii, salus populorum, sempiterna hominum felicitas, quae omnia extra veram religionem frustra requiras, siquidem in ea unice continentur.

DE VERA RELIGIONE

PARS I.

ADVERSUS INCREDULOS

4. Propositum quidem nobis erat exordiri a facto ipso constituendo, sive ab existentia divinae revelationis ostendenda. Hac enim semel constituta ac vindicata, continuo per se omnia evanescerent, quaecumque ab incredulis ad divinae alicujus revelationis vel possibilitatem vel necessitatem impugnandam sunt excogitata; essetque haec compendiaria prorsus via ad omnes revelatae religionis hostes profligandos. Ne tamen videamur novitati studere, atque aliud quam quod tritum est iter velle insistere, tum maxime ne juvenes iis destituantur praesidiis, quae ad divinae revelationis possibilitatem atque necessitatem adstruendam in medium afferri solent, in quatuor praecipua capita hanc priorem tractatus partem distribuimus; in quorum primo de divinae revelationis possibilitate, in altero de ejus necessitate, in tertio de notis quibus vera a falsis distinguitur, in quarto demum de existentia disseremus.

CAPUT I.

DE DIVINAE REVELATIONIS POSSIBILITATE

5. Revelatio, prout hic accipitur, est alicujus veritatis vel plurium etiam veritatum manifestatio; quae si a Deo, atque extraordinario quidem, id est supernaturali (1), ut dicunt, modo, praeter consuetum nempe

(1) Vox *supernaturalis* diversis in sensibus intelligi potest: quo in sensu hic a nobis adhibeatur, ex totius quaestionis tenore intelligitur.

providentiae ordinem fiat, divina nuncupatur (1). Manifestari autem aliquae veritates a Deo possunt vel homini singulari, seu singularibus hominibus, ita ut per istos ceteri edoceantur, vel omnibus indiscriminatim. Si omnibus prorsus hominibus fieret ejusmodi manifestatio, tunc revelatio *generalis* ac *communis* vocaretur; sin vero peculiaribus a Deo electis hominibus, *peculiaris* ac *privata*. Revelatio illa, quae alicui immediate a Deo fit, dicitur *immediata*; si ista ad alios perveniat, *mediata* nominatur.

6. Rursus ex iis, quae a Deo manifestari possunt, alia sunt, quae hominis captum minime excedunt, alia, quae omnino superant, ac *mysteria* propterea vulgo dicuntur.

7. Jam vero ex incredulis alii sunt, qui possibilitatem quamcunque revelationis inficiantur; alii minus saltem accommodatam homini traducunt revelationem mediatam, quae nempe hominum ministerio, ut notavimus, ad alios perveniat; alii denique revelationem tantummodo mysteriorum, veluti impossibilem impugnant, quibus omnibus totidem propositiones opponimus.

PROPOSITIO I.

Possibilis est divina revelatio immediata

8. Possibilis enim divina censenda est revelatio, si neque repugnet ex parte Dei revelantis, neque ex parte

(1) Quae quidem adnotavimus ad excludendum *rationalismi* nuper inducti systema, juxta quod non alia datur revelatio quam per rationem rite excultam, vel etiam, ut nonnulli addunt, a Deo excitam ad veritates cognoscendas; ac per hoc distinguitur a *naturalismo* stricte sumpto; isti omnes quemcunque, ut vocant, *supernaturalismum* rejiciunt. Horum elenchum et placita exponit Jul. Aug. Lud. Wegscheider, *Institut. theologiae christianae dogmaticae*, edit. VI, Halae 1828. Hunc auctorem protestantem vere vocaveris rationalistarum signiferum, qui ad certam methodum illorum doctrinam redegit. A Kantii philosophia magna ex parte originem suam agnoscit *rationalismus*, quem plures in Germania sequuti sunt, Fichte, Koppen, Niethammer, Grohmann, Nitzch, aliique apud eumdem, *Proleg. de relig.* c. I, §. 9. et seqq.

hominis revelationem excipientis, neque ex parte rerum revelatarum. Jam vero nulla ex parte repugnat.

9. Non utique ex parte Dei, qui quum infinite sapiens ac potens sit, ideo aliquas potest veritates manifestare, innumerosque habet in promptu modos ea quae ad se spectant, vel voluntatem suam patefaciendi. Neque hoc profecto quisquam, nisi atheus, in dubium vocabit; nam si homo potest sensa sua alteri aperire, quidni possit Deus?

10. Neque vero ex parte hominis, qui quum intelligentia ac ratione praeditus sit, nulla certe re vetatur, propositam sibi veritatem excipere, sicut et alia quaecunque solent cum ipso ceteri homines communicare.

11. Neque tandem ex parte rerum revelatarum: si enim istae conferant ad majorem Dei cognitionem et gloriam et ad hominum utilitatem, nihil impedit, quominus objectum esse possint divinae manifestationis, ut patet.

12. Haec magis confirmantur ex communi hominum sensu, qui nullam unquam repugnantiam invenerunt in ejusmodi revelationibus, uti constat ex historia omnium gentium, quae revelationes sive veras sive fictas admiserunt. Ergo.

DIFFICULTATES

13. Obj. 1. Nos modum assequi non possumus, quo Deus aliquas veritates manifestet; incerta praeterea 2. ambiguaque semper res est revelatio, nunquam enim ille qui revelationem accipit, ita certus de ea esse potest, ut nullam moveat suspicionem erroris atque fallaciae: et sane 3. plures turpiter quovis tempore decepti sunt circa internas ejusmodi inspirationes, quae non nisi lusus turbatae mentis fuerunt, imaginationesque falsae, quales sunt quae dormientibus occurrunt. 4. Denique divinam dedecet majestatem, se eo usque demittere, ut creaturas tam miseras alloquatur. Ergo.

14. Resp. ad 1. *D.* Non possumus determinatum ali-

quem modum assignare, quo Deus aliquas veritates manifestet, *Tr.* vel *C.* non possumus saltem in genere diversos assignare modos, quibus Deus ad aliqua manifestanda uti possit *N.* Potest enim Deus suam patefacere voluntatem vel aliquas patefacere veritates sive per somnia, sive per aliquam loquutionem, sive per signa, sive per symbola, sive quacunque alia ratione, quam ipse noverit; nos vero minime tenemur determinare potius unum quam aliud medium, quo ipse uti maluerit.

15. Ad 2. *D.* Per se, *Tr.* spectato fine, quem Deus intendit, *N.* Quum enim Deus ad alicujus bonum, et a fortiori si ad bonum multitudinis dirigat illam veritatem, quam manifestat, potest ac debet ita certum de ea facere hominem, cui eam enuntiat, ut nulla ipsi dubitatio esse possit et omnem tollat metum deceptionis. Alioquin aliquid majus efficere posset homo, quam Deus.

16. Ad 3. *D.* Ex iis, qui veram revelationem non habuerunt, *C.* qui veram habuerunt, *N.* Non eadem profecto ratione disserendum est de iis, qui veram revelationem habent, ac de iis, qui non habent; isti utique illudi decipique possunt, existimantes se aliquam revelationem habuisse, quum reipsa non habuerint. At qui vera revelatione divina donati sunt, tali pollent subjectiva, ut ajunt, certitudine, ut nullo modo decipi possint, quia quando loquitur Deus vel aliquid efficit atque operatur, sapientissimus et providentissimus quum sit, talia exhibet suae operationis signa, quibus omnis errandi formido prorsus abigatur.

17. Dices: difficultas versatur in homine distinguendo, qui veram habeat revelationem ab homine, qui fictam habet; ergo.

18. Resp. praeter intimam certitudinem de qua modo diximus, non deesse extrinseca signa ad homines hujusmodi tuto recognoscendos, e. g. vitae sanctitatem, miracula, prophetias eventu comprobatas, testimonium alio-

rum prophetarum, objectum ipsum revelationis, universalem quamdam approbationem, etc. quae quidem omnia aliaque horum similia si in alicujus revelationis confirmationem concurrant, jam nullus superest fraudi metuendae locus.

19. Ad 4. *N.* Quid Deum deceat vel dedeceat, nostrum semper expendere non est. At Deum dedecere hominem affari et alloqui in iis potissimum, quae conferunt ad ejus bonum ac felicitatem, nemo dixerit, nisi insanus et impius. Deum non dedecuit hominem condere et quidem ad felicitatem, cum propterea nec dedecet viam tutam eidem homini indicare, qua ad optatam beatitatem possit pervenire.

PROPOSITIO II.

Possibilis est divina revelatio mediata

20. Ea scilicet possibilis est revelatio, qua homines alii revelatas divinitus veritates per alios edoceantur, qui eas a Deo immediate acceperunt, seu per eos quos Deus ipse ejusmodi veritates edocuit.

21. Etenim ex praecedenti propositione possibilis est revelatio immediata; recte ergo possibilem esse revelationem mediatam infertur: quas enim divinitus homo accipit veritates, potest cum ceteris communicare. Si quid difficultatis occurreret, ea non tam ex parte rei, quam ex parte hominum ceterorum proveniret, qui revelationes nuntianti fidem minime haberent; at si revelatio a Deo reipsa ortum ducat factaque sit in commune bonum, praesto erit Deus ipse subsidiis extrinsecis superius recensitis, praesertim vero miraculis et vaticiniis, ut fides tuto ei adjungi possit ac debeat; quae si desint, nemo sane est, qui assensum revelationem adstruenti praebere teneatur.

22. Ad assertionis confirmationem huc pariter accedit

conspiratio omnium gentium, quae, quin absurdi quidquam in hac agendi ratione viderint, pronas potius aures praebuerunt illis hominibus, qui se a diis missos tradebant, ut eas ad officia religionis, legum ac morum recte instituerent, uti de Minoe legitur, Lycurgo, Numa, aliisque, qui ita comparatis hominum animis abusi sunt ad auctoritatem sibi suisque institutis conciliandam. Ergo.

DIFFICULTATES

23. Obj. 1. Revelatio mediata fraudibus innumeris obnoxia est; 2. nec solum privati homines, sed integri quandoque populi decepti sunt; eo vel maxime, 3. quod media ad fraudem detegendam omnino certa non suppetant; et si quae essent, 4. nonnisi moralem certitudinem parere possent, quae profecto omnem prorsus errandi formidinem nunquam excludit: 5. longe proinde satius esset, si homines singuli a Deo veritates edocerentur, quae homini scitu necessariae sunt, prout veritates naturalis religionis per rationem edocuit, quaeque jure revelatio primitiva nuncupatur. Sic nulla jam superesset de religione controversia: sufficeret enim internam hanc vocem consulere; ergo.

24. Resp. ad 1. *D.* Si nulla haberemus media ad veram revelationem secernendam a falsa, *C.* si talia media habeamus, *N.* Quae vero ea sint, superius exposuimus.

25. Ad 2. *D.* Decepti sunt ex defectu accurati examinis, *C.* quasi non potuissent ullo modo fraudem detegere, *N.*

26. Ad 3., *N.* Ut ex dictis patet.

27. Ad 4., *N. minor.* Si enim moralis certitudo sit summa atque perfecta, aeque ad assentiendum impellit, ac certitudo physica et metaphysica, atque in hanc demum resolvitur, omnemque proinde errandi formidinem

tollit. Quandonam vero habeatur summa haec moralis certitudo, a logicis et criticis traditur.

28. Ad 5. *D.* Si homines ita comparati essent, ut nunquam ea abuti possent aut vellent, *C.* si cupiditatibus obruti valde proni sint ad ea abutendum, *N.* Nempe eodem modo ac homines cupiditatibus irretiti abusi sunt rationis lumine, quod omnibus affulget, atque in absurda non pauca lapsi sunt, sic etiam communi ejusmodi revelatione abuterentur, eamque ad cohonestanda turpia quaeque deducerent, quin unquam argui possent falsitatis. Singuli enim a Deo ea se accepisse affirmarent, quae non essent nisi propriae mentis deliria, ac totidem essent religiones quot capita, prout evenisse in ea, quam ipsi vocant primitivam revelationem, experientia demonstrat. Quare et hoc habetur emolumentum ex mediata revelatione, quod scilicet unitas atque consensio, quae sunt praecipuae verae religionis notae, inde exsurgant, tum publica hominum societas atque professio, necnon publicum societatis istius et professionis vinculum. Alioquin, ne fraudi daretur locus, a singulis efflagitanda essent miracula et vaticinia, quod quam absurdum sit, nemo non videt.

29. Atque hinc responsio patet ad ea, quae in confirmationem adducuntur; ex dictis enim constat, neutiquam controversias de religione sic fore ablegandas, quin potius viam latissimam apertum iri *enthusiasmo*, uti perspicuum est, et amplius confirmari posset exemplis non sane paucis nec obscuris ex recentioribus sectis, quae tum in Anglia, tum in foederatis Americae septentrionalis provinciis maxime vigent (1). Neque enim homo in abstracto, seu prout a nobis fingitur, spectari debet, sed qualis reipsa est.

(1) Nonnulli ex istis sectariis adeo progressi sunt, ut sibi a Deo nefaria quaeque et homicidia ac parricidia imperata effutierint. Non pauca exempla videri possunt in controversiis episcopi Milner, quae suo loco afferemus.

PROPOSITIO III.

Possibilis est revelatio illarum veritatum, quae mentis nostrae captum excedunt, seu est possibilis mysteriorum revelatio

30. Mysterium, quod idem significat ac res arcana, ut ex propositionis enuntiatione colligitur, hic accipitur pro veritate, quae longe ab intelligentia nostra disjuncta sit; non eo quidem sensu quod plane nos lateat ejusmodi veritas, cujus terminos vere cognoscimus, sed quod terminorum ejus nexum non assequamur, quo fit, ut ejusmodi veritatem minime comprehendamus. Negant deistae, mysteria posse a Deo revelari, ast frustra; etenim

31. Dantur veritates, quae mentis nostrae aciem superant; ergo Deus potest eas manifestare, seu possibilis est mysteriorum revelatio.

32. Quod dentur ejusmodi veritates, nemo sanae mentis inficiari potest: tales enim sunt, quae naturam hominis spectant, tales, quae naturam spectant corporum omnium, quae nos circumstant. Hominem anima et corpore constare compertum est, qua vero ratione existat confleturque compositum utriusque, quomodo in corpus anima ac vicissim in animam corpus agat, plane nos praeterit. Ignorant philosophi quaenam sit corporum natura; tota qua late patet haec rerum universitas mysterium est. Recentiores ipsi physici, licet non parvos progressus fecerint in cognitione naturae, legesque multas et vires deprehenderint, fatentur tamen abdite latere adhuc istarum virium causas, et esse, ut quidam (1) ex ipsis ait, *qualitates occultas*. Quidni igitur dentur ejusmodi veritates in Deo, cujus infinita prorsus natura est?

(1) Blumenbach, *Man. d' hist. nat.* tom. 1. sect. 2. §. 9.

33. Jam vero, si dantur hae veritates, nihil obstare potest, quominus Deus eas nobis manifestet, si ita ipsi placuerit sive ad exercendam fidem nostram, sive ad capiendum nostri in eum obsequii atque obedientiae experimentum. Nulla profecto in hoc invenitur repugnantia. Ergo.

DIFFICULTATES

34. I. Obj. 1. Ipsa mysterii notio excludit ejusdem revelationem: revelare enim est patefacere quod occultum est; si igitur mysterium revelatum est, jam non est occultum sive mysterium. 2. Repugnat praeterea revelare, quod homo ratione sua assequi non possit; tum quia nullum esset emolumentum incognitae sive occultae veritatis: perinde enim esset, ac lingua ignota loqui, in qua nihil praeterea haberetur, quam sonus inanis verborum; tum quia mysteria ob insitam obscuritatem esse non possunt nisi perpetua feraxque disputationum ac discordiarum seges, uti experientia ostendit, ex qua deprehendimus totum christianorum zelum imo et religionem collocatam fuisse in fide atque praetensa orthodoxia tuenda, id est, in verborum formulis sensu vacuis acriter propugnandis. Quare 3. si juxta Lockium nemo assentiri propositioni potest, cujus termini non comprehenduntur, neque modus intelligitur, quo vel affirmantur vel negantur ad invicem; recte ipse concludit, nos nullum posse mysterio assensum praebere; ergo.

35. Resp. ad 1. *Vel N. vel D.* Revelationem excludit intrinsecam, seu quoad ejus naturam, *C.* extrinsecam seu existentiam, *N.* Ad prob. *revelare est patefacere*, etc. *D.* In se, *Tr.* vel *C.* prout hic accipitur pro manifestatione nempe existentiae, *N.* Ludunt igitur deistae in ambiguo, dum talia opponunt; atque hinc patet responsio ad illationem, *si igitur mysterium revelatum est, jam non est mysterium.* Non est profe-

cto mysterium ex ea parte, qua revelatum est; at mysterium remanet quoad intimam sui naturam, quae revelata non est.

36. Ad 2. *N.* Ad 1. autem prob. *Quia nullum esset emolumentum incognitae sive occultae veritatis*, *D.* si esset omni ex parte incognita et occulta, *C.* si ex parte tantum, nempe quoad nexum terminorum, *N.* Nam mysteria, quae per revelationem proponuntur, ut ex dicendis suo loco patebit, non sunt omnino incognita; atque ut exemplis res plana fiat, quum dicimus in una divina natura tres esse personas, duas ideas enunciamus nobis bene cognitas, licet non assequamur modum, quo in una simplicissima natura tres distinctae personae subsistant; sic etiam quum dicimus in Christo duas esse naturas subsistentes in una divina persona, duos pariter terminos proferimus nobis cognitos, etsi non intelligamus, qua ratione duae naturae in una persona subsistant; atque ita porro de ceteris mysteriis a fortiori dicatur. Inde magnum nobis emolumentum provenit, quum ejusmodi mysteria longe splendidiorem Dei ideam praebeant, ac basim ac fundamentum constituant firmissimum moralium virtutum et officiorum, atque incitamento sint ad sublimiorem perfectionem, ut infra evolvemus, capessendam. Ad confirmationem, *perinde esset ac lingua ignota loqui*, *N.* Etenim ex adductis exemplis corruit vana ejusmodi assertio: certe quum dicimus, Dei filium ad salvandum humanum genus, naturam humanam assumpsisse, atque ad expianda hominum crimina se victimam obtulisse, non loquimur lingua sinensi aut malabarica, cujus nonnisi vacuum sonum percipiamus, ut deistae autumant. Ad 2. prob. *mysteria ob insitam obscuritatem*, etc. *D.* Respectu illorum, qui omnem legitimam auctoritatem rejiciunt vel eidem non obsequuntur, *C.* respectu illorum, qui, ut par est, ejusmodi auctoritatem venerantur, *N.* Non igitur ex mysteriorum na-

tura, sed ex defectu debiti obsequii erga auctoritatem a Deo constitutam ejusmodi controversiae ortae sunt, atque in dies oriuntur. Ceterum non solum circa mysteria, sed circa quoslibet religionis articulos ex ingenii humani abusu quaestiones motae sunt atque moventur. Ad confirmationem, *experientiâ ostendit*, etc. *N.* Istae enim non sunt nisi deistarum declamationes et calumniae. Quod si ecclesia catholica semper sollicita fuit in custodiendo fideliter divinarum veritatum deposito sibi a Deo concesso, munere suo functa est; alioquin jam funditus eversa foret tota christiana religio. Quod vero subdunt de formulis verborum sensu vacuis, satis disjectum est ex responsione ad 2.

37. Ad 3. *D.* Quod tamen falsum est, ideoque rejiciendum, *C.* verum et admittendum, *N.* Lockius enim ad evertenda christianae religionis mysteria tale principium adstruxit, quod omnino est repudiandum: necesse enim non est ad assensum alicui propositioni praestandum, ut termini eorumque relatio mutua comprehendantur; sed satis est, ut eorum notio aliqua habeatur licet obscura et incompleta; alioquin deberent rejici omnia mysteria metaphysica et matheseos ipsiusque naturae, quae pauca non sunt, ut prae ceteris ostendit Cl. Feller (1), nec diffitentur deistarum coryphaei, Voltaire, Hume, Diderot aliique (2). Quis autem hoc ferat? Caecus natus nunquam adduci posset ut ea crederet, quae de lucis phaenomenis ceteri homines testantur, et rudes ut absurda improbarent deberent geometriae theoremata, quorum demonstrationem non assequuntur. En quo ducat lockianum principium a deistis celebratum (3).

38. II. Obj. 1. Homo ratione praeditus nihil admittere debet, nisi quod ratio et evidentia verum esse de-

(1) *Catéchisme philosophique*, suite du livre IV. chap. 5. art. I. les Mystères en général, § 418 et seqq.

(2) Loc. cit.

(3) Consulatur quoque Bergier in *Diction. théol.*, art. *Mystères*.

monstret. Ideo enim Deus intelligendi facultate hominem instruxit, ut intelligeret, eaque veluti duce et magistra uteretur praesertim in religionis negotio, quod est omnium maximum. Quare 2. quum religio essentialis debeat esse omnibus hominibus communis, ita debet omnibus evidens esse, ut a quolibet etiam rudi plane intelligatur: neque enim homines ex imperio, sed ex persuasione credunt, ubi scilicet eos moverit rerum perspicuitas atque evidentia: talis autem esse non potest, quae proponit credenda mysteria. 3. Sane Deus noster, inquit J. J. Rousseau (1), non est Deus tenebrarum, sed lucis; nec nos intellectu instruxit, ut nihil intelligeremus, nec rationem concessit, ut eidem repugnaremus. Quae magis confirmantur ex Bayle animadversione, qui non uno in loco observat, 4. mysteria ex eo quod sint supra rationem, hoc ipso esse contra rationem, quum non sint rationi conformia; quod exemplo turris longius conspectae declarat, quae, quum quadrata sit, ratione distantiae apparet rotunda; hinc affirmanti eam esse quadratam credere teneor contra id, quod oculi de ejus rotunditate testantur. Hinc factum est, 5. ut nulla falsa religio revelata perhibeatur, quae sua non habeat mysteria, uti sinensis, japonica, etc., scilicet ut in rudium animos facilius dominarentur. Optime propterea 6. concludit Gibbon (2), hanc semper fuisse artem condendae religionis, praebere nempe credenda mysteria, quae non intelligantur, et ritus praescribere, quorum nulla ratio assignari possit. 7. Quod tamen est contra Apostoli (3) monitum: *rationabile obsequium vestrum.* Ergo.

39. Resp. Ad 1. *D.* Nihil admittere debet, nisi quod ratio et evidentia verum esse demonstrat evidentia vel intrinseca vel extrinseca, *C.* intrinseca tantum, *N.* alio-

(1) *Emile*, tom. III. pag. 129, 139, 140 et seqq.

(2) Gibbon, *The history of the decline and fall of the roman empire*, in-8. London, 1823. c. 16 et seqq.

(3) Τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. ad Rom. XII, 1.

quin omnes, ut observavimus, deberent rejici veritates, quarum intrinsecam naturam evidenter ratio non assequitur, quod est absurdum, nec ab adversariis conceditur. Ad probationem, *ideo Deus intelligendi facultate*, etc. *D.* ut intelligeret ea, quae ipsius limites non excedunt, *C.* quae excedunt, *N.* In his enim officium rationis est, expendere momenta, quae auctoritati insunt ejusmodi veritates proponenti, seu credibilitatis motiva diligenter aestimare, quae secum fert negotium omnium utique maximum, quale est religio.

40. Ad 2. *D.* Debet esse omnibus evidens evidentia extrinseca, *C.* intrinseca, *N.* Recolantur superius dicta. Ad confirm. *neque enim homines ex imperio*, etc. *D.* id est, praemisso accurato ac diligenti examine motivorum credibilitatis, *C.* id est, perpensa intima mysteriorum natura, quam assequi homines non possunt, *N.* Responsio patet ex dictis; hinc negatur sequela, quod non possit esse homini essentialis religio, quae proponit mysteria credenda.

41. Ad 3. *D.* In se, *C.* respectu nostri, *N.* Nimio siquidem lumine perstringitur quodammodo acies mentis nostrae, eadem prorsus ratione ac corporis oculis evenit, si solem adversum intueamur, cujus vim radiorum oculi nostri non ferunt. Ad confirm. *nec nos intellectu instruxit*, etc. *D.* In iis, quae intellectui pervia sunt, *C.* in iis quae intellectus attingere non potest ob suam infirmitatem, *N.* Recolantur quae dicta sunt circa mysteria naturae et agendi rationem caeci nati. Nego praeterea nos debere repugnare rationi nobis a Deo concessae, dum mysteria credimus. Nullam enim repugnantiam videt aut videre potest ratio in mysteriis. Repugnantia non est nisi clara duarum idearum oppositio, nihil vero tale in mysteriis occurrit (1).

(1) Consulatur Bergier, *Traité de la vraie religion* tom. III, edit. Paris 1784. pag. 318 et seqq.

42. Ad 4. *N.* Etenim *supra rationem* id dicitur, cujus intimam veritatem comprehendere non possumus; *contra rationem* vero id, quod evidentiae principiis est plane contrarium. Nunquam vero Bayle suis paralogismis ostendere potuit mysteria principiis evidentiae adversari (1). Hinc ad 1. confirm. *quum non sint rationi conformia*, *D. positive*, quasi nempe haberetur aliqua positiva oppositio mysteriorum cum ratione, *N. negative*, quasi nempe haberetur tantum negatio conformitatis cum ratione in iis, quae sunt superioris ordinis, seu non cognosceretur conformitas mysteriorum cum rationis principiis, *C.* Haec enim tria distinguenda, perpetuoque retinenda distinctio haec est, scilicet 1. quaedam relate ad nos cum ratione congruere; 2. quaedam eidem opponi; 3. denique quaedam nec cum ratione congruere, nec cum ipsa pugnare, quia sunt supra rationem, excellentioris videlicet ordinis, ad quem ratio limitibus circumscripta pertingere nequit. Sane ipse Bayle (2) principii loco constituit, multum discriminis interesse inter haec duo, videlicet si objecti alicujus possibilitatem non comprehendas, et si ejusdem comprehendas impossibilitatem. Primum negativum est, et ad hoc referuntur mysteria; alterum est positivum; talia vero esse mysteria nunquam evincet Bayle cum suis asseclis. Ad 2. confirm. deductam a similitudine turris eminus conspectae, negamus ex dictis paritatem, quum sensus nisi rite applicati sint, aliter repraesentent objectum ac reipsa sit, quod de ratione dici non potest, dummodo ea recte utamur. Nam

(1) Consulatur S. Thom. *lib. I. contra gentes*, c. 7. ubi invicte ostendit, nullam inveniri posse repugnantiam inter mysteria, quae humanae rationis capacitatem excedunt, atque rationem ipsam; quum idem Deus, qui est auctor rationis, sit auctor pariter revelationis, ex quo infert *quaecunque argumenta contra fidei documenta ponantur, non ex principiis primis naturae inditis per se notis recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles vel sophisticae, et sic ad ea solvenda locus relinquitur.*

(2) *Diction.* art. *Spinoza.*

licet turris quadrata e longinquo visa, id exigentibus opticae legibus, appareat rotunda, sensus tamen nihil praecise testantur circa ejus rotunditatem vel quamlibet aliam figuram, quum ratione distantiae angulos et sinuositates non distinguant. Quare qui fidem tribuit testanti de quadrata turris figura, quum incertus de ea sit, nihilque affirmare possit, quippe quam e longinquo prospicit, vel callet hic opticae leges, vel eas ignorat. Si primum, sibi repugnare non debet; si alterum, non tenetur nisi suam ignorantiam fateri eamque deponere, dum, qui propius eam intuitus est, testatur esse quadratam, quum ipse in tanta distantia cognoscere non possit, utrum revera turris sit rotunda utrum vero quadrata. Eadem ratione gerere quisque se debet circa mysteria, quorum conformitatem cum ratione licet ipse non videat, ob auctoritatem tamen Dei testantis illa cum ratione non pugnare, id sibi persuasum habere debet, eorumque veritatem admittere.

43. Ad 5. *D.* Ad ingenium conficta absque ulla cum doctrina morum relatione et absque ullo fundamento, *C.* qualia in religione christiana exhibentur *N.* Recolantur superius dicta circa utilitatem mysteriorum (1).

44. Ad 6. *D.* Quoad eos, qui absque divina missione proprio marte religiones cuderunt, *Tr.* quoad verae religionis praecones *N.* Jam vero hic observanda est perversa agendi ratio, qua utuntur increduli, ut invidiam conflent sanctissimae religioni nostrae, fucumque faciant incautis; scilicet veram religionem cum falsis comparant, eamdemque imitando revelationes effingunt, et imperitis obtrudunt (mendacia siquidem, ut fidem inveniant, induere debent veritatis speciem); ea tamen si pertentes et excutias, continuo malitiam deprehendes, inanemque simulationem veritatis. Porro nihil quicquam com-

(1) Cons. Bergier *Diction. theol.* artic. *Mystères.*

mune est inventis hominum , fabulisque superstitionum cum systemate sibi ex omni parte cohaerente verae religionis , in qua sic omnia inter se connexa aptaque sunt , ut unitatem summam efficiant ac in sui admirationem rapiant vel invitos. Profecto mysterium SS. Trinitatis est fundamentum mysterii dominicae incarnationis , quod rursum supponit mysterium peccati originalis ejusque in omnes Adae posteros propagationis , ex quibus mire elucet divinae naturae ejusque attributorum , omnipotentiae , sapientiae , bonitatis , misericordiae , justitiae excellentia , nec non generis humani se prodit infirmitas. Hinc liquet aliud omnino esse agere de mysteriis in abstracto , ut deistae solent , aliud ea considerare in concreto , prout a religione proponuntur.

45. Ad 7. *D.* Id est , perpensis credibilitatis motivis , quae hominem ad assentiendum inducunt , *C.* id est , perpensa intima mysteriorum natura , ut alias diximus *N.* Si tamen hic Apostolus loquitur de obsequio fidei praestando , et non potius de moderata corporis afflictatione. At deistarum parum interest verum sensum attingere scripturarum.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS NECESSITATE

46. Revelationis divinae nomine , ut ex superiore cap. compertum est , hic intelligimus supernaturalem illam Dei operationem , qua peculiares homines quasdam a Deo veritates edocti sunt , quibus ipsi deinde homines reliquos ad religionem et officia instituerent.

47. Gravissimam hanc inimus disputationem non solum adversus veteres recentioresque deistas , sed etiam adversus nuperos rationalistas , qui non aliam revelationem agnoscunt praeter *naturalem* , sive manifestationem Dei , quae fit per opera naturae , quamque in *univer-*

salem seu communem dividunt et in *particularem*. *Universalis porro* ex eorumdem sensu *ea est*, *quae naturalibus animi facultatibus aliisque universae rerum naturae praesidiis efficitur*, *quibus homo ad concipiendam colendamque rerum divinarum notitiam adducitur*. *Particularis vero eademque mediata* (1) *ea est*; *quae continetur complexu rerum secundum naturam evenientium*, *quibus Deo auctore nonnulli homines prae ceteris excitati sunt ad verae religionis principia cognoscenda*, *eaque popularium quidem desideriis accommodata insigni cum successu aliis tradenda* (2).

48. Antequam vero ad rem propius accedimus, majoris perspicuitatis gratia animadvertimus, objectum revelationis esse posse vel veritates ordinis humana ratione superioris; cujusmodi mysteria esse diximus, necnon ea, quae a libera Dei voluntate pendent, quaeque seposita revelatione ab homine cognosci nulla ratione possent; vel veritates, quae rationis humanae limitibus continentur; cujusmodi sunt ea, quae ope ratiocinationis homo assequi absolute potest, e. g. Dei existentia, animorum immortalitas, officia quibus homo Deo, sibi, societatique obstringitur, aliaque hujusmodi.

49. Age porro dum divinae revelationis necessitatem adstruimus, non hanc volumus intelligi de veritatibus

(1) Hoepfner, *De discrimine mediatae et immediatae Dei efficaciae rectius intelligendae*, Lips. 1823. pag. 21, sic rem explicat: *Qui mediatam Dei efficaciam tuentur*, *ii recte discernunt inter cognitionem ejus subjectivam et objectivam. Nec igitur Deum, si objective spectatur, immediate in mundum agere negant; sed potius eum omnia, quaecunque tandem fiant, immediate perficere affirmant. Negant vero Deum, si subjective a nobis spectatur immediate operantem a nobis cognosci seu sentiri posse.* Quam pulchra haec sunt et perspicua! Id ipsum tradit inter ceteros Baumgarten Crusius *Pr. de notionibus mediati et immediati in disciplina theologica*, Jenae, 1827; F. Fischer, *zur Einleit. in die Dogmatik. der Ev. Kirche*, seu *introductio in theol. dogmaticam evangelicae ecclesiae*, Tubingae, 1828, pag. 88 et seqq.

(2) Sic totum systema exponit Wegscheider, op. cit. proleg. 1, § 12. Unde intelligimus, quo progressus sit protestantismus in Germania quantoque studio elaboret in omni penitus divina revelatione de medio tollenda.

*

primi ordinis, quum exploratum sit illarum cognitionem nobis necessariam non esse nisi hypothetice, quatenus nempe per earum cognitionem et fidem voluerit Deus nos adipisci salutem; quum enim hoc revelationem potius supponat, quam adstruat, ex hac parte necessitatem, quam intendimns, evincere non possumus.

50. Restat proinde, ut ad veritates secundi ordinis necessitatem revelationis, de qua loquimur, referamus.

51. Quum autem hujus secundi ordinis veritates rationis humanae finibus concludantur, easque propterea humana ratio absolute cognoscere possit, plane consequitur, nos haud posse instituere controversiam de necessitate, ut dicitur, *absoluta*, sed solum de necessitate, quam vocant, *morali*; itaque hoc sensu necessariam revelationem esse defendimus.

52. Ad declinandas vero innumeras prope tricas, quas movent adversarii, contra quos agimus, circa humanae rationis vires, circa hominis dignitatem et conditionem, in quas injuriose nos agere clamant deistae ac rationalistae, eas deprimendo ad adstruendam nostrae revelationis necessitatem; praeterea ne petere videamur principium, ut iidem rursum conqueruntur, dum naturae humanae infirmitatem ex peccato primi parentis inductam supponimus; ad haec, inquam, incommoda declinanda, brevior nobis pro re, de qua agimus, via visa est, quae procedit ex *facto*, atque ab experimento, et quidem publico, universali, constanti, quodque a nemine in dubium vocari potest.

53. Duo enim ex historicis omnibus monumentis certa sunt, 1 universum humanum genus sibi relictum a veritatis tramite turpiter plus minus aberrasse, sive circa cultum, sive circa mores et officiorum principia; 2. nunquam populos revocari ad sana principia potuisse ex humana sapientia et industria. Jure proinde ex his inferimus, necessariam esse aliquam supernaturalem re-

velationem, tum ut homines dignum Deo cultum ac cetera quae hominis propria sunt amplectantur, tum ut in officiis ejusmodi contineantur. Sic igitur procedimus

PROPOSITIO I.

Ex eo, quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit, jure infertur divinae supernaturalis revelationis necessitas

54. Quum in prima propositionis enunciatae parte agatur de facto omnibus comperto atque ab omnibus admisso, nemine prorsus reclamante, possemus quidem illud supponere; juverit tamen nonnulla summatim attingere ex veteribus monumentis ad ejus confirmationem.

55. Ac primo quidem, gentes revelatione destitutas plures coluisse deos explorata res est. Astrolatria apud orientales praesertim populos, chaldaeos, persas, phaenices obtinuit (1). Fuit pariter apud antiquissimos orientales populos, ceu religionis ac theologiae ipsorum fundamentum, doctrina de duobus principiis (2), quae adhuc perseverat apud indos, et japones. Aliqui animantia bruta, imo et virgulta et caepas, ut aegyptii (3), fere omnes vero simulacra ut deos venerati sunt. Licet autem fateamur, non omnes fortasse adeo stolidos fuisse, ut ligna et lapides tanquam deos habuerint; si tamen ingenui sumus, nec apertissimis monumentis volumus contradicere, inficiari haud possumus, vulgo velut deos ejusmodi simulacra et habita et culta fuisse (4). Graeci et romani

(1) Cons. *Voyages de Cyrus*, par M. de Ramsay, in-8.
(2) Ibid.
(3) Conf. Jos. Flav. *Contra Appionem*, l. I, c. 9, n. 3, et l. II, c. 4.
(4) Conf. Gerdil, *Saggio d' istruzione teologica*, *De Deo uno*; ubi refert tyrios catenis vinxisse Hercu-

genios praeterea, heroes sive vivos sive defunctos ut numina venerati sunt (1); mitto dicere de reliquis gentibus, quippe nota historia est et pervulgata apud omnes.

56. Exploratum pariter habemus ethnicas gentes cupiditates et vitia omnia diis suis tribuisse, eosque cupiditatum omnium atque vitiorum patronos exhibuisse, uti legere est apud veteres poëtas, Homerum praesertim et Virgilium.

57. Certum denique est cultum omnem ethnicorum, obscoenas effigies (2), festa (3), sacrificia, in quibus non cruor tantum sed et ipse pudor sacrificabatur humanus (4), numinum gesta, praeterea templa (5), ritus, aliaque omnia, quae ad cultum spectabant vel referebantur, non fuisse nisi publicum perpetuumque scelerum quorumcumque et flagitiorum irritamentum; adeo ut cultum ejusmodi vere dixeris vitiorum omnium apotheosin. Non potest quin toto animo commoveatur et perhorrescat, quisquis legat, quae apud Originem (6), Tertullianum (7), Clementem Alexandrinum (8) et Lactan-

lis simulacrum, ne aufugeret; sic Guineae incolas hodiedum simulacra sibi confingere, quae vocantur ab ipsis *Fetiche*, quibus vim tribuunt ac virtutem divinam. Omitto, quae ex scriptura afferri possent monumenta, nec non ex Josepho Flav. Sed ad os obstruendum recentioribus incredulis, qui negant, veteres vere idola ut numina coluisse, satis est in medium proferre Horatii versus ex lib. 1, sat. 8:

Olim truncus eram, ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego.

(1) S. August. *De civ. Dei* l. II. c. 15.

(2) Ibid. l. VII, c. 21. Conf. insuper Bern. Montfaucon, *L'antiquité expliquée et représentée en figures*, Paris, 1719, tom. I et II.

(3) Conf. S. August. loc. cit. et alibi passim, nec non Montfaucon, op. cit. tom. II.

(4) Conf. Dionys. Halicarnass. l. I; Plin. l. XXVIII. c. I; Cleric. *in annot.* ad lib. I Hugonis Grotii *De verit. relig. christ.*; s. August. ep. 91, ed. maur.: *Non aves, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus immolatus intereat.*

(5) Haec omnia recensita pariter sunt a Grotio loc. cit. et a Clerico in suis annot. documentis comprobata tum ad lib. I tum ad lib. II.

(6) In lib. *contra Celsum*, praesertim lib. V.

(7) *In Apolog.* c. 14 et in lib. *De Idololatr.* c. I et seqq.

(8) In *cohortatione ad gentes.*

tium (1) de cruentis et obscoenis ejusmodi superstitionibus referuntur (2).

58. Et haec quidem de cultu ; ex quibus colligi facile potest, quid in universum gentes circa mores et senserint et fecerint. Corruptionis scholae erant ipsorum theatra atque spectacula (3); fornicatio neque inter vitia quidem recensebatur (4) ; paederastia passim recepta erat (5); sicut et infantium expositio , etc. ; adeo ut pudeat nos tot truculenta et nefanda vel meminisse , quae tamen publico usu cohonestabantur ac ipsis legibus sanciebantur.

59. His itaque leviter adumbratis, turpe quippe foret in his diutius immorari , sic breviter argumentum adstringimus. Quaecunque demum sit humanae rationis vis, sive in vero ac digno Deo cultu decernendo, sive in sanae ethices principiis expendendis, quam adeo et deistae et rationalistae extollunt ; factum tamen est publicum , universale et constans , per plura saecula nullum populum , sive barbarum sive excultum , quamdiu revelatione destitutus fuit, tum cultum, qui Deo dignus esset , eidem exhibuisse , tum in turpissimos errores contra sanae ethices principia prolapsum non fuisse. Necessarium igitur est medium aliud supra humanam rationem positum ad homines recte instituendos sive circa cultum sive circa mores. Jam vero istud aliud esse non potest nisi supernaturale atque divinum , seu quod idem est : Ex eo quod

(1) *De div. instit.* lib. 1 , qui inscribitur *De falsa religione* , tum passim in aliis earumdem institutionum libris. Sed prae ceteris vel inter ethnicos festive , ut solet , ridet Lucianus in dialog. *De sacrificiis.*

(2) Conf. *Mémoires pour servir à l'histoire de la religion secrète des anciens peuples ; ou Recherches historiques et critiques sur les mystères du paganisme* , par M. le baron de S. Croix. Paris , 1784. 1. vol. 8. ubi clarissimo in lumine totum hoc argumentum ponit.

(3) Satis est consulere Tertul. *Apologet.* c. 15 , tum *orationes* , quas in theatra habet s. Joan. Chrysost. Certe ipso Gibbon fatente , theatrum erat unus ex titulis, quibus poterant romani divortium facere cum propria uxore.

(4) Epictetus , *Enchiridii* , c. 47.

(5) Aul. Gell. l. XVIII. c. 2. , et l. XIX. c. 11 ; Plutarch. in opusc. *De liberis educandis*, ante fin. opp. tom. II. Parisiis , 1624.

nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit, jure infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas. Huic autem propositioni majus robur accedit ex demonstratione sequentis propositionis.

DIFFICULTATES

60. Obj. 1. Praecipuum humanitatis attributum, quo a brutis maxime ipsa secernitur, est *perfectibilitas;* hinc licet aliquandiu a recto honestoque ipsa aberraverit, 2. concludi non potest, semper populos in eadem ignorantia atque erroribus mansuros fuisse. 3. Proximae ejusmodi mutationis indicia sub finem romanae reipublicae sunt 4. generalis polytheismi contemptus, irrisio idololatricae superstitionis in ore philosophorum admodum frequens, de quibus fidem faciunt veterum scripta, Tullii praesertim inter latinos ac postea Luciani inter graecos; 5. quaedam denique ad mysticismum tendentia atque ad solitudinem, de qua inter ceteros Josephus Flavius (1) late disserit. 6. Non omnes praeterea ejusmodi superstitionibus et vitiis obstringebantur; 7. plena sunt enim historica monumenta praeclaris virtutum exemplis, quibus quovis tempore viri ac mulieres floruerunt, adeo ut 8. vel ipse Augustinus romanorum virtutes demiratus fuerit. 9. Unius summi Dei notio in hominum mentibus nunquam penitus obliterata est, nunquam discriminis ratio inter justum et injustum, ita ut facinorosi semper poenis ac publica fuerint ignominia mulctati. 10. Frustra propterea ex generali illa populorum conditione infertur supernaturalis subsidii necessitas: quum ejusmodi medium insitum sit in ipsa rationali hominum natura, et *eas notiones*, *quae ad re-*

(1) *Contra Appionem*, lib. II, c. 13.

ligionem pertinent, ut verbis Wegscheider (1) utamur, *soli homines quasi sanctissimum peculium sibi vindicant*; ergo.

61. Resp. ad 1. *D.* In scientiis vel artibus, quae nullam ad mores ac religionem dicunt relationem, *C.* in iis, quae ad religionem pertinent, *subdist.* si nihil obstet ex parte cupiditatum, illecebrarum et exempli, *C.* positis ejusmodi obstaculis *N.* Nullum utique dubium est, *perfectibilitatem* attributum esse humanitatis, at in iis, quae moralem vivendi rationem non attingunt. In his enim luctuosa experientia ostendit, quod homo sibi relictus in plura sive speculativa sive practica errorum monstra delabatur. Non enim in abstracto homo sive humanitas spectari debet, sed in concreto, prout est malis cupiditatibus abstractus et illectus, pessimis exemplis circumventus, praejudicatis opinionibus, quas ab infantia hausit imbutus, publica ac universali apud suos agendi ratione quodammodo raptus. Quanta vero horum omnium vis sit, graphice more suo Tullius (2) his verbis declarat: *Nunc* (natura) *parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nunquam naturae lumen appareat;... simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat... Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a natura-*

(1) Op. cit. proleg. c. 1, § 10, n. (a).

(2) Tuscul. disput. lib. III, c. 1. edit. Taur. opp. tom. XII.

que desciscimus. Ex quibus apparet, in re, de qua sermo est, hominem sibi relictum non in melius ferri sed in pejus ruere perpetuo atque dilabi.

62. Ad 2. *N.* Ut patet ex dictis: alioquin quo populus adultior fit, eo fieret perfectior magisque ad veritatem ac virtutem accederet; at experientia, monumentis historicis confirmata, contrarium ostendit; ex ea enim dignoscimus, eo puriores sive quoad cultum sive quoad mores fuisse populos, quo magis ad suam, ut ita dicam, infantiam accedunt; e contrario eo deteriores factos, quo magis ab ipsa recedunt. Sinenses profecto, quorum imperium antiquissimum est, quum neque scientiis neque artibus sint destituti, debuissent summam perfectionem attingere; attamen in suis superstitionibus ac in morum pravitate permanent, imo et deteriores sunt quam fuerunt tot retro saeculis, prout et in ceteris populis evenit.

63. Ad 3. *N.* Ejusmodi enim indicia nil aliud evincunt, nisi romanam rempublicam epicureismi praesertim vi et impulsu in proximam venisse tum religiosam tum socialem dissolutionem, servatis primaevis institutis et cujusdam probitatis ac honestatis naturalis reliquiis. Ceterum multitudo nusquam adeo foede corrupta fuit, quam ubi superstitioni fuit dedita.

64. Ad 4. *D.* Ex parte epicureorum, ideoque et atheistarum practicorum, qui maxime tunc Romae dominabantur, *C.* ex parte magistratuum et populi *N.* Ejusmodi enim philosophi non solum polytheismi atque idololatriae, sed omnis prorsus religionis contemptum inducebant, quin defectui religionis quidpiam substituerent, ea ferme ratione qua aetate nostra sese gesserunt ac gerunt deistae, qui religionem christianam diruere contendunt, quin ipsi, quae humanae societatis et vinculum et columen est, quidquam substituant ad extremam perniciem avertendam. Quod vero spectat ad magistratuum ac populi sensa circa polytheismum atque idolola-

triam, trium saeculorum odium et immanis furor adversus Christianos ea satis manifestant.

65. Ad 5. *D.* Respectu singulorum, *Tr.* multitudinis *N.* Recolantur ante dicta. Josephus porro loquitur de tali dispositione ex commercio cum judaeis, seu potius cum christianis, qui disseminari coeperant per imperium romanum.

66. Ad 6. *D.* Id est nonnulla eaque paucissima individua ab universali illa superstitione ac morum foeditate sibi temperarunt *Tr.* vel *D.* subsidio primavae revelationis vel communicationis cum judaeis, *C.* per se *N.* Ut distinctio magis fiat perspicua, observandum in primis est, aliud esse loqui de multitudine, aliud de singulis individuis; porro quum dicimus imparem esse humanam rationem medicinae hisce malis faciendae, de populis sive multitudine disserimus, ut *ex facto* ostensum est; quod autem attinet ad individua singula humanae speciei, absolute loquendo potuissent utique ab hac universali superstitione ac morum foeditate evadere, alioquin forent excusabilia; et nonnulla quovis tempore fuerunt quae ad instar insularum natantium integra inviolataque in mediis debacchantis licentiae fluctibus perstiterunt ad divinae providentiae justificationem; non tamen dederim homines istos singulares hoc esse consequutos vel absque subsidio primitivae revelationis, quae, ut infra invicte probabimus, ad omnes gentes pervenit, vel saltem absque communicatione cum verae religionis cultoribus. Hinc nova vis accedit stabiliendae supernaturalis revelationis necessitati.

67. Ad 7. *Tr.* Ejusmodi enim singularia exempla non destruunt factum generale et constans, quod nos adstruximus; nec infirmant argumentum, quod inde confecimus. Recolantur modo dicta in resp. ad 6. Addimus non ex uno vel altero praeclaro facinore, sed ex complexu perpetuitateque recte factorum oriri rectam vivendi rationem.

Non vacat hic, neque praestat in ejusmodi praeclara gesta, quae tantopere jactant adversarii nostri, intimius inquirere.

68. Ad 8. *D.* Respective ad alias gentes, in ipsorum infantia et quidem abstractione facta a falso deorum ac daemonum cultu, *C.* absolute *N.* Etenim s. Augustinus (1) haec scribit: *Veteres igitur primi Romani,... quamvis ut aliae gentes, excepta una populi Judaeorum, deos falsos colerent, et non Deo victimas sed daemoniis immolarent, tamen laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant; hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac et mori non dubitaverunt; ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt.* En, quo sensu commendet et sub quali restrictione; igitur factum a nobis statutum confirmat. Ceterum quid senserit Augustinus de Romanorum moribus primi ejus libri *de civ. Dei* aperte declarant.

69. Ad 9. *D.* Ita tamen, ut eas innumeris prope superstitiosis deorum cultibus et erroribus homines foedaverint ac fere soffocaverint, *C.* germanas et sinceras conservarunt *N.* ut patet ex dictis. Damus utique nunquam penitus obliteratum illud, ut Tertullianus (2) vocat, *testimonium animae natura liter christianae;* at incredibile dictu est, quot absurdis commentis ethnici ideam istam depravaverint, quod nemo certe in dubium vocabit. Idipsum dicatur de generalibus notionibus animae insitis de justo et injusto, de virtute ac turpitudine, quas notiones in applicatione atque in praxi ex generali illa ac publica morum perversitate pessime distorserant atque corruperant, quidquid tandem de singularibus casibus senserint.

70. Ad 10. *D.* Si rem in abstracto spectemus, *Tr.* si in concreto, ita ut absque ullo externo ac supernaturali

(1) *De civ. Dei*, lib. v, c. 12. (2) *Apolog.* c. 17.

subsidio homines sive populi officia ejusmodi et cognoscant et praestent *N*. Theoriae omnes ac ratiocinationes factum universale et constans non destruunt ; porro factum contrarium evincit, quidquid sit de nativa rationis vi et efficacia, de qua hic non inquirimus. Hinc praeoccupata sunt, quaecumque deistae ac rationalistae congerunt, videlicet ex nomine legis *naturalis*, quae sic a *natura* dicitur, tum quia paucissimis ac simplicissimis veritatibus concluditur ac continetur, tum quia indita a Deo est humanae naturae, tum postremo quia invincibilis non est talis aberratio, aliaque id genus ingeniose excogitata, quae nulla ratione attingunt factum a nobis propositum, quodque inficiari adversarii non possunt, nisi velint omnia historica monumenta convellere.

PROPOSITIO II.

Ex eo quod nulla humana sapientia aut industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursum infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas

71. Rursum et in hac propositione *factum* adstruitur extra omnem dubitationis aleam positum.

72. Licet enim omnes Aegypti sacerdotes sive sapientes, Indorum gymnosophistae, Persarum magi, graeci ac romani philosophi sapientiae studuerint, scholas atque academias instituerint, sectas informaverint, et quidem per longum annorum et saeculorum tractum ; certum tamen est, ipsos impares omnino fuisse populis ad veri numinis cultum ac veritatis cognitionem adducendis, idque ex triplici ipsis inhaerente defectu. Ex defectu nempe *unitatis*, ex defectu *auctoritatis*, ex defectu *sanctionis*.

73. Ac primo quidem ex defectu *unitatis* ; quum semper non solum scholae, sectae et academiae, sed et phi-

losophi singuli a se invicem discreparint in tradendis religionis ac morum institutionibus. Quod enim schola una, academia aut secta probabat ab aliis impugnabatur, nec raro discipuli in magistros insurgebant, adeo ut omnes philosophiae epochae in scepticismum delaberentur (1) ob unitatis ac consensus defectum; impares proinde se reddebant ad propria placita populis suadenda.

74. Ex defectu insuper *auctoritatis*; auctoritas enim ista non erat *personalis*, ut patet, cum nulla potestate in populos pollerent, non *doctrinalis*, siquidem ad summum doctrina in sui admirationem populos rapuisset, non vero ad relinquenda cupiditatum oblectamenta, quibus nimis abducebantur, induxisset. Non *realis*, non quaevis alia, qua semper destituti fuerunt. Accedit nimia eorum facilitas in sese accommodando populorum superstitionibus, sive ad eorum ac magistratuum vindictam et poenas declinandas, sive ad propria commoda tuenda, adeo ut tanquam in dogma erexerint principium de *accommodatione* (2). Quare vel ipse Socrates, qui

(1) Cons. *Histoire comparée des systèmes de philosophie considérée relativement aux principes des connaissances humaines*, par M. Gérando; in qua auctor quinque philosophiae epochas distinguit, quarum 1. incipit a Thalete et desinit in Protagoram, qui suis sophismatibus dubium circa omnia movet. Altera exordium habet a Socrate, qui coepit impugnare scepticismum, deinceps a Pyrrhone instauratum. Postea Epicurus venit cum suis principiis physicis moralitatis; tum sequitur Zeno cum suo fato, quem sequuntur Arcesilaus et Carneades, qui finem imponunt huic epochae. 3. Epocha complectitur vicissitudines philosophiae quae Romae et Alexandriae obtinuit usque ad saec. VI, quo omne philosophiae studium barbarie superveniente extinguitur. 4. Comprehendit totum illum temporis lapsum qui a saeculo VI ad XVI protenditur. 5. Initium ducit a tribus summis reformatoribus, Bacone in Anglia, Cartesio in Galliis, Leibnitzio in Germania ac ad Kantium usque pertingit, qui Baconem, Cartesium ac Leibnitzium immutat, statuitque philosophiam *experimenti*, et ad hanc appellat auctor. Ast nonne rectius post tot saecula ab hac ad EXPERIMENTUM PHILOSOPHIÆ posset appellari? Eccur non simul utraque conjungitur, religio nempe ac philosophia, prout in sua origine conjunctae erant? *Nous la reverrons*, inquit cl. Comes J. De Maistre, *la superbe alliance de la religion et de la science; ils reviendront ces beaux jours du monde, où toute science remontait à sa source.* Traduct. du Traité de Plutarque intitulé: *Des délais de la justice divine.*

(2) Erat enim commune apud ipsos

vulgo perhibetur monotheismi martyr, teste Xenophonte (1), ejus biographo et apologeta, passim patriis diis immolabat.

75. Ex defectu demum *sanctionis*; cum nulla ipsi auctoritate sua vel praemia vel poenas praeceptorum suorum observatoribus vel transgressoribus proponere potuerint, atque irriderent, quae poëtae de elysiis vel stygiis sedibus cecinerunt (2). Jam vero quid juvant eloquentissimi quique tractatus de virtutibus ac vitiis ad populos absque certa sanctione vel ad virtutem adducendos vel ad retrahendos a vitiis?

76. Dixi vero *ex triplici defectu ipsis inhaerente*, non solum ut rationem redderem facti propositi, verum etiam, ut innuerem adversus nostros deistas ac rationalistas, nec ipsos triplici hoc defectu laborantes aut nunc esse aut unquam pares fore, seposita revelatione divina ac supernaturali, ad hoc idem praestandum, quod veteres philosophi minime praestare valuerunt (3).

receptum effatum: *Expedire falli in religione civitates.* Quare August. etiam ex hac parte veteres arguit philosophos, De civ. l. VII, c. 10., ubi de Seneca scribit: *Colebat, quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat.* Sic etiam Epictetus, *Ench.* c. 38. principii loco statuebat: *Libare autem et sacrificare et primitias offerre secundum patrios mores unumquemque decet.* Σπένδειν δὲ καὶ θύειν καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια, ἑκάστοις προσήκει.

(1) Xenoph. *De factis et dictis Socratis memoratu dignis*, l. I, c. I.

(2) Apposite J. J. Rousseau in *Emile* l. III. p. 187, ita philosophum alloquitur: *Frustra virtutem statuere ac confirmare unius rationis ope conaris: nam quo unquam fundamento illam poteris sustentare? Praeclarae quidem sunt tuae de moribus leges, sed earum cedo, quaeso, sanctionem! Age, quid aeterno inferorum igni suffectum vis?*

(3) Sic graphice describit idem J. J. Rousseau deistas seu philosophos: *Philosophos*, inquit *consului, eorum libros pervolvi, ac varias opiniones expendi; agnovi omnes animorum plenos affirmantes audacter, etiam in rebus dubiis ex tripode judicantes, qui scire se omnia profitentur, extricent nihil, sese invicem irrideant; quod quidem commune omnibus id mihi visum est, in quo minime hallucinentur. Elati et quasi ovantes, quum alios petunt; quum ipsi petuntur, fracti et abjecti; si eorum argumenta explores, nulla plane invenies nisi ad evertendum aliquid comparata; si suffragia recenseas, id quisque fert, quod sibi quisque tribuit: nulla quidem in re nisi in contendendo sibi invicem cohaerent; cum ipsi uni veritatis lumine illustrati, candidi, fide digni videri volunt, tum nos jubent*

77. His igitur sic constitutis ita perstringimus argumentum : res facti indubia est, humanam sapientiam et industriam non valuisse populos revelatione destitutos revocare ab illa generali defectione sive circa cultum sive circa mores, nec potuisse, etsi enixe id voluissent, nec posse, etsi vehementer vellent, ex triplici proposito defectu ; ergo necessarium est ad hoc praestandum subsidium aliquod extra humanam conditionem positum, quod triplicem nuper expositam conditionem praeseferat. Atqui tale subsidium esse non potest nisi divina supernaturalis revelatio, quae sola principium in se continet tum unitatis, tum summae auctoritatis atque efficacissimae sanctionis ; ergo ex eo quod nulla humana sapientia ac industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursum infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas.

DIFFICULTATES

78. Obj. cum Ammon et Wegscheider : 1. *Rationem*, quatenus suprema ejus virtus dignoscitur in *ideis* concipiendis, quaeque ipsa recte dicitur *idea*, homini a Deo datam esse facultatem, non excultam, sed assidue excolendam constat, ejusque aciem adjuvantibus tantum rebus faustissimis, a Dei providentia repetendis, ita *curari* posse, ut ne obscuretur errorum tenebris. Quapropter 2. distinguendum est inter rationem in *abstracto* et in *concreto*, uti dicitur, cogitatam. 3. Neque vero dubitari potest, quin in rebus gravissimis, quae ad religionem et honestatem tuendam pertinent, itemque in praeceptis artis logicae omnes fere philosophorum scho-

quodammodo ipsorum dicto acquiescere, et putida atque absurda commenta pro veris ac certis principiis obtrudunt. Emile, tom. III, p. 21.

lae mirifice inter se conveniant; et 4. inter ipsos scriptores, quos profanos dicimus, et quos *injuste aversantur atque calumniantur tenebrarum patroni*, haud paucos esse constat, qui praeclaras de religione ac virtute sententias, Jesu Christi decretis ac praeceptis haud absimiles in medium protulerint. 5. Contra inter eos ipsos, qui eamdem revelationem sequi se professi sunt, magna opinionum diversitas obtinuit; 6. nec illa revelationis auctoritas impedire potuit, quominus ejus asseclae ad superstitionem erroresque alios non modo ineptos sed etiam perniciosos delaberentur. 7. Quod si vero Deo placuisset, omnes omnibus temporibus idem prorsus sentire de rebus divinis, ita ut ipsa forma et involucra idearum ad religionem pertinentium omnibus eadem essent, certe sapientissimis praesidiis id effecturus fuisset. Ergo. Ita citati auctores. (1).

79. Resp. generatim *D.* Et haec respiciunt meram ab ipsis excogitatam possibilitatem, *C.* destruunt factum a nobis constitutum *N.* Ejusmodi enim theoriae non sunt nisi imaginariae, et ab existentia revelationis illius originem ducunt, quam per summam injuriam ipsi impugnant, ut inferius ostendemus; sed nullo modo attingunt argumenta, quae ex facto deducuntur. Quid enim effecerunt veteres philosophi ad populorum illustrationem? Quid efficiunt deistarum ac recentiorum rationalistarum conatus, nisi corruptionem populorum, et juventutis sibi commissae?

80. Resp. singillatim; ad 1. *N.* Experientia enim contrarium evincit, ut ex dictis patet, quaecunque demum vis in ratione supponatur. Non agitur de eo, quod *possit*, sed de eo, quod *fecerit*.

81. Ad 2. *D.* Et supposita qualicunque distinctione ob

(1) Ammon, *Der rechte Standpunct*, Lips. 1822, p. 19. Wegscheider, op. cit. prol. c. 1. § 11, n. (a).

ob vitium eidem inhaerens impar semper est humana ratio effectui obtinendo, quem adversarii praetendunt, *C.* secus *trans.*

82. Ad 3. *N.* Quam enim mirifice philosophorum scholae inter se conveniant, si sermo sit de recentioribus, vidimus ex J. J. Rousseau, et patet ex perpetuo rationalistarum conflictu et pugna, quae in Germaniae scholis adhuc viget, et ex eorum libris. Si sermo sit de antiquioribus, patet ex historia philosophiae ejusque diversis sectis stoicorum, epicureorum, pyrrhonistarum, cynicorum, etc. (1). Quid porro commune habeant artis logicae praecepta cum gravissimis rebus, quae ad religionem et honestatem pertinent, non video.

83. Ad 4. *D. Praeclaras de religione sententias* absque fundamento, absque conjunctione et fine, et quidem generales et theoreticas, *C.* systema religionis ac ethices ex omni parte absolutum, bene connexum ac practicum *N.* Aliud porro est nonnullas sententias, tractatus etiam ac dissertationes edere de religione ac moribus et quidem speculativas et generales, quod fieri utique ab antiquis philosophis potuit, multoque magis a recentioribus, qui tot subsidiis religionis instructi sunt, atque interdum factum esse concedimus; aliud autem integrum, absolutum ac bene constructum praebere totius religionis atque ethices aedificium cum solido fundamento sive auctoritatis sive unitatis atque sanctionis, nec non cum applicatione generalium principiorum ad praxim, quod nusquam ab ipsis factum est, ac seposita revelatione nunquam fiet. Nunquam convenerunt in hominis fine constituendo; nunquam in certis ethices naturalis atque obligationis principiis constabiliendis; nunquam stabiles re-

(1) Cf. Plutarch. *De placitis philosophorum*, praesertim l. IV. opp. fol. ed. Paris. 1624. tom. II. Itaque mirifice scholae philosophorum inter se conveniunt solum in dissentiendo. Philosophorum item clamores, aores disputationes, dissensiones graphice describit Lucianus in dialogo: *Bis accusatus*, c. II et seqq.

gulas ad applicanda casibus particularibus principia virtutis, probitatis atque honestatis exhibuerunt; nunquam fines statuerunt, qui praecepta a consiliis seu a perfectione secernant et varios culpae gradus determinent; nunquam motiva omnibus communia et valida ad impellendum hominem ad virtutem, et retrahendum a vitiis proposuerunt. Mira semper in his omnibus aliisque, a quibus recensendis brevitatis gratia abstinemus, viguit ac viget inter philosophos deistas ac rationalistas varietas, qui propterea nunquam ethicen populorum indigentiae accommodatam dare potuerunt, nedum cultus, ut ipsi vocant, theoriam (1). Quare *tenebrarum patroni*, (id est, catholici seu supernaturalistae) neque *injuste aversantur* neque *calumniantur* scriptores profanos, sed factum referunt, quod nostri lucis amatores nunquam destruent.

84. Ad 5. *D.* Inter eos, qui eamdem revelationem sequi se professi sunt, sed mutilam ac rejecto ecclesiae magisterio, magna opinionum varietas obtinuit imo et obtinet, *C.* qui integram sub auctoritate ecclesiae, *subdist.* in opinionibus levioris momenti, quae nec religionis nec doctrinae moralis attingunt substantiam ac nondum definitae sunt, *C.* secus *N.* alioquin jam non sunt catholici.

85. Ad 6. *D.* In refractariis et perduellibus, *C.* in catholicis sinceris *N.*

86. Ad 7. *D.* Si hominibus iis uti placuisset, *C.* si propria sensa potius quam legitimam auctoritatem a Deo constitutam sequi maluerunt *N.* Deus homini nunquam defuit, ut infra ostendemus, sive per primitivam revelationem, sive per constitutam a se ecclesiam: omnia

(1) Lockius in suo *Specim. intell. hum.* lib. I, c. II, innumera prope exempla varietatis ejusmodi exhibet, quae inter veteres et recentiores populos et philosophos obtinuit. Quod pariter praestitit Helvetius, *serm.* 30, c. 13. Consulatur de hoc argumento Spedalieri, *Diritti dell' uomo* l. IV. c. 14. et seqq, necnon Manzoni, *Sulla morale cattolica*, c. 3. *Sulla distinzione di filosofia morale e di teologia*: ubi egregie hoc argumentum evolvit.

*

enim suaviter fortiterque ad finem suum perducere maluit, quin vim inferre videretur humanae libertati, cui consultum ipse omni ratione voluit; etsi maxima in se esset atque efficacissima divinitus a se constituta auctoritas. Sed si hominibus magis placuit evanescere in cogitationibus suis, quam eidem obtemperare, sibi imputent, si ortae divisiones sunt.

PROPOSITIO III.

Cum humana ratio ex se motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos, iterum necessitas jure infertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, quae naturali rationis lumine cognosci possunt

87. Et hic *factum* enunciamus quod ab ipsa experientia eruitur; damus enim libenter philosophis, deistis ac rationalistis, humanam rationem cognoscere posse, teneri hominem ad cultum supremo numini praestandum, animam immortalitate esse praeditam, praemia poenasve ipsam manere post mortem, vitium esse fugiendum virtutemque sectamdam aliaque id genus plurima, sola etiam inspecta naturae humanae conditione ejusque ad Deum relatione. At ubi humanorum animorum sinus introspiciantur, inficiari ipsi non possunt ejusmodi notiones sufficientes non esse ad hominem ita regendum, ut in omnibus rerum adjunctis in officio ipse se contineat atque ex virtute agat.

88. 1. Quia non omnes, imo plerique non assequuntur vim naturalium ejusmodi demonstrationum, praesertim quod non pauci philosophi eas in dubium revocaverint, imo aperte negaverint (1).

(1) Cons. Cic. *Academ. Quaest.* edit. Taur. 1829. opp. tom. XII. lib. II, praesertim c. 37 et seqq.

89. 2. Quia saepe dantur difficilia rerum adjuncta, in quibus homo constitutus ac sibi relictus, si alia non habeat motiva praeter ea, quae ratio illi praebet, aegre omnino, imo nullo modo adducitur ad sectandam virtutem atque ad injustam actionem vitandam; ut cum in aestu vehementis cupiditatis reperitur, vel cum agitur de famae ac vitae periculo, in injustae potentium virorum insectationis discrimine, quibus vulgo homines cedunt (1).

90. 3. Quia, qui in conflictu reperiuntur, facile sibi suadent, in ejusmodi casibus hominem non obligari ad tale vel tale facinus, dubia iis insurgunt de demonstrationis vi ac veritate, mens obnubilatur, nec videt amplius, quod antea evidenter cognoscere sibi videbatur; in subsidium adsciscit sapientium dubia, falsum dictamen facile adoptat.

91. 4. Quia, quum ratio nonnisi generalia suppeditet principia sive circa cultum sive circa vitae futurae praemia vel poenas, nec determinet in particulari quo cultu, quibus in specie obsequiis divinitatem sibi homo demereri possit; quaenam nos maneant praemia, quaenam poenae et quamdiu duraturae, praesertim quum poenae juxta deistas aeternae esse non possint; inde fit, ut omnem penitus vim amittant, et homo haereat perinde ac si eas non cognosceret, praesertim si vitium utile sit, et virtus circumsepta et obsita difficultatibus, ut passim evenit.

92. 5. Quia haec omnia confirmantur ex agendi ratione veterum philosophorum (2), ac praesertim recen-

(1) Cons. Roberti S. J. *Della probità naturale*, parte 2, ubi sex obstacula recenset, quibus homines sola naturali probitate ducti a virtute retrahuntur, quod pluribus illustrat exemplis ductis ab historia antiqua et recentiori. Cons. pariter Card. Gerdil, Diss. *Della origine del senso morale*. edit. Rom. opp. tom. II.

(2) Sic de sui temporis philosophis scribebat Cicero, *Quaest. Tusc.* lib II. c. 4. *Videre licet alios tanta levitate et jactatione, ut iis fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos ut cum eo-*

tiorum deistarum, eorumque omnium, qui ipsorum sectantur principia, omni revelatione seposita. Publice enim nullam isti, ut plurimum, religionem exercent, vitiis diffluunt, dilectionis et charitatis actus in proximum, in arduis praesertim, vel omnino negligunt vel parvipendunt. Et haec quidem illi, qui de probitate quadam naturali atque honestate gloriantur, quibus ad honeste tamen vivendum tot insunt praesidia, sive ex domestica institutione, sive ex quadam laudis et gloriae cupidine, ex quodam decore, virtutique insita vi, etc. Verum quid de infimae plebis hominibus, quibus talia principia communia fierent?

Jam vaga prosiliet frenis natura remotis (1).

Omnibus nempe cupiditatibus simul ac libertas omnis tribuitur, nullum vitium est, in quod flagitiosissimi non ruant ad omnia parati, nec ulla ratione contineri possunt, ut luctuosa experientia evincit, perinde nempe ac si nec Deus esset, nec ulla vel praemia bonis vel poenae malis essent constitutae.

93. Unde sic ratiocinamur: Data qualicunque humanae rationis vi in agnoscendis officiis, quibus homines erga Deum, proximum ac semetipsos obstringuntur, quum in humana ratione nulla sint motiva sufficientia et omnibus accommodata, quae efficaciter in omnibus rerum adjunctis impellere valeant homines, eosque vel in officio continere vel retrahere a vitiis, ut ex facto experientia omnium saeculorum comprobato evincitur, velint nolint deistae ac rationalistae, necesse est vel ut homines sine ullo freno brutorum more dimittantur ingenti omnium jurium ac societatis jactura, vel ut existat aliquod motivum extra humanam naturam positum, quod illa omnia praestet, divina nempe ac supernaturalis revelatio; seu quod idem est: Cum humana ratio ex se

rum vita mirabiliter pugnet ratio; quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Cons. Roberti, *Della probità naturale.*

(1) Horat. lib. II, sat. 7.

motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos ac retrahendos a vitiis ; iterum necessitas jure merito infertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, quae naturali rationis lumine cognosci possunt (1).

DIFFICULTATES

94. Obj. 1. « Ipsa humanae mentis natura et summi numinis idea recte efformanda omnem excludunt supernaturalis revelationis necessitatem ; quemadmodum enim omnia alia animantia iis viribus praedita sunt, quibus naturae suae fines attingere possint, ita procul dubio homines ratione sibi concessa praestant reliquis animantibus, eisdemque facultas data est ea omnia intelligendi et observandi, quae ad summos humani generis fines obtinendos, scilicet ad officia tuenda et ad religionem colendam, spectant. Deinde 2. homo, simul atque eo pervenit, ut rationis et officii sui sibi conscius sit, necesse est rationem teneat tanquam supremam cognoscendi vim, cujus decreta in omnibus vel cogitationibus vel actionibus servare debeat. Quicumque autem, spreto hoc rationis humanae principatu, revelationis, quae modo supernaturali ad certos homines delata dicitur, eam esse auctoritatem statuit, ut ei sine ulla dubitatione caeco quodam instinctu aut sensu parendum sit, is veram hominis naturam ac dignitatem tollit atque evertit. 3. Humana mens legibus cogitandi ipsi innatis subjecta, quaecumque vel sensuum ope perceperit, vel cogitatione ac meditatione repererit, proxime quidem ad causam

(1) Optime S. Thom. p. 1. q. 1. ostendit, quod circa *ea etiam, quae de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum homini perveniret, a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est.* Eadem inculcat et fusius evolvit tum 2. 2. q. 2. art. 4. in corp., tum *Contra gentes* lib. 1, c. 4.

aliquam in mundo sensibus obvio vel ad origines in ipsa mente latentes referre cogitur ; ideoque stultae esset arrogantiae , si causam eventus in rerum natura observati aut origines verae religionis inter homines deprehensae in animae facultatibus reconditas non statim perspexerit , eas prorsus negare velle , et supernaturalem ac miraculosum eventum fingere , cujus certa quaedam nota demonstrari omnino nequit. Si qui autem sunt , qui *supernaturalismum* , ut vocant , *rationalem* tuiti , religionem christianam rationi prorsus convenire censeant , nihilominus tamen eamdem supernaturali modo revelatam esse contendant , ii leges cogitandi a Deo ipso homini datas transgrediuntur ; nam quaecunque religionis doctrina menti humanae dicitur plane convenire , ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accomodate repetatur necesse est. 4. Quum plures religionis doctrinae , quae vulgo *positivae* dicuntur , revelationis divinae ejusque supernaturalis ac miraculosae dignitatem sibi arrogaverint , nisi quis caeco quodam arbitrio alteram alteri praeferre velit , nulla alia est ratio et via eas examinandi , quam ut illarum placita cum iis , quae via naturali rectae rationis de Deo ejusque voluntate ipsi innotuerint , diligenter componat et ad hanc normam sine omni superstitione exigat. Nam qui hac norma in exploranda religionis , quae supernaturalem se profitetur , veritate uti noluerit ei verendum esset , ne , si forte daemon aliquis aut homo se Dei legatum profiteretur , aut falsa aut mala pro veris et honestis venditare auderet , placita summo numine indignissima tanquam ab ipso revelata sibi obtruderentur. Quot mala facinora , neglecta rationis cultura , obtentu numinis , et revelationis divinae inter homines patrata sint , historia gentium abunde docet. 5. Accedit , quod omnino nulla revelatio , quae sicut historia aliorum testimoniis nititur , tam certam potest nobis persuasionem afferre , quam quae ex ratione proficiscitur , cujus decreta ho-

mini sua ipsius conscientia innotescunt. Quo magis autem religio intimae humanae mentis conscientiae insita fuerit atque impressa, eo certius homo beneficam ejus vim in variis vitae humanae vicissitudinibus experietur. 6. Denique argumentum speciosissimum, quo revelationem supernaturalem ostendunt (*supernaturalistae*), *petitionis principii*, quod vulgo dicitur, vitio premitur. Id enim sumitur ex iis, quae in aliquo libro, qui modo quodam supernaturali confectus esse perhibetur, leguntur. Huic autem ipsi fidem esse adhibendam hoc argumento scilicet persuadere conantur, quod supernaturalem revelationem contineat. Itaque demonstrandum pro demonstrato ponunt. Ac si quis, ut fit, rationis humanae imbecillitatem religionisque naturalis insufficientiam e peccato originali, ex lapsu protoplastorum scilicet oriundo, demonstrare velit, is sane in eodem errore versabitur. Nec minus in eamdem reprehensionem incurret quicunque argumentationibus e ratione et philosophia deductis fidem *religiosam*, a ratione et philosophia plane alienam, ad earum praecepta non esse exigendam statuerit; ergo. » Hactenus Wegscheider (1) ad suum rationalismum statuendum.

95. Resp. generatim *D*. Et haec usque adeo non destruunt factum a nobis statutum, ut ne attingant quidem, *C*. destruunt vel attingunt *N*. Stat adhuc tota argumenti a nobis inde deducti firmitas, stant omnia quae nexu legitimo ex eo consequuntur. Sed jam expendamus singula ab adversariis asserta.

96. Ad 1. *N. A.* Ad arg. sive rationem *N*. paritatem Cetera enim animantia, cum instinctu ac necessitate agant, iis utique mediis omnibus a natura instructa esse necesse est, quibus finem suum attingant. At vero homines, cum ratione ac libertate praediti sint, possunt utique a

(1) Op. cit. proleg. c. 1, § 11. Quod si cuipiam videri possint obscurae ejusmodi difficultates ita expositae, meminisse is debet illas de verbo ad verbum ex citato auctore esse desumptas.

fine suo aberrare, prout eos sive quoad religionis cultum sive quoad officiorum observantiam revera et aberrasse olim et nunc quoque temporis turpiter aberrare historia et experientia testantur; quibus insuper edocemur nunquam per se homines a publica ejusmodi et universali aberratione eximi potuisse vel posse, ut ostensum a nobis est, absque externo aliquo adjumento, quo non solum rite instituantur, sed praeterea ad exequenda ejusmodi officia moveantur et impellantur. Hac ratione non solum hominis naturae et dignitati opportune provisum est, sed praeterea etiam homo ipse et tutius ducitur, et occasio ei praebetur tum exercendi virtutes sibi proprias, tum melius divinas perfectiones cognoscendi.

97. Ad 2. *D.* Id est, posita gratuita hypothesi de plena officiorum cognitione et motivorum ad illa efficaciter adimplenda, *Tr.* vel *C.* sublata ejusmodi hypothesi *N.* Et hoc est praecise de quo quaeritur; omnium porro saeculorum experientia et factum ipsum ejusmodi hypothesin destruunt. Rationalistae igitur vere principium petunt, dum assumunt, quod esset probandum, et falsum omnino est. Ad conf. *quicunque autem spreto hoc rationis*, etc. *D.* id est, qui rationi non tribuunt nisi eam partem, quae ei competit, *N.* qui nullo modo rationem consulunt, imo et excludunt atque spernunt *C.* Hoc vero non contendunt, qui rationem revelationi subjiciunt. Perperam proinde affirmant rationalistae, caeco instinctu aut sensu ab homine parendum esse supernaturali revelationi, quae rectum rationis usum nunquam proscripsit, imo commendat. Rectae propterea rationis munia in revelationis negotio in eo sita sunt, ut expendat fundamenta, quibus haec innititur, et deinde, hac semel constituta, se submittat in iis, quae ejus captum excedunt, quod ratio ipsa dictat; in ceteris vero, quae ejusdem aciem minime superant, plura habet, in quibus se exerceat, ea evolvendo, quae per revelationem didicit. Haec autem

agendi ratio nullatenus veram hominis naturam tollit atque evertit, ut ipsi autumant, sed impedit, quominus natura ac dignitas humana rursum concidant, prout revera hoc destitutas praesidio concidere necesse est.

98. Ad 3. *D.* Nisi certo constet ab alia causa, quam a naturali esse repetenda, *C.* alias *N.* Et hic rursum principii loco constituunt adversarii (qui nos arguunt petitionis principii) quod falsum est; asserunt et supponunt, sed non probant, humanam rationem absque externo ac supernaturali subsidio tum omnia religionis ac morum praecepta agnovisse tum motiva ad ea exequenda, quod est contra factum. Scilicet quidpiam constanti vultu tanquam ex delphico tripode asserere et illud argumentis stabilire non idem est. Primum illud optime adversarii nostri praestant, alterum negligunt. Ad Prob. *stultae esset arrogantiae*, etc. idem esto responsum; addatur non fingi a nobis *supernaturalem ac miraculosum eventum*, cujus certa quaedam nota demonstrari omnino nequeat, sed plane demonstrari, prout evidenter patebit, cum sermo erit de divinae revelationis existentia, ubi pariter ostendemus certas quasdam esse notas ad supernaturalem ejusmodi eventum secernendum. Ad Conf. *si qui sunt, qui supernaturalismum . . . ii leges cogitandi . . . transgrediuntur*, etc. *N.* Aliud enim est, facta revelatione earum veritatum, quae in naturae ordine continentur, deprehendere eas consentaneas esse rectae rationis principiis, quod factu difficile non est; aliud vero illas omnes veritates, seposita revelatione, cognoscere, quod adeo difficile est, ut nedum integri populi plurium saeculorum decursu, sed vel ipsi sapientissimi philosophi in eo caecutiverint et toto coelo erraverint, ut ex facto ostendimus (1). Duo haec adversarii commiscent in

(1) Plato communionem uxorum in sua republica admisit. Socrates Theodotam quamdam meretricem docet artem homines alliciendi, apud Xenophontem *De dictis et factis mirabil.* lib. IV, c. 11. Epictetus *in*

sua thesi, quae commisceri nec possunt nec debent. Hinc negamus illationem : *quaecumque religionis doctrina menti humanae prorsus dicitur convenire, ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accommodate repetatur necesse est*; detecto enim sophismate, ejusmodi illatio evanescit. Adnoto practerea, tanquam certum rursus assumi ab adversariis divinam revelationem non complecti nisi eas veritates, quae ordinem naturalem non praetergrediuntur; complectitur autem revelatio plures alias veritates, quae humanae mentis aciem superant, ut suo loco ostendemus, quare rursum peccat adversariorum argumentatio, et eo laborat vitio, quod falsi suppositi vulgo dicitur.

99. Ad 4. *D.* Et inde sequitur rationem per se posse omnia religionis et morum officia cognoscere, vel cognita ab ipsa fuisse seposita revelatione, *N.* ut patet ex dictis; sequitur rationem propositas sibi morales veritates cognoscere tanquam rectis principiis congruentes *C.* Recolantur nuper dicta in resp. ad Conf. 3. difficultatis. Eadem semper aequivocatione laborant ejusmodi argumenta. Ad Conf. *quot mala facinora*, etc. *D.* Ex neglecto examine accurato motivorum, quae vocant credibilitatis, *C.* rite adhibito hoc examine *N.* Quae vero ejusmodi motiva sint, inferius aperiemus.

100. Ad 5. vel *N.* vel *D.* Persuasionem non afferat ejusdem ordinis *C.* alterius ordinis, quae eamdem pariat certitudinem seu saltem aequivalentem *N.* Ex logicis enim omnes norunt pro subjecta materia triplicem distingui certitudinem, metaphysicam, physicam atque moralem; et postremam hanc, ut reliquas, quae ad institutum nostrum non pertinent, taceamus, dummodo plena sit, conditionesque omnes praeseferat, quas illi requirunt,

Enchir. c. 42. fornicationem ut licitam admittit. Aul. Gellius, *Noct. attic.* lib. XIX, c. 11. refert versus amatorios Platonis, quibus sceleste paederastia commendatur; sed me dies deficeret, si omnia errorum monstra, quae veteres admiserunt, recensere vellem. Recentiores deistae, ut suo loco ostendemus, non minus absurda et impia docuerunt.

nos tutos aeque de veritate reddere ac certitudinem metaphysicam, atque in eam demum resolvi. Hinc non minus certus sum me existere ex testimonio sensus intimi, ac existere Romam vel Lutetiam Parisiorum ex testimonio ceterorum hominum. Talis vero est certitudo, cui innititur existentia revelationis, ut suo loco ostendemus. Ergo falsum est, quod ab adversariis adstruitur.

101. Ad 6. *N.* Tantum enim abest, ut istud sit argumentum *speciosissimum*, ut sine illo res plane confici possit, prout reipsa a nobis praestitum est; etenim nunquam ad illud recurrere debuimus, ut ex tota hucusque instituta disputatione patet, in qua praefatum argumentum non solum non attigimus, sed ne innuimus quidem; reliqua proinde superstructa corruunt (1).

CAPUT III.

DE NOTIS DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS

102. Frustra divinae ac supernaturalis revelationis possibilitas atque necessitas fuisset per nos constituta, nisi praeterea adstrueremus certas notas ad eam discernendam ab hominum fraude.

103. Hujusmodi notarum potissimae, omnium consensu, sunt miracula et prophetiae. Hae notae si *vere* exi-

(1) Infirmae adeo virtutis sunt argumenta, quibus theologiae in Academia fridericiana professores inexpertae juventuti illudunt eamque decipiunt! quibus illi, qui de Christiano nomine gloriantur, fundamenta subruunt christianae religionis et cujuscunque supernaturalis revelationis, ut eam a sola ratione repetant, id est, ut solum deismum statuant sub christiani nominis larva! Enim vero tales sunt fructus, quos demum in Germania protulit protestantismus! Attamen, uti melius dignosci possit quo istiusmodi professores tendant, operae pretium erit eum versare librum, quem nuper edidit Cl. August. Theiner, *Storia del seminario ecclesiastico, o gli otto giorni a Sant' Eusebio a Roma. Roma* 1834. epocha III, ubi totum hoc negotium repetit a suis causis. Confundi tamen non debent protestantes, quos vocant rationalistas seu naturalistas, de quibus agimus, cum aliis qui supernaturalistae dicuntur, quique adhuc revelationem retinent.

stant in confirmationem alicujus doctrinae, vel ad comprobandam alicujus missionem, quae a Deo esse perhibeantur, nullum dubium superesse potest sive circa divinitatem illius doctrinae, sive circa divinam missionem illorum, in quorum gratiam edita illa sunt.

104. Deistae ac rationalistae, cum nullam supernaturalem revelationem agnoscant, nullum pariter agnoscunt opus supernaturale ad eam confirmandam.

105. In rationalistarum systemate religio, quae *supernaturalis* dicitur, nil aliud est, quam ipsa religio naturalis sub forma *positiva* proposita Dei nomine, *arbitrariis* nonnullis additis institutis, ac *mythis* (1) involuta ad quamdam apud rudes aucupandam auctoritatem. Quare factum est, ut religiones mosaica et christiana *arbitrariae* ab ipsis nuncupentur passim, et ex ea parte, qua prodigiosa facta vel narrationes exhibent, *mythologicae* vocentur.

106. Ex ejusmodi principiis facile est dignoscere, nullas ab his auctoribus veras ac proprie dictas notas agnosci ad supernaturalem divinam revelationem secernendam. Cum vere hoc systema sibi sumpserint biblici germanici protestantes, fit, ut veluti mythi ab ipsis traducantur et juxta naturae leges passim explicentur miracula omnia, ut suo loco prolatis exemplis ostendemus.

(1) En, quid *mythi* nomine intelligant neoterici protestantes rationalistae: *Mythus* generatim est narratio quaedam ad antiquissimam populi aut religionis instituti cujusdam historiam maxime pertinens, quae vel prorsus ficta est, vel factum aliquod aut placitum quoddam philosophicum additamentis fictis ac plerumque miraculosis exornatum exhibet. Imbecillitas hominum rudiorum, qui accuratiore rerum naturae et philosophiae cognitione destituti, et fervidiore imaginandi vi ducti, religionis ideas sine involucris historicis et symbolicis neque ipsi capiunt, nec cum aliis communicare valent, et modus eas per *traditionem* propagandi *mythos* istos, quibus *omnium* religionum origines implicatae sunt, progenuit ac substentavit; quemadmodum reliqua omnium gentium historia antiquior *mythis* referta est. Ita Wegscheider, op. cit. Cap. 1, § 8, n. b. Niebuhr, *Roemische Geschichte*, id est, *Historia romana*. B. Th. 1. 1812. 2. A. 1826. G. Hermann, *Primordia hist. graecae*. Lipsiae 1820. Heyne, *Commental. de Apollodori bibliotheca*, tom. III. p. 906, etc.

107. Ut ejusmodi ambages atque impietatem abjiciamus, remque totam a suis principiis exordiamur, declarabimus quid *miraculi* et *prophetiae* nomine intelligamus, ut deinde 1. miraculi possibilitatem et prophetiae confirmemus, 2. eorumdem sive miraculorum sive vaticiniorum vim evincamus ad supernaturalem revelationem dignoscendam, in cujus gratiam edita fuerunt.

108. Ne tamen rerum copia quempiam obruat, vel saltem confusionem pariat, in duos distinctos articulos eam dividimus in quorum priori de miraculis, in posteriori de prophetia disseremus.

ARTICULUS I.

De miraculis

109. Argumenti, de quo agere instituimus, perspicuitati inservientes, nonnulla praenotabimus quibus difficultates non paucae, quae moveri solent, ab ipso exordio praeoccupabuntur.

110. Ac 1. quidem, cum miraculum a *mirando* dicatur, ac mirari homines soleant effectus extraordinarios, quorum causa eos latet, hic prius sistamus oportet. Si causa *naturalis* sit, id est intra naturae hujus visibilis atque corporeae leges posita, quamquam hominum captum effugiat, effectus erit *mirus* vel *mirabilis*, non autem miraculum; si enim ex naturae legibus phaenomenon enascitur, iteratis experimentis iterari debet.

111. 2. Cum inter agentes naturales alii sint, qui in ordine sensibili hujus universi continentur, alii, qui ad ordinem invisibilem spectant, cujusmodi sunt Angeli sive boni sive mali (quorum existentiam tunc solum admittunt deistae ac rationalistae, cum miracula impugnant), et cum eorum vires nos lateant, dicimus, fieri aliquando posse, ut non satis distinguamus effectum, de quo

agitur, an immediate a Deo, an mediate ab Angelis sit repetendus; ex quo difficultates oriuntur circa miraculi definitionem. Dixi *aliquando*; dantur enim miracula, quae, ut videbimus, nonnisi ab actione Dei immediata repeti possunt. Sed interea cum omnia miracula ejusmodi non sint, de hac re disquisitio est opportune instituenda.

112. 3. Quum miraculum proprie dictum tale esse possit, tum ratione *sui*, tum ratione *modi*, difficultas, quae petitur ex vi et efficacia Angelorum, cadere non potest nisi in miracula, quae talia sunt ratione *modi*, seu in miracula secundi vel tertii ordinis, ut patebit ex dicendis. Jam vero cum Angeli boni agere non possint in naturam visibilem ac sensibilem nisi ad Dei nutum et imperium, nec mali absque Dei, cui subsunt, saltem permissione, omnino cessat ejusmodi difficultas. Quaecumque enim supponatur vis Angelorum, certum est ipsos, si boni sint, nullum miraculum edere posse nisi in confirmationem veritatis, utpote Dei ministros; si vero sint mali, nihil prorsus efficere posse in confirmationem erroris saltem ita, ut error sit ineluctabilis, obsistentibus moralibus Dei attributis, ut postea declarabimus. Quare non est, cur hac de causa valde laboremus circa miraculi definitionem.

113. 4. His positis, nihil vetat, quominus cum D. Thoma (1) definiri possit miraculum *quod fit praeter ordinem totius naturae creatae*; vel, ut alibi (2) suam explanat sententiam, *illa simpliciter miracula dicenda sunt, quae divinitus fiunt praeter ordinem communiter servatum in rebus*. Licet enim Angeli naturarum creatarum ambitu contineantur, cum tamen nihil efficere possint absque Dei vel praecepto vel permissione, semper verum erit, miraculum esse id, *quod fit praeter or-*

(1) 1. p. q. 110. art. 4. in corp. (2) *Contra Gentil.* lib. III. c. 101.

dinem totius naturae creatae sive ratione *sui* sive ratione *modi*, ut expositum est. Quod si morosis haec definitio non placeat, non abnuimus miraculum definire: *opus sensibile, stupendum, ordini providentiae consueto et naturae legibus contrarium.* In hanc porro definitionem verbis mutatis conveniunt definitiones, quae passim sive a philosophis sive a theologis traduntur, si dolosas nonnullas excipias ad fallendum nempe excogitatas vel prorsus singulares. In hanc praeterea definitionem illa quatuor quadrant, quae ad verum miraculum constituendum requiruntur 1. ut effectus sit sensibilis, 2. ut a nulla creata causa, modo exposito, effici possit, 3. ut sit proinde supernaturalis, 4. ut denique ad divina perducat (1).

114. Dixi *passim traduntur*, exploratum enim est, aliam viam inivisse Carolum Bonnet (2), et Cl. Houtteville (3), juxta quos miraculum non est, nisi eventus mirus atque stupendus ex incognita sed naturali legum harmonia ac temperatione profectus. Haec tamen mi-

(1) Cons. Andreas Spagnius S. J. *De miraculis*, Romae 1787. p. 2. *De essentia miraculi.* Egregium opus, in quo istud argumentum dilucide evolvitur.

(2) *Palingénésie philosophique* P. 17. c. 5. 6.

(3) Tom. II. edit. Amst. 1744, lib. 1. cap. 6; ubi advertendum est, Houtteville minime rejicere communem notionem de miraculis, juxta quam etiam refellit Spinozam, sed aliam addere, ut se magis directe opponeret Spinozae. Differt vero quoad aliqua a Bonnet praesertim in eo, quod ille duos ordines a Deo ab initio constitutos existimaverit, ex quorum uno consurgeret consuetus naturae cursus, ex altero vero extraordinarius cursus existeret, in quo miracula concipiuntur. Id est, ex Caroli Bonnet mente duplicem Deus causarum seriem paravit, unam, quae communes produceret effectus, v. g. ortum et occasum solis, motus siderum, aliaque phaenomena, quae passim in mundo contingunt; alteram vero seriem causarum disposuit, quae in his vel illis locorum, temporum ac personarum adjunctis ab eodem auctore paratis praeter consuetas naturae leges operarentur. Hinc series causarum, v. g. quae a mortuis Lazarum excitarunt, jam ab initio disposita fuerat, eo tamen ordine, ut causae operaturae non essent nisi adveniente Christo ad sepulchrum et clamante: *Lazare veni foras*. Houtteville autem arbitratur Deum ab initio sic omnia disposuisse, ut ex legibus semel positis omnia prodirent, sive quae naturalia, sive quae mira nobis videntur, quae tamen non minus naturalia, quam priora sunt. Ex quibus patet, sententias tam Caroli Bonnet quam Houtteville in idem quoad substantiam redire.

raculi notio a plerisque fortasse non injuria improbatur ac passim rejicitur. Quidquid vero de ea sentiendum sit, quod aliorum judicio relinquimus, eam minus necessariam censemus ad Spinozae sophismata diluenda, in quem finem invecta est.

115. Dixi praeterea, *si dolosas nonnullas excipias ad fallendum excogitatas vel prorsus singulares;* cujusmodi profecto ea est, quam Lockius (1) dedit, dum miraculum definit: *operationem sensibilem, quae superat spectatorum captum et juxta illos est contra cursum naturae et accipitur tanquam operatio divina*, qua destruitur ipsa miraculi notio, cujus tota virtus penderet ab existimatione spectatorum. Id ipsum dicatur de aliis ejusmodi plus minus vitiosis definitionibus, quas hic non vacat ad trutinam vocare (2).

116. Igitur ut omnis aequivocatio tollatur, ad veram miraculi notionem requirimus, ut sit opus sensibile, ut a nulla causa creata effici possit, et quidem praeter consuetum naturae ordinem, et nos ad divina perducat.

117. Circa miraculi divisionem et gradus quoad *substantiam*, *subjectum* et *modum*, nec non de alia divisione miraculi, quod fiat *supra*, *praeter* et *contra* naturam, auditores remittimus ad celeberrimum opus Benedicti XIV. *De beatificatione et canonizatione Sanctorum* (3).

118. Ut igitur coeptum prosequamur iter, ex adversariis miraculorum alii sunt, qui cum Spinoza (4) eorum

(1) *Journal des Savants*, art. 9. anno 1708.

(2) Consul. Andr. Spagni op. cit. p. 2. art. 6, 7, 8., ubi accurate plures expenduntur definitiones miraculi partim falsae partim imperfectae, vel saltem parum exactae.

(3) Lib. IV. p. 1. c. 1. et seqq. Consul. praeterea Spagni loc. cit., ubi expendit diversas acceptiones nominis *miraculi*.

(4) *Tract. theol. polit.* c. 5. Spinozae inter ceteros adstipulatus est ex Hebraeis Dom. J. Salvador annis proxime elapsis in opere cui titulus: *Histoire des institutions de Moïse et du peuple hébreu*, Paris 1829. tom. 1, pag. 218, et alibi passim.

possibilitatem denegant; alii vero data miraculorum possibilitate inficiantur miracula esse notam certam et ineluctabilem divinae revelationis, seu quod tuto ea discerni non possint ab operibus naturalibus vel ab operatione daemonis, seu quod assensum iis praestare non possimus defectu historicae certitudinis. Duo propterea a nobis praestari debent, 1. adstruenda miraculorum possibilitas, 2. eorumdem ineluctabilis vis ad probandam divinitatem supernaturalis revelationis.

PROPOSITIO I.

Miracula sunt possibilia

119. Sane illud est possibile quod non implicat, sive nullam involvit contradictionem; atqui miracula posse a Deo fieri nullam involvit contradictionem; miracula igitur sunt possibilia.

120. Deus enim, qui libere mundum condidit, ac libere eidem leges dedit, potest legibus libere a se constitutis derogare; ast ubi legum naturalium adest derogatio, ibi habetur miraculum; ergo. Praesertim cum ejusmodi derogatio, quae in tempore fieret, nullam importet mutationem in Deo, qui ab aeterno, dum constituit mundum condere, eique generales leges dare decrevit, simul decrevit peculiares ejusmodi derogationes ad manifestandam gloriam suam; Deus siquidem, dum *opera mutat*, *non mutat consilium* (1).

121. Et haec quidem juxta nostrum concipiendi modum; si intimius enim, ac prout in se est, res consideretur, aliter omnino se habet. Etenim Deus, si proprie loqui velimus, non regit *genera* vel *species*, quae non sunt nisi ideae abstractae, sed regit *individua*, quae sola

(1) S. August. *Confess.* lib. 1, c. 4.

realia sunt, neque regit legibus universalibus, quae pariter non sunt nisi in conceptu nostro, exinde ortae, quod nos conspiciamus Deum *modo uniformi* individua talis classis regere, sed regit voluntate peculiari individua singula; quo fit, ut, dum Deus decernit talem planetam v. g. sisti, non deroget alicui legi a se constitutae, sed decernit ejusmodi planetam moveri circa solem ad tantum tempus, postea sisti, ac rursum deinceps moveri, prout libet. In hoc vero nulla concipitur nec habetur legis universalis naturalis derogatio, ut patet; et sic de ceteris dicatur. Cum igitur, re in se spectata et prout est, nulla sit universalis naturalis lex, quae videlicet *genera* et *species*, et non potius *individua* respiciat, nec ulla habetur derogatio proprie dicta vel exceptio, sed simplicissimus divinae voluntatis actus, quo fit, ut tale naturae individuum in datis adjunctis hac potius vel alia ratione se habeat; qui proinde hac de causa miraculorum possibilitatem impugnant, falso laborant supposito, ac Deum ex propria sua imbecillitate dimetiuntur.

DIFFICULTATES

122. I. Obj. 1. Non possunt a Deo fieri miracula, quin Deus ipse mutetur. Leges enim, quibus mundus regitur, sunt ipsa Dei decreta, quae mutari non possunt, quin mutetur ipse Deus, quod est absurdum. 2. Saltem miracula, subdit Salvador (1), minus digna Deo videntur; in legibus enim mundi constituendis cur Deus non ita generaliter eas patere voluerit, ut circumstantias omnes etiam attingerent, quae essent exoriturae ex hoc ipso mundo? Secus 3. dicendus est locum identidem reliquisse evertendi has leges, quod nonnisi ineptis legislatoribus usuvenit, qui quum exigua mentis virtute sint in-

(1) Op. cit. ibid. et alibi passim.

structi, totamque reipublicae regendae formam assequi nequeant, quoties graviores difficultates occurrunt, toties ad exceptiones confugere coguntur.

123. Resp. ad 1. *N.* Ad prob. *leges sunt Dei decreta*, etc. vel *N.* quum leges non sint nisi effectus divinorum decretorum; vel *D.* Sunt ipsa Dei decreta, quae habent pro objecto tum leges tum ipsarum derogationes in tempore faciendas, *C.* secus *N.* Recolantur dicta in probationibus; ex quibus patet, nec locum habere posse difficultatem propositam a Spinoza quae praeterea jamdiu a s. Thoma (1) praeoccupata est.

124. Ad 2. *N.* Ad prob. *in legibus constituendis*, etc. *D.* Nisi Deus sibi aliquid minus usitatum reservarit ad torpidas quorumdam hominum mentes excutiendas, quae consuetis non moventur, *C.* quasi Deus non satis providerit ordinariis eventibus ac naturali rerum creatarum ordini *N.* Deus certe leges universales constituit, quibus ordinaria ratione mundus regeretur; at ei quoque placuit reservare sibi extraordinaria nonnulla facta, quibus homines supremum ejus dominium in res cunctas ejusque providentiam evidentius cognoscerent, ac praecipue certiores fierent de veritate religionis, quam revelare constituit, ut inferius ostendemus (2).

(1) En verba S. Thomae: *Dicendum quod Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde quum praeter hunc ordinem agit, non mutatur.* P. 1. q. 105. art. 6. ad. 3. Eadem alibi scribit, praesertim quaest. disputatis 4. *de miraculis*, q. 6. art. 1. ad 6; et lib. III. *Contra Gent.* c. 99. n. 7.

(2). Ita S. August. *Tract.* 24. *in* Joan. n. 1, praeoccupavit et solvit hanc difficultatem: " Miracula, quae fecit Dominus J. C., sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; et ta-

125. Ad 3. *D.* Si id ex necessitate faceret, *C.* si ex libera electione ob fines sibi praestitutos *N.* Deinde *Neg. Deum evertere* suas leges quum miraculum qualecumque edit; sed, ut in probationibus dictum est, derogat legibus suis, et quidem non omnibus, sed alicui peculiari legi et in casibus particularibus. Deus vim igni ademit, ne rubum combureret, non evertit legem, nec sustulit virtutem ubique igni inditam ad comburendum; et sic de ceteris dicatur. Aequivocatione proinde utuntur increduli in his comminiscendis. Ad confirm. *quod nonnisi ineptis legislatoribus*, etc. *D.* Si Deus ejusmodi exceptiones faceret ex inopinato et non praeviso superveniente eventu, *C.* si e contrario in toto etiam systemate voluit has exceptiones ad suos fines obtinendos comprehendere *N.* Hinc *N.* parit. Ineptus enim legislator ad has exceptiones confugeret defectu scientiae et capacitatis, quod de Deo dici nequit, qui incredibili scientiae suae virtute omnia comprehendit; si tamen miracula exceptiones dicenda sint, in cujus vocis usurpatione rursum latet aequivocatio.

126. Et haec, ne tritam desereremus viam; ceterum vi animadversionis in probationibus positae, ejusmodi difficultates toties repetitae ne locum quidem habent.

127. Ex dictis pariter evanescunt, quae magno apparatu obtrudunt recentiores rationalistae, id est, increduli cum Wegscheider (1), dum scribunt: « Hi (supernaturalistae) nimirum Deum sumunt res humanas naturali ordine in universum regere, et ubi hic naturalis ordo

men haec nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus, sed quia rarum est „. Ex hac s. Augustini observatione patet, quid sentiendum sit de praeclara recentioris rationalistae sententia, dum ait: " Miraculis multo minus declarari majestatem naturae divinae quam ordine naturae; quum in illis vim tantum admiremur (rudem quasi); in hoc vero et vim, quae virtutem rebus etiam abjectis indidit, et sapientiam dispensatoris ». *Ita Doederlein*, Institutio theolog. christian. vol. 1, pag. 615. Quam praeclare ac sapienter haec et ejusmodi alia proferuntur!

(1) Op. cit. proleg. c. 1. § 12, n. a.

voluntati ipsius haud amplius satisfacere possit, miraculis patrandis ipsi quasi opem et medicinam ferre; illi vero (rationalistae) Deum statuunt ab aeterno res omnes continua serie secuturas tam sapienter disposuisse, ut quae v. g. ante plura jam saecula evenerint, id, quod nunc evenit, praepararent et efficerent, nec opus esset miraculis quibusdam quasi intercalaribus; ergo omnem gubernationis divinae sapientissimae et ima aeque ac summa, maxima aeque ac minima, extrema aeque ac novissima complectentis ambitum agnoscunt; dum isti (supernaturalistae) in singulis tantum effectibus, Numen summum prodentibus, hic vel illic singularem Dei omnipotentis efficaciam cernere malunt, eoque hominibus rudioris aevi aequiparandi sunt, qui magis ad summam Dei vim et efficaciam quam ad sapientiam explorandam prompti erant ». Ita illi ex tripode pronunciant in quibus difficile est dijudicare, utrum impietas ignorantiae, an ista illi praevaleat, dum tamen uni ipsi et docti et sapientes a suis celebrantur.

128. Objicitur secundo cum Spinoza. Miraculum est quid excedens cognitionem nostram, nosque perducens in cognitionem existentiae Dei vel alicujus sui attributi; sed non est possibile, ut id, quod excedit cognitionem nostram, nos perducat in alterius rei cognitionem; nam ex illo, quod excedit cognitionem nostram, nihil potest inferri; ergo impossibile est miraculum (1).

129. Resp. *D.* 1. *part. maj.* Miraculum excedit cognitionem nostram quoad modum, quo per divinam virtutem existit, *C.* quoad existentiam sui et quidem per virtutem divinam *N.* et *N. min.* cum suis probationibus.

(1) Ubi pariter notandum, aliis verbis, ut solent, eamdem difficultatem rationalistas refricare, dum ajunt: *Si nemo ejusmodi effectionem (miraculum) certis signis cognoscere potest, ne apta quidem est Numini divino patefaciendo, quippe quae hominem in ambiguo relinquat, nec certam unquam ei persuasionem indere possit.* (Ibid.) Eamdem jam proposuerat Rousseau apud Bergier, *Traité hist.* tom. v, §. 14, ch. 2.

Quomodo vero ab operibus naturalibus miracula dignoscantur, ex infra dicendis patebit.

130. Objicitur tertio ab anonymo quodam incredulo (1): Miracula id sunt in ordine naturali, quod sunt mendacia in ordine morali; *nam miracula sunt violatio ordinis naturalis; sed mendaciis non est credendum; ergo neque miraculis.*

131. Resp. *N. maj.* Ad Prob. *miracula sunt violatio ordinis nat.* etc. vel *N.* ex dictis miracula esse violationem ordinis naturalis; vel *D.* Id est, sunt suspensio ordinis physici libere a Deo facta, *C.* violatio proprie dicta, prout est mendacium in ordine morali *N.* Sublata inepta hac aequivocatione vocis *violationis*, evanescit tota virtus propositi argumenti, ex quo aeque anonymus inferre potuisset, miracula esse *peccata*, prout peccata sunt mendacia (2). Accedit, quod violatio ordinis moralis importaret imperfectionem in Deum, quod repugnat summae ipsius sanctitati. Id patet ex ipso mendacio, quod opponeretur veritati.

132. Inst. Eadem est ratio legum physicarum ac legum moralium; atqui istae mutari non possunt; ergo neque illae.

133. Resp. *N. maj.* et paritatem; priores enim, si quae sint, a libera Dei voluntate pendent, non autem posteriores, quae afficiunt ipsa moralia Dei attributa, sanctitatem nempe, justitiam, etc.

(1) In *Diario literator. Pisan.* tom. v, art. 3, pag. 88.

(2) Impugnarunt Benedictum Spinoza ex orthodoxis Calmet in *Dissert. de veris fictisque prodigiis*, quae est prima inter eas quas praemisit ad Comment. in Exod. Michael Vassor, ante suam apostasiam a religione catholica, *Véritable relig.* l. II, c. I; Fassonius, *De mirac.*; Hooke *Princip. relig.*, tom. III, Dissert. *De Mirac.*; Valsechius, *Fondamenti della relig.* lib. II, 16, n. 8; Bergier, *Traité hist. et dogmat. de la veraie relig.*, tom. v. — Ex heterodoxis praecipue Petrus Bayle, cujus longam impugnationem referunt *Trevoltiani*, anno 1743, art. 41, pag. 1018, et Alphons. Nicolai S. J. *Lez.* 7, *sull' Esodo.*

PROPOSITIO II.

Miracula certissimam notam exhibent ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem

134. Miraculum ex datis definitionibus non potest esse nisi a Deo; ergo si Deus miraculâ efficiat in favorem revelationis, quae ejus nomine proponitur, miracula non possunt non esse certissima nota ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem.

135. Deus enim veritas est neque unquam potest vel adstipulari errori et falsitati, vel suae auctoritatis sigillum apponere ad errorem confirmandum, vel saltem permittere, si sermo sit de operibus daemonum, ut ipsi talia opera edant, quibus homines invincibiliter in errorem inducantur.

136. Deus enim decipere homines non potest sive per se sive per alios; si igitur miracula veluti signa assumpsit ad testificandam ac patefaciendam divinae suae supernaturalis revelationis veritatem, nequit permittere, ut daemones talia opera patrent, quibus vel dubia fiat probatio, quae ex miraculis eruitur, vel ita homines decipiantur, ut in errorem ineluctabiliter inducantur, tum etiam, ut dicemus, cum malos punire decreverit vel bonos probare.

137. Attamen iste solus casus esset, in quo exceptio fieri posset adversus statutam propositionem, desumpta ex potestate malorum spirituum, quorum naturali vi, cum ignoremus quousque ea se extendat, patrari forsan nonnulla signa possent, quae saltem respectu nostri rationem miraculi haberent. Ast si notetur ejusmodi naturalem vim, quaecunque ea demum sit, liberam non esse, sed divinae providentiae obtemperantem quoad exercitium, ex dictis nihil erui potest ad infirmandum assumptum.

138. Cum difficultates, quae afferri solent, ad quatuor capita revocentur, ad tollendam confusionem distincte ac divisim eas proponemus.

DIFFICULTATES

Ex ratione

139. Obj. 1. Nemo perspectas habet omnes naturae vires; ergo nemo judicare potest inter opus naturale ac prodigiosum; sane 2. saepe perperam judicamus quidpiam naturam non posse ejusque legibus adversari, 3. quod rudibus praesertim accidere potest, quum ipsi impares sint examini ejusmodi instituendo. 4. Cum igitur dubium semper aliquod supersit in tali judicio efformando, dici nequit, miraculum esse certissimam divinae revelationis, cui testificandae assumitur, notam. Haec quidem veteres deistae, quibus Kantiani ac rationalistae subscribunt, quaeque fusius evolvunt. 5. Est enim, inquit Em. Kant (1), quaedam humanae mentis arrogantia, quam falso modestiam interpretantur, quaeque, ubi in rerum natura aliquid accidit, quod non statim ex causis physicis et moralibus explicari posse videtur, id immediate virtuti, quae leges naturae interrumpat, sive efficaciae Dei miraculosae, haud cunctanter attribuit. 6. At modestum indagatorem decet, ubi talis eventus causas naturales et intermedias non statim reperiat, earum declarationem a futuro tempore potius expectare, quam continuo prodigia et miracula, id est, eventus supernaturali modo effectos somniare; quod quo rudior et incultior homo fuit, eo frequentius accidit. 7. Sunt quidam eventus in rerum natura, quorum causae, sicut rationes et leges naturae, e quibus pendent, ob mentis imbecillitatem aut experientiam

(1) *Vorlesungen über die Metaphysik*, seu *Praelectiones de Metaphysica*, pag. 333. Lips. 1825.

mancam non omnibus ex partibus et plane possunt cognosci, v. g. generationis mysterium. Neque tamen inde concludi potest, causas et leges eas hic omnino locum non habere, et ipsum Deum in mundo sensibili interdum sine causarum intermediarum interventu, scilicet *immediate* et *supernaturali* modo, operari. 8. Namque Deus ipse leges cognitionis humanae ita constituit, ut quaecunque in rerum natura evenerint, ad causas suas et ad leges in ipsa rerum natura positas, revocari debeant; nec, nisi his bene cogitatis, 9. primaria summaque rerum causa, a qua omnia continuata serie pendeant, in Deo sit quaerenda; 10. quippe qui cuncta ita disposuerit, ut ordine ac nexu quodam causali, qui ab humana mente indagari queat atque comprehendi, eveniant. 11. Quae quum ita sint, Dei omnipotentiam legibus naturae ab ipso datis superiorem quidem esse concedendum est, homo tamen innatis sibi cogitandi legibus subjectus divinam in administranda rerum natura vim et efficaciam, nisi ex nexu causarum et eventuum, experientia sensuum cognito, intelligere non potest (1); ergo.

140. Resp. Ad 1. *D. Positive* et quidem omnes naturae vires, *C. negative* saltem quoad illas, ex quibus judicari debet de miraculo *N.* Nemo profecto omnes omnino perspectas habet naturae vires, ita ut de omnibus affirmare tuto possit, quousque sese earum efficacia extendat; at perquam saepe, experimento ductus potest homo sive doctus sive rudis cognoscere, quoad usque illa pertingere non possit. Atque ut in concreto exemplum ponatur (a quo semper fugiunt adversarii, ut intra abstractionum latebras sese tegant), etsi fateamur nos ignorare, quousque sese attollat nobilissima medicinae ars, certo tamen scimus, nullum medicum solius voluntatis nutu vel voce quempiam infirmum sanare, os confractum

(1) Wegscheider, loc. c. § 11, n. b.

consolidare, mortuum, et quidem jam quatriduo defunctum et foetentem, ad vitam revocare; quae si contingerent, quis ambigat de miraculo? Nonne et ipsi deistae et rationalistae, relictis suis omnibus abstractis et contortis ratiocinationibus, miraculum proclamarent? Possemus proinde et nos hic eum imitari, qui, ad solvenda argumenta sibi proposita adversus motum, coepit ambulare.

141. Ad 2. *D.* Saepe et quidem ex defectu accurati examinis, *Tr.* semper ac debito examinei nstituto *N.* Recolantur nuper dicta, in quibus nemo facile decipi potest.

142. Ad 3. *D.* In nonnullis difficilioribus casibus, *Tr.* in recensitis *N.* Rudes praeterea, si eventus aliquantisper implicatus accideret, cui judicando impares essent, deberent se judicio sapientum subjicere. Addimus, Deum ad testificandam suae revelationis veritatem iis portentis uti, in quibus nemo decipi potest; id enim ad suam providentiam spectat. Deistae id sibi fingunt, quod locum non habet.

143. Ad 4. *N.* Recolantur superius dicta.

144. Ad 5. *D.* Si indiscriminatim et absque solido fundamento humana mens in hanc sententiam concedret, *C.* si solido fundamento et in factis indubiis *N.* Duo extrema declinanda sunt, temeritas atque incredulitas. Et nos docemus, non semper aurem esse praebendam iis, quae tanquam miracula praedicantur; non tamen sub nimiae modestiae obtentu respuere debemus, quae vere miracula sunt atque a physicis legibus repeti nullatenus possunt, cujusmodi v. g. est Lazari a mortuis excitatio; alioquin Christus frustra ad fidem sibi conciliandam Judaeos ad signa et opera sua provocasset. Rationalistae porro, quibuscum agimus, scripturas admittunt, licet, ut videbimus, inutili conatu omnia prodigia per violentam interpretationem ad naturae leges exigere satagant.

145. Ad 6. *D.* Si natura talis eventus ea sit, ut ejusmodi suspensionem patiatur et postulet, *C.* si autem ejus-

modi suspensionem nec postulet nec patiatur *N*. Ridiculum plane foret, quod aliquis, ubi cerneret ad vocis imperium mortuum in vitam redeuntem, deberet animo haerere ac exspectare experimentum naturae et temporis ad cognoscendum, num ista aliquando possint vitam defuncto restituere. Falso supponunt adversarii, vel saltem supponere videntur, miracula esse ad instar combinationum chemicorum vel electricorum aut magneticorum phaenomenorum, in quibus inveniri potest causa physica ad ea explicanda; at talia non sunt miracula, quae operatur Deus in confirmationem suae revelationis, ut praedictam animi suspensionem requirant, neque rudis quispiam in iis falli aut decipi potest, habito praesertim respectu ad adjuncta omnia, in quibus miracula patrantur.

146. Ad 7. *D*. Et quum dantur ejusmodi eventus, mens assensum suum cohibere potest et interdum debet, *C*. omnes prorsus eventus ejusmodi sunt *N*. Non inficiamur, dari tales eventus, quibus expendendis examine et quidem accurato opus sit, ut inde judicium de iis feratur; at negamus omnes omnino tales esse, ut ex dictis patet. In eo propterea peccant adversarii nostri, quod velint ad omnes eventus extendere, quod non est nisi paucorum, de quibus ex toto complexu judicari debet, et ex aliis etiam miraculis minime dubiis, a quibus illi priores eventus lucem accipiunt et firmitatem.

147. Ad 8. *D*. Si quae sint in rerum natura posita, *C*. si non sint *N*. Jam vero eo ipso, quod miracula sint praeter ordinem totius naturae creatae, frustra in rerum natura quaereremus has causas et leges, prout autumant rationalistae, qui assumunt quod est falsum in suis argumentationibus; porro *Deus*, ipsis fatentibus, *leges humanae cognitionis ita constituit, ut quaecunque in rerum natura evenerint, ad causas suas et leges in ipsa rerum natura positas revocari debeant*; miracula vero eveniunt praeter rerum naturam, ut diximus.

148. Ad 9. *D.* Id est, omnia, continuata serie, divina sapientia ab aeterno ad finem suum ordinate disposita sunt, et quidem independenter a naturalium causarum serie, *C.* in ipsa causarum naturalium serie, ita ut ab ista omnino pendeant *N.* Responsio patet ex dictis.

149. Ad 10. *D.* Ratione superius exposita, *C.* secus *N.*

150. Ad 11. *D.* Id est, nequit homo intelligere modum, quo vis et efficacia divina operetur miracula, prout nec modum assequitur, quo haec eadem efficacia divina operatur ea, quae ordinis naturalis sunt, *C.* non potest intelligere utrum eventus quidam excedat consuetum providentiae ordinem, ac proinde non potest judicare de vero miraculo *N.* Quod vero subditur de nexu causarum et effectuum experientia sensuum cognito, coarctari debet ad ea, quae a nexu naturali pendent; non autem extendi potest ad ea, quae transgrediuntur ejusmodi nexum et a Deo in alio ordine constituta sunt (1).

(1) Quum quidam ex Germania in censura hujus loci Wegscheider (in *Winer N. Krit. Journal. der theol.* Lit. B. II. H. 3, p. 318 et seqq.) reposuisset, Deum revelando efficaciam suam immediate exserere in humanam *rationem*, quippe quae causalitatis legi haud obnoxia, sed vis quaedam sit sponte sua libere agens (quam obscura haec sunt et incongrue dicta!) respondit cit. auctor: « is haud bene memor est legum, quibus animus humanus adstrictus est, qui, nulla alia vi ac ratione, rerum divinarum cognitionem sibi comparare atque omnino excoli potest, nisi singulis animi facultatibus bene excultis, tum intuitione, quae dicitur naturae, et institutione, tum meditatione et abstractione. Praeterea ejusmodi persuasione commenta mysticorum de commercio quodam inter Deum et homines immediato foventur ac sustentantur „. Obscurior adhuc responsio haec est ac pluribus nominibus falsa. Religio debet esse omnium, ideoque etiam rudiorum, qui non habent omnes animi facultates bene excultas; falsum est non posse hominem sibi comparare cognitionem rerum divinarum nisi *intuitione* et institutione naturae vel *abstractione*. Quod spectat ad fanaticum nuper inductum penes protestantes Germaniae mysticismum, ipsi viderint, nec enim ejusmodi aberrationes nobis expendere in animo est.

DIFFICULTATES

Ex daemonum efficacia

151. Obj. 1. Possunt daemones mira quam multa patrare, quae vel miracula sunt, vel saltem eisdem aequivalent quoad effectum. 2. Saltem incertum semper erit, num ea, quae miracula credimus, utpote excedentia vires naturae nobis cognitas, divinae an diabolicae operationi adscribere debeamus. 3. In tali autem dubio instituendum esset examen de bonitate doctrinae, priusquam de auctore miraculi ferri judicium posset; 4. ast praeterquam quod examen omnium esse non potest, 5. praesertim ubi agitur de doctrina indifferenti atque excedente hominum captum, miraculum jam non potest esse nota divinae revelationis, ex qua 6. dignosci deberet, utrum miraculum opus divinum sit; ergo.

152. Resp. Ad 1. *D.* Per se, *Tr.* reipsa faciunt, ita ut nulla via pateat ad secernenda opera daemonis a Dei miraculis, quum necessitas urgeat, spectata divina providentia *N.* Recolantur superius dicta.

153. Ad 2. *N.* Si enim patrantur in confirmationem doctrinae promoventis temporale et spirituale hominis bonum Deique gloriam, apertum est, opera illa non esse a daemone, utriusque infensissimo hoste. Expendi praeterea debent qualitates *morales* illius, qui haec operatur, finis, adjuncta cetera, quae ea comitantur (1).

154. Ad 3. *D.* Esset instituendum examen de bonitate doctrinae *generale*, quatenus ea non sit evidenter contraria gloriae Dei et utilitati hominis, *C.* quatenus debeat examen de bonitate doctrinae *analyticum* et *particulare*

(1) Cons. Spedalieri, *Analisi dell' esame critico del Sig. Nicolò Freret sulle prove del cristianesimo*, c. 4. art. 9, *Del distintivo tra i veri ed i falsi miracoli.*

institui *N.* Quilibet porro rudis et bardus homo ad tale examen idoneus est. Quamvis semper prae oculis habendum sit, quod diximus de moralibus Dei attributis, quibus certi sumus, nunquam ipsum passurum, ut daemon ita ejus opera imitetur, ut facile discerni nequeant, vel etiam ut in certis rerum adjunctis ea possit ullo modo imitari.

155. Ad 4. *D.* Modo exposito, *N.* alias *Tr.* Recolantur modo dicta.

156. Ad 5. *D.* Et tunc, ut patet ex dictis, Deus non permitteret talia opera, *C.* permitteret, *N.* Alioquin nulla via superesset ad cognoscendam veritatem et errorem eo ipso, quod agatur de doctrina, quae mentis aciem superaret.

157. Ad 6. *N.* Sed supposita bonitate doctrinae, de qua adhuc dubitari posset, num divina an humana sit, accedit miraculum tanquam divinitatis sigillum (1).

158. Inst. Scriptura ipsa hanc potestatem daemonibus tribuit; Deut. enim dicitur: *Si surrexerit in medio tui prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit* (hebr. וְנָתַן dederit vel ediderit) *signum atque prodigium, et eveneril, quod locutus est, et dixerit, eamus et sequamur deos alienos, ... non audies verba prophetae illius aut somniatoris; quia tentat vos*

(1) Origenes *Contra Celsum*, lib. II. n. 51. merito infert ex eo, quod per praestigia aliqua fiant, divina virtute aliqua fieri in vita necesse esse. Οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ γοητείαν ἐπιτελούντων ὅτι πάντως ἀνάγκη εἶναι καὶ ἀπὸ θείας ἐνεργείας ἐν τῷ βίῳ γινόμενα Deinde pergit enumerans notas, quibus verum a falsis miraculis daemonum dignoscatur, easque repetit praesertim a qualitatibus moralibus eorum, quorum opera id fit, et praecipue a doctrina, quae Dei gloriam hominumque utilitatem promoveat, dicens: Διὰ τί οὐχὶ βεβασανισμένως τοὺς ἐπαγγελλομένους τὰς δυνάμεις ἐξετάσομεν ἀπὸ τοῦ βίου καὶ τοῦ ἤθους καὶ τῶν ἐπακολουθόντων ταῖς δυνάμεσιν, ἤτοι εἰς βλάβην τῶν ἀνθρώπων, ἢ εἰς ἠθῶν ἐπανόρθωσιν; τίς μὲν δαίμοσι διακονούμενος διὰ τινῶν ἐπῳδῶν καὶ μαγγανειῶν τά τοιαῦτα ποιεῖ; τίς δ' ἐν χώρᾳ καθαρᾷ καὶ ἁγίᾳ γενόμενος κατὰ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ καὶ τὸ πνεῦμα, οἶμαι δὲ καὶ τὸ σῶμα τῷ θεῷ παραδεξάμενος θεῖόν τι πνεῦμα, τὰ τοιαῦτα εἰς ὠφέλειαν ἀνθρώπων καὶ προτροπὴν τὴν ἐπὶ τὸ πιστεύειν θεῷ ἀληθινῷ πράττει; tom. I. edit. Maur. 1733. pag. 425 et 426.

Dominus (1). Sic in N. T. Christus: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (2); et Apostolus loquens de viro peccati ait: *Cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* (3); et in Apocalypsi de bestia habente cornua duo ad instar agni dicitur: *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de coelo descendere in terram,.... et seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae* (4); rursum: *sunt spiritus daemoniorum facientes signa et procedunt ad reges totius terrae* (5); ut nonnulla alia similia loca praetermittamus; ergo.

159. Resp. *D. A.* Id est, scriptura testatur daemones posse interdum mirabilia facere, Deo permittente, sive ad bonorum probationem, sive ad ultionem malorum in confirmationem erroris; ita tamen ut nullum certum suppeditet medium ad prodigiorum auctorem discernendum, *N.* secus *Tr.* Plerique enim negant in citatis locis agi de veris proprieque dictis miraculis, ut patet ex commemoratis verbis Pauli ea vocantis *signa mendacia* seu

(1) כִּי־יָקוּם בְּקִרְבְּךָ נָבִיא אוֹ חֹלֵם חֲלוֹם וְנָתַן אֵלֶיךָ אוֹת אוֹ מוֹפֵת: וּבָא הָאוֹת וְהַמּוֹפֵת אֲשֶׁר־דִּבֶּר אֵלֶיךָ לֵאמֹר נֵלְכָה אַחֲרֵי אֱלֹהִים אֲחֵרִים... לֹא תִשְׁמַע אֶל־דִּבְרֵי הַנָּבִיא הַהוּא אוֹ אֶל־חוֹלֵם הַחֲלוֹם הַהוּא כִּי מְנַסֶּה יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם אֶתְכֶם Deuter. XIII, 2. et seqq.:

(2) Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδόπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατόν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Matt. XXIV, 24.

(3) Οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους. II. Thessal. II, 9.

(4) Καὶ ποιεῖ σημεῖα μεγάλα, ἵνα καὶ πῦρ ποιῇ καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὴν γῆν, ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Καὶ πλανᾷ τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς διὰ τὰ σημεῖα, ἃ ἐδόθη αὐτῷ ποιῆσαι ἐνώπιον τοῦ θηρίου. Apoc. XIII. 13 et 14.

(5) Εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων ποιοῦντα σημεῖα, ἃ ἐκπορεύεται ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς. Ibid. XVI, 14.

mendacii, ut praesefert graecus textus. Sed dato etiam quod de veris miraculis saltem quoad nos in adductis textibus ageretur, sic tamen Deus semper praesto erit, ut vel per celebriora miracula, vel per totalem ejusmodi efficaciae ademptionem, seu potius per exercitii impedimentum vel per totalem istorum daemonis ministrorum confusionem, veritas eluceat, ne inevitabilis prorsus error evadat; prout evenit Magis in conspectu Pharaonis; nec enim Magi sciniphes e pulvere educere potuerunt, adeo ut exclamare coacti fuerint: *Digitus Dei est hic* (1); sicut Baal pseudosacerdotibus in conspectu totius populi israelitici contigit (2); prout denique continget sub mundi finem illis falsis prophetis veram religionem oppugnantibus, praesertim si animadvertamus, Christum horum prodigiorum praedictione omnem vim eis ademisse. Hinc Deus gloriam suam, justi meritum, mali excaecationem eruent. Ex his responsio patet ad singula objecta testimonia et his similia, quae adduci possent (3).

DIFFICULTATES

Ex historia

160. I. Obj. Nulla est religio, quae in sui confirmationem non habeat miracula. Vera miracula profecto sunt caecis visum restituere, defunctos ad vitam revocare, morbos subito depellere, aquam cribro asportare, onerosissimam et haerentem navem cingulo trahere, cotem novacula secare et alia id genus plurima; atqui primum inter ceteros praestiterunt Vespasianus et Hadrianus, testibus Tacito (4) et Suetonio (5) atque Spartiano (6); al-

(1) Exod. VIII, 19.
(2) III. Reg. XVIII.
(3) Conf. Tassoni, *Verità della Religione*, tom. I. c. 34, p. 183; Pascal, *Pensées sur la religion*, ch. 18. n. 2.
(4) *Hist.* lib. IV, n. 81.
(5) *In Vesp.* n. 7.
(6) *In hist. Aug. in Hadriano*, n. 25.

tertium praestitit Aesculapius, qui, ut refert Diodorus Siculus (1), Androgeon Minois filium et Hippolitum filium Thesei a morte excitavit; tertium praeter Aesculapium Isis passim in templis sibi dicatis praestabat, eodem teste (2): quartum et quintum praestitit Claudia Vestalis, referente Valerio Maximo (3); sextum denique Attius Navius, teste Livio (4). Vel igitur omnem religionem divinam esse dicendum est, vel miraculum nullius roboris esse ad astruendam alicujus religionis divinitatem.

161. Resp. *D. A.* Nulla est religio, quae in sui confirmationem non habeat miracula vel vera vel ficta, *C.* vera, vel *N.* vel *subdist.* Patrata in testificationem alicujus virtutis, *Tr.* in confirmationem erroris *N.* Ad prob. *vera miracula profecto*, etc. *D.* Et ejusmodi facta veluti fabulosa a sapientibus habentur, quia ad critices regulas exacta vel falsa vel saltem suspecta deprehenduntur, *C.* deprehenduntur ut vera et ad falsae religionis confirmationem edita *N.* In primis recensita facta carent fundamento historico. Etenim ne unus quidem ex citatis historicis fuit oculatus testis, et ex incerto rumore ea referunt; ea insuper Tullius (5) contemnit, Lucianus vero (6) irridet. Sacerdotum fraudibus eadem plerique adscribunt (7). Nulla praeterea perhibentur in falsae reli-

(1) *Bibl. Hist.* lib. IV, pag. 189, edit. Henr. Steph.

(2) Ibid. pag. 189.

(3) Lib. VIII, c. 5.

(4) Lib. I, c. 36.

(5) *De Divin.* lib. II, c. 38. « Omitte, sic alloquebatur Quintum fratrem, lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi, cotem Attici Navii: nihil debet esse in philosophia fabellis loci ».

(6) In Dialogo, *Jupiter confutatus*, *et Jupiter tragoedus*, et alibi passim.

(7) Valer. Max. lib. I, c. 8, n. 6, scribit: « Nec me praeterit de motu et voce deorum immortalium humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione aestimatio versetur ». Sic Curt. lib. IX, c. 1, circ. fin. « Equidem plura transcribo quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi. Similes confessiones saepe reperiuntur in Liv. Dec. I, lib. I; Plutarch. in *Vita Romuli*. Id ipsum dicatur de prodigiis Vespasiani et Hadriani; nam Spartianus in *Hadriano* tradit, quod Marius Max. ea referat tanquam ficte patrata, et Tacitus satis indicat ex assentatione in novum imperatorem Vespasianum illa fuisse excogitata. Sed cons. Aug. Reumann, *Dissert. de*

gionis testificationem saltem directe edita, quaeque naturaliter magna ex parte explicari non possint (1).

162. II. Obj. 1. Multi haeretici miracula patrarunt, ut Paulus Novatianus, teste Socrate (2), cujus precibus Novatianorum ecclesia ab incendio incolumis evasit, et aqua e lavacro semel et iterum effluxit ad detegendum dolum judaei ab eodem Paulo ficte baptismum petentis. Idem de quodam, cognomento Eutychiano, e novatianorum secta referunt Socrates et Sozomenus, nempe eum *sanasse morbos, et facta ab eo mirabilia, ut virtute, quae in vita ejus elucebat, Constantinum familiarem et amicum sibi effecerit* (3). 2. Quod fieri posse pro certo habet Tertullianus (4), et praesertim, 3. s. Augustinus (5), qui non ex miraculis, quae pro se Donatistae habebant, sed ex verae ecclesiae notis de veritate

miraculis Vespasiani, etc. tom. II, p. 427; Joan. Clericus, *Hist. eccl. prim. duorum saec.*, ad annum 138. Jac. Serces, *Traité des miracl.* p. 276; Mosheim. *in Cudworth*, tom. II, p. 162, Lugd. Batav. 1772; Observatio Grotii *De ver. relig. christ.* lib. IV, n. 8. Circa facta prodigiosa Apollonio Tianeo a Philostrato post duo circiter saecula attributa, et ab Apuleio relata in *Asino aureo*, consuli possunt Huetius, *Demonstr. evang.* prop. I.; Orsi, *Storia eccl.* lib. I, n. 69, et lib. II, n. 22; *Dissert. de Du Pin sur l'histoire d'Appollonius convaincue de fausseté.*

(1) Aegroti Babylone et fortasse in pluribus aliis regionibus primum in viis publicis exponebantur, ut transeuntes consulerent, et ab ipsis ea remedia acciperent quae simili morbo affectis jam pridem ad valetudinem recuperandam conduxerant. Aegyptii in templa Serapidis et Graeci in templa Aesculapii deferebant aegrotos, et media, quibus sanati sunt, scripta in his fanis conservabantur. Ex his per experientiam cognitis medicamentis progressu temporis ars medica in scientiam redacta est primum in Aegypto, multo recentiori aevo in Graecia, etc. Inter Hebraeos ut in Aegypto et in Graecia sacerdotio ars medica commissa fuit. Ita Jahn, auctor non suspectus adversariis, in *Archaeolog.* § 122. 2. edit.; inde originem habuerunt mythologicae illae fictiones de sanationibus ope Aesculapii, Isidis, etc. et haec cohaerenter ad principia adversariorum; nec omittendum falso asseri Diodorum Siculum loc. cit. referre alicujus mortui excitationem sive ab Aesculapio, sive ab alio peractam.

(2) Socrates, *Hist. eccl.* lib. VII. c. 17.

(3) Socrat. lib. I, c. 13; Sozom. lib. I, c. 14, qui de Eutychiano scribit: Αἵρεσιν δὲ τὴν Ναυατιανῶν πρεσβεύων θείας χάριτος μετεῖχε, θεραπείαις παθῶν καὶ πράξεσι παραδόξοις, ὡς καὶ αὐτῷ Κωνσταντίνῳ διὰ τὴν ἀρετὴν τοῦ βίου συνηθη καὶ φίλον εἶναι. Ed. Cantabrigiens.

(4) Lib. *De praescript.* c. 44.

(5) Lib. *De unitate Eccl.* c. 18. n. 47, edit. Paris. Maur. alias c. 16.

judicandum esse affirmabat. 4. Denique, quod omnem dubitationem tollit, sunt miracula edita ad tumulum diaconi *Paris*, haeretici Jansenistae et appellantis, de quorum nonnullis extant decreta approbationis Episcoporum Antissiodori et Montis Pessulani, et de omnibus vindiciae Montgeronii, qui fuit supremae parisiensis curiae consiliarius, in suo gallico opere tribus tomis comprehenso, quod inscribitur: *Veritas miraculorum, quae facta sunt per intercessionem D. de Paris et aliorum appellantium, demonstrata*, editum partim anno 1717, partim vero anno 1747. Ergo.

163. Resp. ad 1. *N.* Ceteris enim omissis, ab haereticis nullum unquam factum miraculum Jos. Bingham, unus ex ipsis, ingenue fatetur et late etiam ostendit (1), etsi nonnulli ex illis maxime voluerint; at frustra: in ipsis enim ad litteram semper verificatum fuit Tertulliani (2) dictum in sua Apostolorum cum haereticis comparatione: *Agnosco maxime virtutem* (haereticorum), *qua Apostolos in perversum aemulantur, illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.* Hinc est quod nuperi praesertim protestantes omnia jam miracula aggrediantur. At meminisse debemus vulpis uvam frustra arripere adnitentis, quam proinde tanquam acerbam sprevit. Ad prob. *Paulus Novatianus*, etc. *D.* Quae tamen perinde ac illa Eutychiani dubia vel falsa sunt, deficiente fundamento historico, *C.* vera et certa *N.* Ea enim ex incerto rumore referunt Socrates et So-

(1) *Origines antiq. eccl.* lib. XVI, c. 5, § 7.

(2) Lib. *De praescript.* c. 30. Cons. Pamelius, qui in hunc locum observat eum ad litteram verificatum in Calvino, ex auctoritate Hieronymi Bolsec, *ocularis testis*, qui in ipsius vita refert Calvinum excitare volentem quemdam Brulaeum, quem ipse spe lucri ac pecuniae persuaserat, ut se mortuum fingeret, mortuum revera invenisse. Hanc historiam ab haereticorum oppositionibus vindicat Card. Gotti, *De Eccl.* tom. 1, c. 2, § 6, et fusius exponit Menochius ex vita Calvini scripta a Jacobo Lainger, doctore sorbonico. *Stuore*, part. 3, c. 8. Alia conf. apud Spagni, op. cit. p. 3, prop. 2, art. 1.

zomenus, auctores nempe hac in parte nullius fidei, utpote addictissimi Novatianorum factioni, quique in pluribus mentiuntur (1). Addatur, Socratem, ex quo historiam suam magna ex parte Sozomenus derivavit, fateri, se ea, quae de Novatianis refert, accepisse a quodam Auxenone presbytero Novatiano.

164. Ad 2. Vel *N.* vel *D.* Quatenus ab haereticis jactabantur *C.* vera et proprie dicta *N.* Loco enim citato Tertullianus fingit haereticos ad sui excusationem in die judicii dicturos : *Multa de auctoritate cujusque doctoris haeretici illos maxime doctrinae suae fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito apostoli crederentur.* Quae ipse profecto non admittit, sed data hypothesi, quod ejusmodi prodigia haeretici patrassent, nihil ista conferre ad ipsorum excusationem asserit, addens : *Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptae praedicationis.* Quid reipsa senserit Tertullianus de vi haereticorum in edendis miraculis, patet ex citato testimonio (2).

165. Ad 3. *D.* Ita ut s. Augustinus pro veris habeat miracula, quibus Donatistae gloriabantur *N.* secus *Tr.* Sed dato et non concesso, quod vera essent facta illa, volebat, ut, seposita omni contentione de miraculis, quaestio breviter dirimeretur per Ecclesiae notas : *Non in signis et prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini praeparati et cauti redditi sumus,*

(1) S. Greg. M. lib. VII, ep. 34. alias 31, ed. Maur. de Sozomeni historia haec habet : « Sozomeni historiam sedes apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, et Theodorum Mopsuestiae nimium laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem ecclesiae fuisse perhibet ». Haec pariter in Socratem quadrant, praesertim circa Novatianorum encomia.

(2) *De praescript.* c. 30, circa finem.

quaeque alibi (1) proinde comparat miraculis Simonis Magi, et Magorum Pharaonis.

166. Ad 4. *D.* Conficta, vel quae nihil supernaturale habeant, *C.* proprie dicta miracula *N.* Ita quidem Franciscus Lafiteau (2) et Bergier (3) aliique multi, qui de iisdem disseruerunt, in quibus sunt Ludovicus la Taste, qui in suis *epistolis theologicis* omnia jactata ab Jansenistis miracula commentitia ostendit authenticis et legalibis documentis, et Joan. Joseph Languet, quem Benedictus XIV (4) *doctissimum* appellavit et *pastorali flagrantem zelo*, qui, cum esset archiepiscopus senonensis, de illis edidit anno 1734 documentum pastorale, in quo copiose et distincte aliqua, quae vehementius et confidentius obtrudebantur, plane falsa esse demonstrat vel ex parte morbi, vel sanitatis, vel testium, vel ex omni simul parte; quod et praestiterat archiepiscopus parisiensis. Quare non solum ea irriserunt quidam ex protestantibus, cujusmodi sunt de Veux et Campbell (5), sed nunc jam deseruerunt ipsi Jansenistae. Certe, vel ipsae indecorae totius corporis agitationes et turpia, quibus se dabant nonnulli convulsionibus correpti ad illius tumulum, satis produnt, quid de ipsis miraculis sentiendum sit. Episcopi Antissiodorensis et Montis Pessulani pertinebant ad eamdem sectam, non secus ac Montgeron (6): nullius proinde sunt auctoritatis.

167. Nunc coronidis gratia quoad miracula, quae ab haereticis quibuscunque patrata perhibentur, addimus: vel ea sunt a Deo, et tunc certe facta non sunt in con-

(1) Tr. XIII. in Joan. n. 17, ubi inter cetera scribit: *Nemo vobis fabulas vendat ... primo aut falluntur* (Donatistae) *aut fallunt*, etc.

(2) *Hist. de la constit. unigenitus* liv. VI, edit. an. 1731.

(3) *Confut. de l'examen*, p. I, ch. 6, n. 3.

(4) *De festis*, lib. I, c. 5, n. 5.

(5) *Dissert. of mirac.*, p. I, sect. 5, apud Spagni loc cit.

(6) Cons. Auct. *Dictionarii auctorum ecclesiast.*, art. *Caylus* et *Colbert*, licet eorumdem fuerit fautor; nec non opus *Réalité du projet de Bourg-Fontaine*; atque Benedictus XIV, *De canoniz. Sanct.* loc. cit. c. 7, n. 20.

firmationem erroris, ut patet ex dictis; vel sunt a daemone, et tunc, cum iste subjiciatur divinae providentiae, nunquam Deus haec permittet, nisi suppeditet media ad praecavendum errorem, quod confirmari posset non paucis exemplis, quae videri possunt apud Baronium (1). Et sic omnes tricae dissolvuntur.

DIFFICULTATES

Ex defectu certitudinis

168. Obj. Cum ipse miracula non viderim, aliorum testimonio fidem praestare teneor; atqui hoc ipso moveri non possum ad revelationis veritatem agnoscendam. Semper enim 1. anceps haerere debeo, num omnes praeteritorum temporum testes, qui ea signa referunt, vel decepti fuerint, vel alios decipere voluerint. Ergo miraculum efficax esse non potest revelationis olim factae argumentum (2). Sane 2. quae ratio efficere potest, ut imprudentiae sim accusandus, nisi credam ea, quorum ego testis non fui?

169. Resp. generatim. Ergo omnis historica et moralis certitudo esset e medio tollenda, quod tamen adversarii non admittunt. Attamen si quid efficerent ejusmodi aliaque his affinia argumenta, impeterent ac submoverent omnem moralem ac historicam certitudinem, incertaque essent quaecunque antiquitus gesta esse dicuntur (3).

170. Ad 1. Vel *N.* vel *D.* Si testes idonei non sint ad fidem faciendam illius facti, quod referunt, *C.* secus *N.* Notas autem idoneorum testium exhibet critica, qua-

(1) *Annal. ecclesiast.* ad annum 484. Circa auctoritatem historiae Socratis et Sozomeni cons. Fleury, *Hist. eccl.* lib. XXVI. n. 49. tom. XIII, *Des auteurs ecclésiast.* p. 685; ac de miraculis haereticorum in genere leg. P. Maran, *La doctrine de l'Ecriture et des Pères sur les guérisons miraculeuses*, p. 2.

(2) Ita Russeau, *Emile*, tom. III.

(3) Cons. Ruffini, *Riflessioni critiche*, etc. p. 176, n. 12.

rum aliae spectant ad intellectum, ex quo non potuerint decipi, aliae ad voluntatem, qua noluerint decipere (1).

171. Ad 2. *N.* Quia cum homines praeteritorum temporum iisdem facultatibus praediti fuerint, quibus et nos donati sumus, praesumendum est eos illa praestitisse, quae fecissemus et nos, si versati in iisdem rerum adjunctis fuissemus. Si nos v. g. audiremus, hominem ad vitam e mortuis revocatum, quomodo nos gereremus? Omnia examini accuratissimo subjiceremus, utrum nempe reipsa mortuus fuerit, qui excitatus perhibetur, quo tempore, per quos excitatus, quomodo, etc. idipsum de visu caeco nato restituto dicatur, hisque similibus, praesertim si in confirmationem alicujus doctrinae fierent; nam ista hominum investigationem ad se natura sua trahunt, et facile perpendi et cognosci possunt. Ergo sic praesumendum est fecisse majores nostros, nisi velimus eos hebetes ac plumbeos, vel alterius naturae et indolis ab ea in qua nunc homines sunt, supponere; quod nonnisi per summam impudentiam et insaniam cogitari potest.

172. I. Inst. Argumentum, quod nititur hominum testimonio, moralem tantum evidentiam parit, ergo ab intellectu non extorquet assensum; nam moralis evidentia non excludit possibilitatem oppositi. Quamobrem, licet plures homines rem aliquam factam esse testentur, semper absolute possibile est, eos aut fallere aut falli; ergo moralis evidentia non omne dubium excludit. Cum igitur pro divinae revelationis signis sola haberi possit moralis evidentia, jam patet nos per ipsam duci certo non posse in cognitionem divinae revelationis.

173. Resp. *C. A.* Nam agitur de facto; facta autem metaphysicis ratiociniis probari nequeunt. Sed *N. cons.* Nam moralis evidentia innititur principiis non minus evidentibus in genere suo ac iis, quibus innititur mathema-

(1) Cons. Spedalieri contro Gibbon, p. 165, sez. 3, § 5, n. 13.

tica demonstratio. Haec enim principia moralia : *Humana societas nequit subsistere , nisi homines sibi mutuam fidem habeant. Praeteritarum generationum homines in rebus maxime ad se pertinentibus non fuerunt omnes aut stupidi aut amentes* , vel alia id genus principia , aeque sunt evidentia ac istud : *Si ab aequalibus aequalia demas , quae remanent , erunt aequalia.* Ideo enim istud negari non potest , *nisi contra evidentiam pugnes , ac intimo sensui vim facias.* Atqui eodem modo negari non possunt moralia principia modo enunciata ; ergo si principia moralia eamdem in genere suo evidentiam praeseferunt ac mathematica , aeque certa esse debent quae ex iis legitime inferuntur , quamvis demonstrationes ejusdem naturae non sint , et aeque insanus esset , qui alterutrum negaret.

174. Fateor insuper illud discrimen intercedere inter demonstrationem mathematicam et moralem , quod illa ostendat rem aliter fieri non posse, ista vero non item; nego tamen quidpiam propterea detrahi posse evidentiae veritatis moralis. Ex quo enim res potuerit non fieri , non probatur illam factam non esse ; quia non quaeritur , utrum res esse potuerit , sed utrum , quae esse potuit , reipsa extiterit. Quod verissimum esse potest , etiamsi res potuerit non esse. Exempla sint in sole , qui vel mane sit oriturus , vel heri fuerit jam ortus ; in sensationibus , quibus anima percellitur ad dignoscendam corporum existentiam , licet illae absolute fieri possint , etiamsi nulla corpora existant ; insanus tamen et amens haberetur , qui utrumlibet negaret ex eo nempe quod fieri potuerit , ut nec sol ortus fuerit , vel cras mane possit non oriri , vel corpora potuerint non existere (1).

175. II. Inst. Ubi duo morali evidentia constant , quae inter se sunt contraria , jubet prudentia ac communis ho-

(1) Cons. Houtteville ; *La Religion* , etc. , tom. II, liv. I , ch. 4 et seq.

minum sensus, ut iis assentiamur, quae majorem evidentiae vim habent; jam vero dato etiam, quod ex testium fide dignorum auctoritate coalescat moralis evidentia de alicujus mortui resurrectione olim facta ad hominis nutum, negari certo non potest, quin majorem evidentiae gradum sibi vindicet perpetua ac omnibus obvia experientia, qua constat mortuos non resurgere. Atqui inter has duas propositiones moraliter certas eam sequi debeo, quae majori nititur evidentia. Ergo, coactus eligere inter alterutram propositionem, credere debeo mortuos non resurgere, ac longe facilius contingere potuisse, ut homines, qui testantur miraculum resurrectionis, vel decepti sint, vel fallere voluerint, quam fieri, ut falsa sit experientia, qua patet homines vere mortuos nunquam ad vitam iterum revocari (1).

176. Resp. 1. *D. maj.* Si major evidentiae vis cadat in idem objectum in quod cadit minor vis evidentiae, *C.* si in diversa objecta *N.* et sic corruit totum argumentum, seu potius sophisma adversarii. Accedit quod ejusmodi argumentum nimis probat, in primis quia tunc nulla esset fides historiae, quoties refert eventum extraordinarium, sive in ordine physico, sive in ordine morali. Homines v. g. diligunt vitam, curam sui habent, omnia potius patiuntur, quam vitam amittant. Ergo tanquam fabulosum rejiciendum, quod de αὐτοχειρίαις, sive de suicidiis vel legimus vel audimus; idem dic de mirifica aliqua meteora quae apparuisse fertur; imo juxta adversarii principia, etsi oculis nostris conspiceremus mortuum resurgere, credere minime deberemus, cum sit contrarium consueto sensuum testimonio, quod homines resurgant. Itaque argumentum supponit falsum principium, nempe in rerum natura vel in societate nihil un-

(1) Ita David Hume in *examine de miraculis*.

quam accidere, nisi juxta ea, quae consuetis observationibus nostris consentanea sunt.

177. Resp. 2. Supponi hoc modo quod est in quaestione, nullam nempe fieri posse exceptionem quoad ea naturae phaenomena, quae contingere videmus. Si enim aliter supponeretur, jam caderet tota argumentatio, et eo quaestio deducitur, ut videatur, an fide digni sint, qui rem aliter aliquando contigisse referunt; quod ubi constiterit per critices regulas, jam insaniret, qui rem in dubium revocaret, eo quod aliter ipsa evenire soleat. Nam sensuum tuorum fides evidentiam quidem parit; sed nec minorem parit evidentiam fides sensuum aliorum, nisi constet eos falli potuisse, vel fallere voluisse. Utraque veritas pari evidentiae gradu constat, nec una cum altera pugnat. Nec qui narrant, mortuum resurrexisse id veluti perpetuum naturae phaenomenon exhibent, in quo utique pugna esset, sed contra ut effectum extraordinarium divinae potentiae tribuunt (1).

178. III. Inst. 1. Quo magis factum aliquod extraordinarium est, eo magis probabilem reddit errorem, dolum et mendacium eorum, qui illud referunt vel testantur. 2. Ex quo fit, ut illud ipsum, quod minuit fidem doctiorum hominum, fidem augeat rudiorum; nec 3. propterea multitudo testium majorem gradum probabilitatis addit facti extraordinarii narrationi. 4. Sane vulgus, praesertim si imperitum et superstitiosum sit, sponte fertur ad mirabilia et supernaturalia admittenda (2). Prae-

(1) Cons. Spedalieri loc. cit. § 3. p. 163; item » Dissertation sur les miracles contenant l'examen des principes posés par M. David Hume, écuyer, dans son essai sur les miracles, composée en anglais par M. Jean Castillon, *Utrect* 1765; *nec non* Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme par C. Bonnet, » Genève 1771. Hic moneo, quod, cum ad auctores protestantes remitto, eo consilio id faciam, ut indicem eos, qui de aliquo argumento scripserunt, ad quos tunc tantum recurrere poterunt auditores, quum debitam facultatem impetraverint; quod et de Catholicis scriptoribus accipiendum est, quorum opera in indicem relata sunt.

(2) Ita La Place, *Essai philosophique sur les probabilités*, Paris 1816, pag. 135 et seq.; nec non

terea 5. historia docet, multos ejusmodi eventus, qui olim supernaturales et prodigiosi a plerisque habebantur, rerum naturalium scientia adaucta et diligentius exculta, fuisse a naturalibus causis profectos, ex iisque postea recte explicatos esse. Unde recte concluditur fore, ut omnes ejusmodi eventus simili ratione explicari possint (1), et quod consequens est, hominum testimonium circa miracula suspectum saltem esse debere.

179. Resp. ad 1. *D.* Si id genus factorum deberet provenire ab ipsius naturae legibus, *C.* si a causa ipsi naturae superiori, nempe Deo *N.*

180. Ad. 2. *D.* In nonnnullis factis dubiis, praesertim si agatur de ipsorum causa determinanda ac judicio ferendo circa eorum naturam, *Tr.* vel *C.* in omnibus indiscriminatim et cum agitur de factis in se *N.*

181. Ad 3. Vel *N.* absolute, vel *D.* ut modo distinximus in resp. ad 2. Notandum insuper est falso supponere La Croix, qui haec nobis obtrudit, multitudinem semper coalescere ex solis imperitis (2). Addatur praeterea ipsam eventus insolentiam efficere testes vel spectatores attentiores ad ipsum rite examinandum et perpendendum, ideoque majoris ponderis esse, ceteris paribus, ipsorum testimonium in factis extraordinariis, quam in ordinariis.

182. Ad 4. *Tr. A.* et *D. cons.* Si ageretur de causa vel judicio facti, *C.* si de facto ipso *N.* Ex natura porro facti, de quo vulgus testatur, sapientis erit judicium ferre, utrum vulgus decipi potuerit nec ne, dum causae praeternaturali illud adscribit (3).

La Croix, *Traité élémentaire du Calcul des probabilités*, n. 130 et seqq.

(1) Sic Krug, *Pisteologie*, Lips. 1825, pag. 111.

(2) Exemplum esto in apparitione crucis, quae superioribus annis contigit apud *Migné* in Gallia in dioecesi Pictaviensi, cui interfuerunt praeter vulgus plerique viri docti, non solum ex catholicis, sed ex ipsis protestantibus, qui rem testatam fecerunt, ut ex publicis documentis notum est. Cons. *Epist. pastoralis.* Illmi. D. de Bouillé, episcopi pictaviensis, data anno 1827.

(3) Contra La Place et La Croix legatur Ruffini in egregio cit ope-

183. Ad 5. Idem esto responsum, et *N. cons.* Nempe ex eo quod nonnulli eventus, qui ut prodigiosi ad aliquod tempus habiti sunt, postea recte sint explicati (quos tamen adversarius minime recenset), inferri nullo pacto potest sic posse omnes per causas naturales rite explicari; v. g. ex eo, quod explicata sit aliqua meteora, quae vulgo ut supernaturalis habebatur, explicari nequit sanatio caeci nati vel excitatio Lazari e mortuis; ast dialectica non est prima rationalistarum et incredulorum virtus.

184. Sed praestat populari huic argumento, petito ex ignorantia et superstitione veterum, quod tantopere adversarii jactant, apponere tres quaestiones, quas subjicit doctus Ruffini (1):

185. 1. Cur post Christi adventum judaica gens, etsi superstitiosa ac generatim ignorantia laborans, nec ab anticipatis judiciis immunis, non amplius praesetulerit miracula inter suos patrata?

186. 2. Cur provinciae Asiae, Africae et Graeciae, licet in immensum distent a liberaliori illa humanitate ac cultu, in quo erant temporibus apostolorum et Cypriani, Augustini, Basilii, etc., attamen non amplius in medium afferant miracula, prout olim afferebant?

187. 3. Cur inter diversas religiones, quae christianum nomen sibi assumunt, sola religio catholica semper miracula exhibeat, quae in sinu suo patrentur, et adhuc in praesentiarum producat, licet catholici neque scientiis neque litteris aut artibus ceteris inferiores sint, et licet catholica ecclesia non pronuntiet, seu decretum emittat de aliquo miraculo, quin prius rigidissimum un-

re. *Riflessioni critiche*, Modena 1821, ubi ostendit, quam fallacia sint fundamenta calculorum, quibus subjicitur probabilitas eventuum humanorum; praesertim memoria 4. pag. 137, et p. 158 et seqq. Cons. pariter Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica*, art. *della storia umana*, opp. ed. Rom. vol. x.

(1) Op. cit. p. 166.

dequaque examen tum circa factum tum circa ejus naturam instituerit (1)?

DIFFICULTATES

Ex intima hominis vi et efficacia

188. Obj. 1. Eventus extraordinarii, qui miracula vulgo nuncupantur, semper vivam supponunt fidem, seu fiduciam, vel in eo, qui eos recepit, vel in eo, qui ea operatur, aut etiam in utroque. 2. Jam vero id genus eventuum seu miraculorum, quae ex fide proveniunt su-

(1) Ut quis certior fiat de severiori ejusmodi examine decretis praemittendo, legat celeberrimum opus Benedicti XIV, *De Beatificatione et Canoniz. Sanctorum*, praesertim lib. IV. Ut leve specimen habeatur summae severitatis, qua miracula Romae expenduntur, pretium operae erit, duo facta in medium adducere, quae valeant omnem suspicionem amovere. Alterum refertur ab auctore vitae S. Vincentii a Paulo (*Histoire abrégée de S. Vincent de Paul, par M. Collet. Dr. en Théologie*, *Avignon*, 1762) de quodam miraculo patrato a S. Vincentio erga Aloisiam Elisabetham Sackville, natione anglam, quae in Gallia apud Haye quemdam ex protestantibus reformatis degebat. Hoc miraculum adeo evidens visum est protestanti ipsi, ut illud evulgaverit per totam Lutetiam Parisiorum. Ejus autem uxorem ita admiratio perculit, ut extra sensus paulisper manserit, dein non dubitaverit chirographo, manu propria exarato, tanquam testis oculata miraculi instantanei et permanentis illud confirmare. Illud tamen sacra rituum congregatio non admisit defectu sufficientium probationum (p. 605. seqq.) Aliud refertur a P. Daubenton in vita S. Joan. Francisci Regis (*La vie du bienheureux Jean-Francois Regis, par le R. P. Daubenton*, Paris 1716). Romam venerat conspicuus Anglus protestans. Praelatus quidam romanus, qui cum eodem amicitiam inierat, illi tabulas, quae plurium miraculorum probationes continebant, legendas praebuit. Has ipse quum summa animi voluptate legisset, Praelato reddidit dicens: » Voilà certainement la plus sûre manière de prouver les miracles. Si tous ceux, que l'on reçoit dans l'eglise romaine étaient établis sur des preuves aussi évidentes et aussi authentiques que ceux-ci le sont, nous n'aurions aucune peine à y souscrire, et par là vous vous sauveriez de toutes les railleries, que nous faisons de vos prétendus miracles. Eh bien, *respondit Praelatus*, sachez que de tous ces miracles, qui vous paraisssent si avérés et si bien appuyés, aucun n'a été admis par la Congrégation des Rits, parce qu'ils n'ont pas paru suffisamment prouvés ». Protestans, ejusmodi inexspectato responso percitus, fassus est, nonnisi caecam praeventionem posse obsistere canonizationi Sanctorum, neque unquam arbitratum se esse, cautelam ecclesiae romanae eo usque progredi in examine, quod ipsa instituit circa miracula (pag. 33).

scipientis, quid aliud sunt, nisi quas dicimus sanationes, quae repeti debent a phantasiae seu imaginationis vi? Imaginationis vero ac phantasiae vis non aliud hic est nisi firma persuasio receptae vel recuperandae valetudinis, ex qua provenit effectus sanationis. 3. Plura ejusmodi facta collegerunt P. Regnault (1) et Des Veux (2) aliique. 4. Miracula vero, quae repeti debent a fide ac voluntate agentium id sunt, quod olim dicebatur *imaginatio operans extra proprium corpus* (cujus efficaciam adeo magni fecerunt Avicenna et Pomponatius), nunc autem nuncupatur *magnetismus animalis* seu *mesmerismus* (3), cujus effectus major erit, si fidei conjungatur contactus sive mediatus sive immediatus. Si cum agentis fide uniatur fides patientis, seu cum vi magnetismi vis imaginationis, mortui, qui perhibentur ad vitam revocati, potuerunt mortui esse apparenter tantum, et tunc maxime, in casu nempe mortis apparentis, utilissimus evadit magnetismus animalis (4). 5. Quis porro scit, utrum vis voluntatis et fidei pluvias possit excitare (prout existimavit Avicenna) ac similia producere phaenomena necne? Quis limites figat virtuti imaginationis seu magneticae? Quis satis novit naturae vires? Quis satis hominem novit ejusque indefinitas facultates, quarum ipse capax est? 6. Hac proinde ratione explicari possunt miracula, quae in revelationis divinae confirmationem patrata referuntur, quin ad ullam vim supernaturalem confugiamus. *a*) Sane Christus semper fidem exigebat ab iis, in quorum gratiam miracula edebat. *b*) Ob hujus autem fidei defectum nonnisi pauca edere potuit in pa-

(1) *Entretiens physiques*, t. II, p. 9.

(2) *Lettres sur les miracles*, liv. IV, Rotterdam, 1735.

(3) A *Mesmer* Helvetico praecipuo magnetismi animalis propagatore. Vid. *Mémoires de F. A. Mesmer sur ses découvertes*, Paris, an. VII.

(4) Kluge, cujus operis compendium et excerpta exhibent *Ephemerid. medico-chirurg. D. Flajani.*

tria sua (1). *c*) Manus imponebat super eos, quos curabat, praesertim *d*) in caecum illum, de quo Marcus (2) scribit, quod videret homines velut arbores ambulantes, nec nisi repetita manuum impositione ad perfectam visus restitutionem devenit impertiendam. *e*) Quare sub hac tantum conditione facultatem praebuit morbos sanandi: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt* (3), vel saltem nonnisi olei unctione apostoli atque discipuli infirmos sanabant (4), quae *f*) omnia apprime conveniunt cum magnetismi efficacia; ergo.

189. Resp. ad 1. In primis *Neg.* omnia miracula in solis sanationibus consistere, ut supponere videntur adversarii; certe multiplicatio et transmutatio substantiarum inter sanationes non recensentur, neque inter miracula, quae ex vi phantasiae pendent. Si possent magnetismi patroni quinque panibus ac duobus piscibus quinque hominum millium multitudinem satiare, prout praestitit Christus (5), vel aquam in vinum convertere, ut factum est in nuptiis Canae (6), valde commendanda esset eorum imaginationis vis, ac libenter ab omnibus exciperentur. Hactenus tamen haec non praestiterunt (7); hinc ceteris omissis, jam ruit tota difficultas inde petita.

190. Ad illud, quod subditur de viva fide *D.* Tanquam conditione, neque tamen in omnibus casibus, *C.* tanquam causa efficiente, et quidem semper *N.* Mortui enim ac sensibus destituti ejusmodi fidem habere non possunt, si de patientibus sermo sit. Si vero de agentibus

(1) Matth. XIII, 58; Marc. VI. 5.
(2) Marc. VIII, 23 et seqq.
(3) Marc. ult. 18.
(4) Marc. VI, 13; Jac. V, 14.
(5) Matth. XIV, 17 et seqq. Joan. VI, 6.
(6) Joan. II, 8.
(7) Id ipsum dici posset de multiplicatione farinae et olei ad Eliae promissa (IV. Reg. IV.), de ferrea ascia, quam ex fluvii fundo super aquas Elisaeus revocavit (IV. Reg. VI, 6), aliisque id genus sexcentis, quae in scripturis utriusque foederis occurrunt; ut sileam de iis, quae in sanctorum processibus authenticis leguntur, ut in actis s. Franciscae Romanae, s. Theresiae, s. Mariae Magdalenae de Pazzis, s. Aloisii Gonzagae, s. Francisci Xaverii, s. Francisci de Hieronymo, etc.

loquamur, adnoto, interdum Deum miracula operari per malos homines, non quidem in confirmationem erroris, quod fieri nequit, sed ad manifestationem gloriae suae. Perversi enim homines aliquando dicturi sunt: *Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus* (1)? Quod si fides passim requiritur ad patranda miracula, requiritur tantum tanquam conditio, ut dictum est, minime vero tanquam causa efficiens miraculorum, ut adversarii supponunt, quod tamen nemo dicet. Addatur hanc fidem nunquam operari, nisi pro objecto habeat Deum, Christum, aut sanctos ejus, non autem quemlibet alium, ex quo rursum deprehenditur argumenti fallacia.

191. Ad 2. *N.* suppositum, ut patet ex dictis, vel *D.* Nonnullae sanationes eorum, praesertim qui perturbata phantasia vel amentia laborant, *Tr.* vel *C.* omnes et in quolibet casu *N.* Valde conferre persuasionem recuperandae valetudinis, et in nonnullis casibus valere, apud omnes compertum est, ac non solum medici admittunt, sed et ipse Benedictus XIV. (2) pro certo habet; quare et hic casus in congregatione rituum prae oculis habetur (3); idque potissimum valet ad corrigendam laesam phantasiam (4). Ast pervicacis, ne dicam, insanientis est velle ad omnes casus ejusmodi vim extendere atque asserere, ad ossium v. g. contusionem et fracturam, ad vulnera aliosve morbos insanabiles ita ut omnes sola

(1) Matth. VII, 22.

(2) *De Beat. et Can. Sanct.*, lib. IV. c. ult. ubi de hoc argumento fuse agit.

(3) Ibidem inter ceteras difficultates, quas ipse Lambertinius opposuit, quum officio promotoris fungeretur, et hanc promovit in causa s. Francisci Regis. De eadem rursum actum est in causis B. Joannis de Prado, S. Vincentii a Paulo, B. Petri Forerii, apud eumdem, lib. IV, p. I, c. 15.

(4) Cons. Muratori, *Della forza della fantasia umana*, Venez. 1745, c. 8, 9; *Opusc. scientifici di Bologna*, tom. I, 117 et seqq., Leufnen, *Sur l'impossibilité des opérations sympathiques*. Hic obiter duo notentur, 1 saepe ejusmodi persuasionem nihil efficere, ut fatetur ipse Deleuze, loc. cit. tom. II, pag. 271; 2 in quodam opere magnetismi animalis casum occurrere cujusdam puellae, quae ex cura magnetismi insanivit (*Journal magnét. du traitement de M. D... par M. Cheulié de Lyon*).

phantasiae ac imaginationis extra corpus operantis vi ad integritatem restituantur (1). Id si esset, non solum miracula, sed et therapeutica et chirurgia e medio possent facile tolli.

192. Ad 3. *D.* Quae tamen spectant ad classes, quas enumeravimus, *C.* secus *N.* Ea etiam collegit Benedictus XIV. (2), quin inde aliquid concludi possit ad enervandam miraculorum vim.

193. Ad 4. *D.* Cui falso et gratuito tales effectus adscribuntur, *C.* nonnulli effectus, qui ex persuasione pendent, quod nuper innuimus (in resp. ad 2.) *Tr.* Nec enim vacat omnes magnetismi nugas expendere, quas modo doctiores plerique contemnunt, ac Mesmer passim ut circulator traducitur (3); atque hinc responsio patet ad id, quod subditur de apparentibus mortuis, et ad mirabiles effectus, quos super eos magnetismus producit. Nos agimus de vere mortuis, qui ad vitam revocati sunt absque ullo apparatu atque ad solum imperium et nutum thaumaturgi. Profecto Lazarus jam foetebat utpote quatriduanus (4).

194. Ad 5. Resp. Omnes norunt ab experimento, neminem posse vi imaginationis pluvias excitare, alioquin expeditum remedium in promptu esset, quoties siccitate

(1) Cf. Deleuze, *Hist. critique du magnétisme animal*, tom. II, p. 8, licet et ipse fautor sit Mesmerismi; Bachelier d'Agés, *De la nature de l'homme et des moyens de le rendre heureux*, Paris, anno VIII, alter magnetismi patronus. Vid. insuper, *Leçons d'anatomie comparée par M. Cuvier, et publicées par M. Dumeril*, Paris, 1815, tom. II, p. 117.

(2) Loc. cit.

(3) Animadvertendum porro hic est, nonnullos scriptores catholicos non solum in Galliis, sed in Germania praesertim, non habere *magnetismum animalem* ut merum praestigiatorum inventum, sed agnoscere atque admittere veram ac realem insitam vim producendi quosdam effectus, quorum causa inter naturae vires nos latet in tota sua extensione. At praeterquam quod isti scriptores simul fatentur magnetismum obnoxium esse daemonis artibus, absolute negant effectus supernaturales, quos in miraculis vel mystica sanctorum vita cernimus et admiramur, quidpiam habere commune cum effectibus magneticis, imo istos ab illis toto coelo differre fatentur, nec posse ulla ratione magnetismi ope explicari. Cons. Goerres in praefatione novae editionis operum B. Henrici Susonis cura D. Melchioris Diepenbrokk, quae inscribuntur *Heinrich Susos Leben und Schriften*, etc. Regensburg 1829.

(4) Joan. XI, 39.

*

laboramus. Ejusmodi quaestionibus possemus similes alias apponere. Quis scit utrum possint homines vi solius imaginationis vivere necne, aliaque id genus praestare, quin quidquam comedant aut bibant? Id experiantur magnetismi patroni. Fortasse huc aliquando devenient. Ex superius dictis jam responsio patet ad ceteras dubitationes quin tempus terere in his debeamus.

195. Ad 6. *N.* Ad probationem *a*) *Christum semper fidem exegisse*, etc.; in primis negamus eum *semper* fidem exegisse ab iis, in quorum gratiam miracula operabatur, prout nullam exegit in citatis miraculis multiplicationis panum et conversionis aquae in vinum; neque quum excitavit filium viduae Naim (1) vel filiam Jairi (2), ut alia omittam. Dein *D.* exegit ut conditionem, eo quod miracula ederet ad suam confirmandam divinam missionem, *C.* ut causam effectricem et necessariam *N.* Recolantur superius dicta. Ad *b*) *Defectu hujus fidei*, etc. *D.* quatenus illi concives indignos se praebuerunt ejus beneficiis, *C.* absolute *N.* Addo, etsi non multa ob adductam rationem, nonnulla tamen Christum inter Nazarethanos patrasse miracula. Notandum praeterea in passim recepta adversariorum hypothesi sufficere fidem in agente. Adeo nempe sibi cohaerent, dum religionem impugnant! Ad *c*) *Manus imponebat*, etc. *D.* Aliquando, *C.* semper *N.* Immo nonnisi una vel altera vice legitur Christum ad conferendam sanitatem manus imposuisse; passim solo nutu, ac saepe etiam absentibus valetudinem conferebat. Legant evangelium. Ad *d*) *Praesertim in coecum illum*, etc. *D.* Ad experiendam illius fidem, vel mysterii causa, *C.* ex necessitate *N.* Cum id nonnisi semel contigerit, nec alibi occurrat, peculiares ob causas sibi notas, Christum ita egisse dicendum est; alioquin semper debuisset eadem ratione se gerere. Adversarii

(1) Luc. VII, 14. (2) Marc. V, 41.

autem casum extraordinarium extendunt ad ceteros omnes, etsi contrarium constet. Ad *e*) *Sub hac tantum conditione*, etc. *N*. Etenim Christus nunquam hunc ritum praescripsit ad edenda miracula, vel ad gratiam curationum, sed solum praedixit, fore ut, quum manus imponerent ipsius discipuli, aegri salutem consecuturi essent. Ceterum legimus, claudum, sedentem ad portam Speciosam a Petro et Joanne absque manuum impositione sanatum, et absque oleo (1); sic omnes eos valetudinem recuperasse, quos Petrus transiens obumbrasset (2), illos, ad quos Pauli sudaria et semicinctia deferebantur (3), etc. Rursum bona fides deprehenditur adversariorum, dum talia obtrudunt (4). Ad *f*) *Quae omnia apprime*, etc. *Neg*. prorsus quidpiam commune habere recensita signa cum nugis magneticorum. Ubi enim in illis apparatus occurrit magnetismi, ubi convulsiones, detorsiones, somnus, aliaque id genus non pauca, quae in illo requiruntur et passim absque omni effectu, ipsismet fatentibus (5)? Nonnisi igitur per summam impudentiam ejusmodi comparatio instituitur.

ARTICULUS II.

De prophetia

196. Prophetia, graece μαντική (6), passim definitur *praesensio et praedictio certa futuri alicujus eventus*,

(1) Act. III, 7.
(2) Ibid. V, 15.
(3) Ibid. XIX, 12.
(4) Apposite S. Thom. p. 3. q. 83. a. 4. ad. 1. observat, quod *manus impositio... ordinatur ad miracula perficienda, ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati etiam corporalis infirmitas tollatur*.
(5) Vide *Examen sérieux et impartial du magnétisme animal*, Paris 1784; *Bibliothèque du magnétisme animal*, Juin. 1818, tom. II, pag. 15, et alibi passim; Deleuze, op. cit. tom. I, pag. 168, tom. II, pag. 8, 18, 24, 27, 67, 88. Ipsemet Mesmer queritur exagerata esse, quae vulgabantur, *Mémoires*, etc. p. 108.
(6) Hebr. נְבוּאָה annuntiatio, interdum חָזוֹן prospectus, seu מַרְאֶה visio.

qui in causis naturalibus praesciri non potest ; vel pressius *manifestatio rei futurae creaturis occultae* (1). Ex qua prophetiae notione patet, tres conditiones ad eam vere et proprie talem constituendam requiri : 1. ut sit praedictio *certa* , non conjecturalis , 2. rei futurae *liberae* , quae proinde nec arte nec scientia naturali qualicunque cognosci possit, 3. ita determinata, ut non accomodetur eventus prophetiae, sed potius prophetia determinet eventum ; id est, quod non sit vaga et obscura, flexiloqua, quae omni eventui accommodari possit, et applicatio non sit arbitraria. Quae conditiones semper prae oculis habendae sunt ad cavillationes omnes adversariorum detegendas, praesertim cum ipsae sint, quae characterem et notam divinitatis imprimunt prophetiis. Est enim prophetia genus quoddam miraculi, seu verum quidem miraculum : sed prophetia prae miraculo hoc habet, quod probationem suam sibi ipsi suppeditat. Quisquis enim prophetiae veritatem certam habere potest, modo sciat eam praedictam fuisse antequam evenerit, et ejusdem praedictionis exitum animo contempletur. Cum nonnulli ipsam prophetiae possibilitatem impugnaverint, alii vero ejusdem probationis vim oppugnent vel parvipendant, quod circa miracula effecimus, id ipsum praestabimus circa prophetiam, ostendendo ejusdem possibilita-

(1) Cons. S. Thom. 2, 2. q. 171. art. 1 : *Dicendum , quod prophetia primo et principaliter consistit in cognitione , quia videlicet prophetae cognoscunt ea , quae sunt procul et remota ab hominum cognitione* , etc. Et ibid. q. 174. a. 2, ubi tres gradus prophetiae distinguit. Ab hic tradita prophetiae notione recessit incredulus Dumarsais in sua *Analyse de la religion chrétienne*, ubi scribit *veram significationem prophetae esse praedicatorem aut hortatorem* ; sed bene vapulat a Nonnotte S. J. *Diction philos.* art. *Prophéties.* Id ipsum , quod Dumarsais, innuit Salvador, in sua *Histoire des institut. de Moïse et du peuple hébreu*, Paris 1828, liv. II, chap. 3, *Orateurs publics ou Prophètes*, pag. 192 et seqq. ; ubi nihil supernaturale in ipsis agnoscit, nullum vaticinium proprie dictum, quin potius omnem prophetiam excludit. Nec mirum , cum Judaeus iste non refricet nisi Spinozae principia et deistarum nec non recentiorum biblicorum et rationalistarum.

tem, atque summam ejusdem vim et efficaciam ad evincendam divinitatem supernaturalis revelationis.

§ I.

De prophetiae possibilitate

197. Omnis prophetiae, seu, ut veteres vocabant, *divinationis* possibilitatem ex antiquis negarunt Colophonius, Tullio (1) teste, et Epicurus, qui rerum humanarum curam ad Deum non pertinere profanus homo asserebat (2); sic sensit Carneades, eodem Tullio (3) teste. Ex recentioribus hanc Deo denegant facultatem futura praevidendi Spinoza (4) atque Sociniani (5); nunc demum rationalistae (6). Adversus quos sit

PROPOSITIO

Prophetia est possibilis

198. Non implicat, sive nulla est repugnantia, Deum libere futura cognoscere, et haec manifestare; ergo prophetia est possibilis. Duo enim haec ad prophetiam requiruntur et sufficiunt. Jam vero non repugnare, quominus Deus libere futura cognoscat, insita hominibus ipsa Dei idea evincit, quorum ea semper fuit persuasio, Deum omnia cognoscere. Idem postulat ipsius entis perfectissimi notio, alioquin nec omnia praesentia Deus cerneret, neque omnia tempora complecteretur ejus aeternitas, ac

(1) *De divin.* lib. 1, c. 3.
(2) Diog. Laert. lib. x, qui est de Epicuro. Cicer. *De nat. deor.* lib. 1, c. 19.
(3) *De fato*, c. 14.
(4) *Tract. theol. polit.*
(5) Faust. Socin. in *Praelect. theol.* cap. 8, 9, 10; Joan. Crellius, *De Deo et attributis divinis*, c. 26, pag. 223, vers. belgic.; Valer. Smalzius *contra Franzium*, pag. 472 et seq.
(6) Wegscheider, op. cit. part. 1, c. 2, § 50; Kant, *Anthropolog.* 101, apud eumdem.

nova semper fieret accessio ad ejus scientiam, quae omnia a Dei idea summopere abhorrent.

199. Quod si ejusmodi libere futura Deus necessario cognoscit, haec ipsa manifestare potest, ut patet per se, et ex iis, quae de revelationis possibilitate disseruimus. Ergo prophetia possibilis est.

DIFFICULTATES

200. Obj. 1. Quod nondum est, nihil est, atqui objectum prophetiae est id quod nondum est, ergo nihil est; at quod nihil est, nec praevideri nec praedici potest; ergo impossibilis est prophetia (1). Addatur 2. difficile, immo impossibile esse quempiam infallibiliter certum esse de accepta a Deo prophetia. Praeterea 3. quaevis praedictio divinitus patefacta, qua fatum inevitabile hominis aut populi cujusdam, quod ab opere quodam ab ipsis perpetrando pendeat, diserte annuntiatur, ideae Dei sanctissimi ac benignissimi repugnat, fatalismum fovet, et libertatem hominum moralem tollit (2); ergo.

201. Resp. ad 1. *D.* Nihil est actu existens, *C.* nihil est possibile et consequenter cognoscibile ab intellectu infinite perfecto *N.* Eodem ferme modo se habent futura respectu Dei, ac se habent praeterita respectu nostri. Res praeteritae in se utique nihil sunt, attamen certo fuerunt; idem dic de futuris respectu Dei, si tamen futura aliqua in Deo sunt vel praeterita, et non potius omnia praesentia; unde fit, ut in Deo proprie nulla sit praescientia sed potius scientia.

202. Ad 2. *N.* ut patet ex dictis agendo de possibilitate revelationis (3); et *N. conseq.* Dummodo enim

(1) Ita fere Voltaire *Essai sur les moeurs et l'esprit des nations*; Discours prélim., et art. *oracles* tom. VIII. de ses Oeuvres, édition de Genève 1769, p. 88.

(2) Ita Wegscheider loc. cit.

(3) Num. 8 et seqq. hujus tract.

eventus veritatem vaticinii comprobet, nihil aliud requiritur; vaticinium siquidem, ut diximus, probationem suam sibi ipsi suppeditat.

203. Ad 3. *N.* Non enim eveniet, quia praevisa vel praedicta, sed ideo praevisa et praedicta est res aliqua, quia futura, ideoque si aliqua necessitas est in ejusmodi praedictionibus, non est nisi consequens et hypothetica (1); logice enim prius est aliquid esse, quam videri, proindeque et manifestari.

§ II.

De vi et efficacia prophetiae ad ostendendam divinitatem revelationis

204. Hic observare juvat quamdam excellentiae speciem respectu nostri sibi conciliare prophetiam super miraculum ad ostendendam divinam alicujus missionem ac proinde divinitatem factae revelationis. Cum enim unusquisque testis esse possit eventus praedicti, satis est eum cum prophetia comparare, ut superius observatum est. Quare minus cavillationibus ac telis incredulorum vaticinium exponitur quam miraculum. Quod patet potissimum ex ipsa incredulorum agendi ratione et praesertim Freret, qui licet plura congesserit adversus probationes

(1) Difficultatem hanc, quam adeo magni facit Wegscheider cum suis, jam promoverat Epicurus, quocum causam communem agunt sociniani et rationalistae. Ipse enim non solum rejecit divinationem ex eo quod nulla diis cura esset de nobis, sed praesertim ex perempta hac ratione humana libertate: Ἡ μαντική ἀνύπαρκτος. εἰ δὲ καὶ ὑπαρκτική οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ἡγητέον τὰ γενόμενα; seu, *Divinatio nulla est, si vero talis esset, omnem ea tolleret voluntatis libertatem, nihil ad nos existimandum pertinere quae fiunt.* Diog. lib. x, Segm. 135, edit. Meibomii Amstelod. 1692. Eadem sententia inhaesit Carneadi, qui apud Tullium loc. cit., *ne Apollinem quidem futura posse dicere putavit, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset.* Idem senserunt Stoici et Tullius ipse, quorum sensa fuse S. Augustinus refellit, *De civ. Dei*, lib. v, capp. 8, 9, 10. Cons. S. Thom. loc. cit. art. 6. ad 1, qui hanc difficultatem jam praeoccupaverat.

christianismi, ejusque doctrinam, miracula, etc., alto tamen silentio praeteriit vaticinia, perinde ac si ad ea minime advertisset, eaque penitus dissimulavit, prout observavit Spedalieri (1). At quod non praestitit Freret seu verius auctor operis sub ejus nomine vulgati, id praestiterunt rationalistae; qui nihil intentatum reliquerunt ad vim elevandam hujus notae supernaturalis revelationis. Ipsorum argumenta inferius expendemus. Interea sit

PROPOSITIO

Prophetia est certissimum divinae ac supernaturalis revelationis argumentum

205. Prophetia vere et proprie dicta non potest esse nisi a Deo; ergo quoties vera habetur prophetia eventu comprobata, toties ineluctabile divinae ac supernaturalis revelationis exurget argumentum.

206. Antecedens constat ex notione, quam de prophetia dedimus; consequens negari non potest.

207. Id confirmatur ex omnium gentium persuasione, sive ex sensu naturae communi. Nulla enim gens est, quae non admiserit praedictionem libere futuri alicujus eventus qui exitum sortitus fuerit velut ineluctabile argumentum divinitatis. Hinc propterea receptum apud veteres sapientes adagium, cujus meminit Cicero (2): *Siquidem ista sic reciprocantur, ut et si divinatio sit, dii sint, et si dii sint, sit divinatio*; qui praeterea addit: *Vetus opinio est, jam usque ab heroïcis ducta temporibus, eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam graeci* μαντικὴν *appellant, id est, praesen-*

(1) *Confutaz. dell' esame critico del signor Nic. Freret.* Praefaz. pag. VIII, edit. Rom. 1778.

(2) *De divin.* lib. I, c. 5.

tionem et scientiam rerum futurarum (1). Exinde repetenda oracula, aruspicia, sybillae, ceu totidem divinitatis organa. Poetae ipsi passim vates exhibent numine plenos et agitatos ad futura praedicenda. Adeo gentes omnes hac persuasione imbutae erant, divinationem sive prophetiam nonnisi a Deo esse! Ergo.

DIFFICULTATES

208. I. Obj. Frustra Deo adscribuntur prophetiae; 1. prophetia enim a vividiore imaginatione pendet; 2. facile siquidem accidit, ut vehementior animi affectus imaginationem incendat, qua sibi animus quasi praesentia fingat, quae sperat vel metuit, ut Cassandrae contigit malorum vehementer terrore perculsae, quae Troja a graecis patiebatur. Ita post Spinozam auctor operis *Examen religionis*. 3. Hinc fit, ut per conjecturas humanas quaedam praevideri possint ac praenunciari, ut saepe factum esse omnis historia docet. Ergo incertum est, quod a vaticiniis deducitur, argumentum.

209. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ac proinde hujusmodi prophetia ea non est, de qua loquimur, *C.* illa de qua loquimur *N.* Nempe eo ipso, quod a vividiore imaginatione pendeat aliqua praedictio, non includitur in prophetiae notione, quam dedimus, et ex qua exclusimus omnem causam naturalem. Addendum ejusmo-

(1) Ibid. lib. 1, c. 1. Idem alias Balbum ita locutum fuisse fingit: « Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus quam praedictionem rerum futurarum, mihi videtur quam maxime confirmare deorum providentia consuli rebus humanis. Est enim profecto divinatio, quae multis locis et temporibus apparet, tum in privatis rebus tum maxime in publicis. Multa cernunt haruspices, multa augures provident, multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somniis, multa portentis ». *De nat. deor.* lib. II, c. 65, edit. Taur. opp. XIII. Cons. Huet, *Demonstr. evang.* tom. 1, Axiom. 4, ubi mira eruditione, ut solet, adductis veterum sive graecorum sive latinorum testimoniis, id luculentissime evincit. Optime propterea et energice Tertullianus, *Apol.* c. 20. concludebat: *Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis.*

di vaticinia incerta esse et conjecturalia, minime vero certa et determinata, qualia ad revelationis notam necessaria esse diximus.

210. Ad 2. Idem responsum esto, quod accommodari etiam potest iis, quae ex magnetismo animali vel somnambulismo objici solent; etenim semper extra hypothesim versantur; nam in his omnibus aliisque similibus praeexisteret causa naturalis, quam nos exclusimus. Addatur imaginationem, utut vividissimam, nullam habere vim posse in liberas hominum voluntates et actiones, quae futurae sint, cum nullam adhuc habeant determinationem vel in seipsis vel in causis. Quare Cassandrae factum, ejus supposita veritate, quae tamen saltem dubia est, extra rem et causam profertur (1).

211. Ad 3. *D.* Et in hoc casu haberetur prophetia proprie dicta, de qua loquimur, *N.* improprie dicta *C.* Futura pleraque non negamus posse non sine aliqua probabilitate conjici ac praenunciari; sic ex habitu corporis, et indole, propensionibus, aliisque id genus, futurum hominis exitum probabiliter conjicere possumus et solemus; ita nos quotidie ex puerorum indole conjicimus: iste vitam finiet in suspendio, hic erit sanctus, apostolus, etc.; id ipsum dicatur de politicis praedictionibus, quas non raro exitus confirmat (2). At haec neque excedunt naturalis ingenii vires vel conjecturae limites; hinc etiam vidimus saepe spem fallere et inopinato eventu omnem conjecturam subverti, et ratio est, quia humana conjectura non omnes *possibiles* casus praevidere potest.

(1) Cons. S. Thom. loc. cit. q. 172, art. 1, ubi totum istud argumentum evolvit atque in clarissimo lumine ponit.

(2) Huc referuntur praedictiones s. Gregorii Naz. de futuro Juliani apostatae exitu, et P. Le Jay S. J. de Voltaire, Polybii relate ad romanae reipublicae finem, Jos. Flavii quoad Vespasiani assumptionem ad imperium, Mahumetis circa victoriam graecorum sub Heraclio in persas, etc.

212. II. Obj. Si prophetia a Deo esset, non vero ex humana industria vel arte comparata, id potissimum erueretur ex prophetiis, quae in sacris litteris habentur. Jam vero, inquit Wegscheider (1) cum suis rationalistis, 1. praedictiones vere et proprie dictae, indubitatae, summaque cum claritate definitae, in utroque sacro codice frustra quaeruntur, ipsiusque Jesu Christi praesagium de reipublicae judaicae excidio non satis perspicue enunciatum est (Matth. XXIV, 36). 2. Tum prolata sunt nonnulla vaticinia ab hominibus auxilio divino plane indignis (Num. XXII, 5 et seqq. I Sam. XV, 32; Jon. I, 3; IV, I. et seqq. Joan. XI, 51). Praeterea 3. nonnulla in libris sacris continentur, quibus eventus nequaquam respondit; conf. praeter plurima vaticinia messiana Isaïae XXII, XXIX, XXXIV, LXIII, LXVI; Dan. II, VII; Oseae. IX, 3, XI, 5, Ezech. XL et seq. Luc. I, 32; Act. II, 30; Matth. XXVI, 32; Coll. Act. I, 4; Matth. XVI, 28; Joan. XXI, 22, I Thess. IV, 15; V, 1 et seq. I Cor. XV, 51; Apoc. et quae populi traditionibus mythicis et superstitiosis nituntur, veluti Ezech. XXXVIII et XXXIX. 4. Alia denique singulari quodam scriptorum hebraeorum artificio post eventum demum conficta sunt, v. g. Gen. XXV, 23; XXVII, 27, 29; XXXIX, XL, XLIX; Num. XXIV, 17 et seqq.; Deut. XXXIII; I Reg. XIII, 2; XIV, 15; Dan. VII-XII; Matth. XXIII, 35; vel 5. praedictiones nonnullae, propria earum significatione mutata aut pressius definita, ad rerum eventum inflexae et singulis rebus in facto positis post eventum demum accuratius adaptatae sunt, v. g. Dan. IX, 24, Ps. XVI, coll. Act. II, 29 et seq. Ps. XXII, 17-19, coll. Joan. XIX, 23 et seq. Isaïae LIII; Matth. XII, 40; XVI, 21; XVII, 9; XXII, XXIII, XX, 19; XXVI, 34, coll. Joan. XII, 36 et seq. Luc. XIII, 32; Joan. XXI,

(1) Op. cit. p. 1, c. 2, §. 5q.

18. Postremo 6. quemadmodum Jesus ipse parum honorifice judicavit de hebraeorum vatibus (Matth. XI, 11; Luc. VII, 28); ita apostoli vaticinationem obscuram et imperfectam esse ipsi professi sunt (I. Cor. XIII, 9; II Petr. I, 19 conf. Act. I, 7). Omnino autem apparet, Jesum interpretandi rationem, quae in thalmudicis et rabbinorum sicut in Philonis et Josephi scriptis latissime regnat, sequutum, et eo ipso, quod nonnulla prophetarum oracula ejus fata resque ab eo gestas vere adumbrare videntur, ductum, V. T. effata de felicissima rerum conversione et de novae faustiorisque civitatis instauratore aliaque, providentia divina ita moderante, ad seipsum traduxisse, ut fidem faceret judaeis, et ideis ipsorum messianis suas de regno quodam spirituali per Messiam condendo (Matth. XI, 13; XXII, 32. et seq. Luc. XVII, 20 et seqq. Joan. VIII, 12; XVIII, 36.) prophetarum quidem dictis nonnullis (Is. II, 2-5; XI, 1 et seq. XLII, 1-4; Joel. III, 1; Zach. III, 7 et seqq. VI, 12-15; Mal. III, 1-4; IV, 1 et seq.) jam vere adumbrato, adnecteret. Quae cum ita sint, argumentum e vaticiniis deductum, etc.; ergo (1).

213. Resp. *C. maj. N. min.* Ad 1. prob. *N.* Mentitur Wegscheider dum talia affirmat; exemplo sint promissiones Abrahae factae (Gen. XIII, 63 et seq.) de possessione terrae Chanaan, rursum praedictio de futura gentis peregrinatione a se nasciturae in Aegyptum, de illius servitute per quadringentos annos, deque ejus liberatione in quarta generatione (ibid. XV, 13 et seq.), praedictio nativitatis Isaac (ib. XVIII, 10) et quidem intra annum contra omnem expectationem, de benedictione omnium gentium in semine Abraham (ibid.), ut

(1) Haec eadem fere sunt, quae jam objecerat Voltaire, *Bible enfin expliquée par plusieurs aumoniers de S.M.L.R.D.P.* et *Questions sur l'Encyclop.* art. *Messie*, tom. XXIV; ex quo patet, quam vere dixerimus, rationalismum non esse nisi atheismum seu theismum larvatum.

innumeras alias ex V. T. omittam claras, definitas, cujusmodi sunt eae omnes, quas edidit Moyses in conspectu Pharaonis circa futuras Aegypti plagas earumque cessationem (Exod. VIII; IX, X, XI, XII), ex N. T. autem omnes praedictiones Christi cum omnibus suis adjunctis circa ipsius passionem (Matth. XVI, 21; Marc. IX, 31; Luc. IX, 44 et XXIV, 7) ejusque post tres dies resurrectionem (ibid.), circa trinam Petri negationem illa ipsa nocte ante galli cantum (Matth. XXVI, 34; Marc. XIV, 27; Joan. XVI, 32). Impudenter igitur mentiuntur rationalistae, dum talia effutiunt. Ad Prob. *ipsiusque J.-C. praesagium*, etc. *N.* Apertissimum siquidem est illud non *praesagium* sed vaticinium de proxima templi ac Solymorum eversione, si praesertim conferatur locus parallelus Luc. XXI. 9, et seqq. et Marc. XIII, 2, cum omnibus suis adjunctis temporis, personarum, etc. Sufficit, ut quis certior fiat de gratuita adversariorum assertione, legere citata loca eaque cum historia Jos. Flavii de bello judaïco comparare (1).

214. Ad 2. *Tr.* Quia ejusmodi dona, quae a theologis dicuntur gratis data, absque sanctitate consistere possunt, et in ejusmodi casu nihil efficaciae suae amitterent vera vaticinia. Saepe diximus vaticinia suam probationem secum ferre (2).

215. Ad 3. Vel *N.* vel *D.* Si conditionata sint, conditione non posita, ut saepe factum est, *C.* si absoluta *subdist.* posita arbitraria interpretandi methodo protestan-

(1) Perspicuum adeo et definitum est hoc vaticinium, ut christiani eo admoniti, recedente exercitu Romanorum, Jerosolyma relicta, Pellam in Galilaea se receperint, ut refert Eusebius, *Hist. eccl.* lib. III, c. 5, vers. Valesü; oppidum autem illud erat trans Jordanem. Quod ergo clarum et definitum fuit omnibus christianis aetate illa, erit obscurum Wegscheider?

(2) Cons. S. Thom. loc. cit. art. 4, ubi ostendit, esse posse prophetiam sine morum probitate, cum ad proximorum utilitatem ac salutem, non autem propriam, sit a Deo infusa. Certe juxta verba Christi (Matth. VII, 22) dicturi aliquando nonnulli impii erunt: *Nonne in nomine tuo prophetavimus?*

tium, nempe juxta privatum uniuscujusque sensum, *Tr.* juxta sanae exegesis regulas *N.* Observandum igitur est, non pauca vaticinia conditionata esse; porro cum conditio effectum suum non sit sortita, quid mirum si vaticiniis effectus non responderit? Talia sunt, quae adimplenda adhuc supersunt, vel in dies adimplentur, talia quae in Apocalypsi leguntur, quae spectant ad plenam vocationem gentium; talia quae sub cortice litterae sensum spiritualem praeseferunt (licet adversarii nostri id non admittant), cujusmodi sunt ea, quae de futurae synagogae felicitate, de sede David, de regno messiano, aliisque id genus non paucis pro lubitu intelligunt isti neoterici biblici protestantes et rationalistae, ut inde arguant eventum prophetiae non respondisse. Addatur gratis omnino asserere adversarios, citata ab ipsis vaticinia impleta non esse, atque insuper nec id asserere ipsos potuisse; etenim si omnia V. et N. T. vaticinia obscura sunt et indefinita, quomodo nunc affirmant, eventum iis non respondisse? Mendacem oportet esse memorem (1)!

216. Ad 4. *N.* Haec enim non est nisi gratuita et impudens adversarii assertio contra omnes critices regulas et consensum et testimonium universae gentis judaeorum et christianorum. Observandum est, quod inter vatici-

(1) Hic obiter notetur, protestantes solitos esse scripturam per solam indicationem capitum et versiculorum adducere. Et hoc duplici ex causa, 1. ut fucum faciant imperitis et malam fidem facilius tegant; ut ostentent propriam peritiam in versandis scripturis. At primum ingenuo scriptore indignum est, alterum puerile, cum ope concordantiae quisque possit eamdem peritiam ostentare. Nunc ut speciem exhibeam malae fidei et gratuitarum assertionum Wegscheider in adductis locis, observo caput XXIX Isaiae esse de eversione Solymorum, quod adamussim impletum est; cap. XXXIV de Dei ultione in omnes gentes, quae pariter sub chaldaeis contigit; cap. LXIII. de Christi triumpho in hostes suos et derelictione hebraicae gentis, quod pariter suum exitum sortitum est; cap. LXVI pariter esse de vocatione gentium et judaeorum derelictione seu reprobatione, Dan. cap. II. esse de visione Nabuchodonosor et de quatuor monarchiis. Eccur autem adimpletum non est hoc vaticinium? Sic dicatur de ceteris, cum non vacet singula percurrere. Interea *Crimine ab uno disce omnes.*

nia scriptorum Hebraeorum singulari artificio post eventum demum conficta recenseat auctor noster etiam illud quod legitur Matth. XXIII, 35. Quam bene haec cohaerent (1)! Addo: saltem ista vaticinia post eventum conficta deberent esse clara ac definita, cur igitur nulla esse id genus oracula adversarius noster affirmavit? Mendaces sibi constare non possunt.

217. Ad 5. *D.* In sensu et sententia adversarii, *C.* reipsa *N.* Profecto commoda via est ad declinandam vim vaticiniorum, ut si quae sint luculenta et ineluctabilia, gratis affirmare ea post eventum conficta esse, iis autem, quae eludi minime possunt, affingere alium et privatum sensum, contrarium illi, quem sacri scriptores aperuerunt, ac deinceps affirmare ea deflexa significatione post eventum ad alia fuisse accommodata. Sed

(1) Praestat et hic novum sumere specimen innocentiae atque honestatis rationalistarum eorumque eruditionis biblicae, quam in eis aliqui suspiciunt. Inter vaticinia conficta Wegscheider refert Gen. XXXIX; at hoc caput nullum exhibet vaticinium, sed historicum totum est, de tentata nempe Josephi castitate. Quo vero fundamento in animum induxerit suum Wegscheider, totidem esse conficta vaticinia, ea quae praedicunt futuram superioritatem hebraici populi super Idumaeos (ut Gen. XXV, 23-XXVII, 27; XXIX) plane ignoro. Id ipsum dicatur de interpretatione somniorum eunuchorum Pharaonis a Joseph in carcere facta (Gen. XL) et de Jacobi morituri benedictionibus in filios (ib. XLIX). Quare tantae fraudis non indicavit tempus, auctores, adjuncta? Sed veniamus ad Dan. VII et seqq. usque ad XII; Porphyrius longe ante rationalistas a quodam Epiphane haec capita in Judaea, aetate Antiochi, conficta autumavit. At praeter Judaeorum traditionem, in quorum manibus volumen Danielis erat, desperatum Porphyrii perfugium prorsus evertit testimonium Jos. Flavii, qui (*Archaeol.* lib. XI, c. ult.) refert Alexandro M. Jerosolymam adventanti a sacerdotibus volumen Danielis exhibitum fuisse, ac locum illum ostensum (est autem cap. VIII), in quo regem Persarum devictum iri a rege Graecorum praedicebatur. Δειχθείσης δὲ αὐτῷ τῆς Δανιήλου βίβλου ἐν ᾗ τινα τῶν Ἑλλήνων καταλύσειν τὴν Περσῶν ἀρχὴν ἐδήλου, νομίσας αὐτός εἶναι ὁ σημαινόμενος, τότε μὲν ἡσθεὶς ἀπέλυσε τὸ πλῆθος· τῇ δὲ ἐπιούσῃ προσκαλεσάμενος, ἐκέλευσεν αὐτοὺς αἰτεῖσθαι δωρεὰς ἃς ἂν αὐτοὶ θέλωσι. etc. p. 581. tom. I, op. edit. Havercamp, Amst. 1726. Jam vero Alexander Antiochum praecessit annis plusquam 150; fieri proinde non potuit, ut liber Danielis suppositus fuerit, vel assuta recensita capita tempore Antiochi. Sic corruit commentum Porphyrii, et Wegscheider qui eadem recoquere audet. Consulatur praeterea *Die authentie des Daniel*, etc. Seu *Authentia Danielis demonstrata*, etc. per Ernst Wilhelm Hengstemberg, Berolini 1831, in-8.

neque hic sibi constat auctor noster. Nam Danielis caput IX supra inter conficta post eventum retulit, nunc recenset inter ea, quae post eventum deflexa sunt a propria significatione. Addatur Psalmum XVI (in Vulg. XV) de Christi resurrectione in sensu recepto ab ipsa synagoga a Petro expositum esse, alioquin palam et pro concione non retulisset. Psalmum XXII (XXI) de Christi passione in citato versu accipiendum esse, tum res ipsa declarat, tum synagogae recepta expositio etc., et sic de ceteris ibidem commemoratis.

218. Ad 6. *Neg.* prorsus. Hoc enim novum est figmentum adversarii nostri. In locis enim citatis Christus solum dixit: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*, vel ut est apud Luc. *Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est* (1). Utrum hoc dicendum sit, parum honorifice de prophetis loqui, ad quos saepe provocat Christus ipse (ut Luc. XXIV, 25, 27; Joan. VI, 45 et alibi passim), quisque intelligit. Ad conf. *ita apostoli vaticinationem obscuram*, etc., *N.* Nunquam apostoli hoc dixerunt, sed mentitus est bonus rationalista. I Cor. XIII, 9 Apostolus ait: *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus* (2); II Petr. I, 19 contrarium docetur: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco*, adeo ut veluti praeferat prophetiam visioni sibi factae in monte sancto; Act. vero I, 7 legitur: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Itaque si adversarius noster hic non abutitur scripturarum auctoritate ac bona lectoris fide, et perfricta fronte imperitis imponit, quis hoc facere dicendus sit plane non video.

(1) Observat vero hic Maldonatus comparationem a Christo institui in sanctitate, non autem in prophetia.

(2) Prophetiae hic Apostolus praefert visionem beatificam, quae utique clarior erit. Cons. Bernard. a Piconio in *Triplici expositione*. Non absolute propterea loquitur Paulus, sed relative.

219. Ad 7. *N.* Et hic praeter falsitatem impietas etiam adversarii patet, quippe Christum ut seductorem traducit, quod abusus fuerit judaeorum simplicitate. Et tamen isti christiano adhuc nomine gloriantur, et impune theologiam in academiis tradunt! Cum igitur praeter suam impudentem assertionem nullam afferat probationem, non est cur hic tempus teramus (1).

220. Inst. 1. Varius est prophetarum stylus pro diverso eorum ingenio et educatione. 2. Sine aliquo apparatu prophetare non valent, ut contigit Elisaeo (IV Reg. III, 15). 3. Institutae inveniuntur apud hebraeos prophetarum scholae, in quibus ars prophetandi tradebatur; hinc et grex prophetarum occurrens Sauli (I Reg. X); 4. hinc enthusiastae quidam ex ipsis indecora patrabant, ut esset nude incedere (Is. XX). Ergo divinae revelationi prophetia adscribi non debet.

221. Resp. ad 1. Quia Deus probabiliter non semper verba singula, sed sensum ut plurimum prophetis tradebat, *C.* secus *subdist.* quia Deus verba dictans sese diversae prophetarum indoli accommodabat, *C.* quia ex ipso non erant edita vaticinia *N. Nec enim homo*, in-

(1) In nota (o) scribit: *Sic Josephus, interpretandi genus Judaeis usitatum sequutus, Vespasianum oraculis messianis portendi* (*Bell. jud.* lib. VI, § 4), *Cyrillus jeros. sua ipse fata a prophetis praedicta fuisse opinatus est.* Sozom. *hist.* lib. IV, 5; Ammon, *Bibl. theol.*, II, 86 et seq.; Eichorn *Ausführl. Unterr.* 156 et seqq. *Briefe über den rationalismus*, 221 et seqq. Sed si Josephus incredibili assentatione contra omnium suae gentis sensum accommodavit oracula messiana Vespasiano, ergo et Christus hunc morem sequutus est? Mira rationalistarum dialectica! Falsum porro est Cyrillum Jeros. opinatum fuisse fata sua a prophetis praedicta; neque id tradit Sozomenus, sed relata ingentis crucis in aeris spatio apparitione ab omnibus conspecta per plures horas (et hic videant rationalistae an unquam signa defecerint in ecclesia catholica) subdit aliquos asseruisse haec in sacris libris olim praedicta fuisse per divinam quamdam prophetiam. En verba Sozom. loc. cit.: Ἐλέγετο δὲ παρὰ τῶν τὰ τοιάδε ἐπιστημόνων κατὰ τίνα προφητείαν θείαν πάλαι ταῦτα προμεμηνύσθαι ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις. Talis est fides istorum virorum Ammon, Eichorn, etc., qui habentur ut rationalismi fundatores!

*

quit s. Thomas (1), *ex operatione divina immutatur circa prophetiam.*

222. Ad 2. *N.* Casus enim Elisaei, qui adducitur, unicus est et singularis. Ad sedandum enim animum suum psaltem requisivit, non ad excitandum spiritum prophetiae.

223. Ad 3. *D.* Ad pie educandos adolescentes, ex quibus Deus aliquos identidem eligebat ad futura praenuncianda, *C.* ad artem prophetandi addiscendam *N.* Et hic obiter notamus cum Bergier (2), non unam esse in scripturis nominis *prophetae* acceptionem; aliquando enim hac denominatione veniunt oratores, quo sensu Aaron dicitur *propheta Moysis*; interdum designantur aliqui addicti ad divinas laudes canendas, talis fuit *Saul inter prophetas*, vel cum *domi prophetabat*, psallente David; veniunt insuper doctores et interpretes legis, quo sensu nonnulli dicuntur filii, id est, discipuli prophetarum, qui nempe legis doctrinam addiscebant ab his doctioribus, quorum aliqui divino etiam lumine edocebantur.

(1) S. Thom. loc. cit. art. 3. ad 1. Conf. etiam Huet *Demost. evang.* prop. VIII, ubi in sententia de divina inspiratione quoad singula verba ad rationem reddendam diversitatis styli, quae in singulis prophetis habetur, hac pulchra similitudine utitur: eodem modo ac idem ventus transiens per diversas organi fistulas diversum sonum emittit, sic licet idem spiritus sit, qui diversos inspirat, diversimode loquitur pro diversitate indolis, etc. Ceterum controversia de modo inspirationis, sive quoad solum sensum, sive quoad verba singula adhuc viget. Concilium Trid. litem dirimere noluit, sed solum declarat Deum utriusque foederis auctorem esse. Plures diversimode loquuntur. Ex theologis Lessius et Hamelius S. J. inter alias theses hanc statuerunt: *Ut aliquid sit scriptura sacra non est necessarium singula ejus verba esse inspirata*, quam thesim Theologi Lovanienses et Duaceni annis 1587 et 1588 atro carbone notarunt. Haec tamen censura a reliquis catholicis, ab universitate Parisiensi et a Rom. Pontifice minime probata fuit. Cum Lessio et Hamelio consentiunt e Soc. Jesu Bellarminus, Mariana, A Lapide, Bonfrerius aliique, ex externis Melchior Canus, Contensonius, Calmet, estque sententia communissima. Conf. diss. Calmet *De inspiratione*, etc. ad II Petr. Holden longius progressus est

(2) *Traité*, etc. tom. VII, chap. 7, art. 1, § 1. Plura etiam de hoc argumento habet Jahn, *Introd. in libros V. et N. Foederis*, § 83. Sed ab hoc auctore valde cavendum, saepe enim accedit ad biblicos protestantes.

Quae si accurate distinxissent increduli, prophetiam inter humanas artes minime connumerassent.

224. Ad 4. *D.* Ex praeconcepta adversariorum sententia, *C.* in se *N.* Etenim Isaias ad calamitatem aegyptiorum et aethiopum symbolice exprimendam deposito pallio nonnisi ultima veste indutus incessit. Orientales siquidem nudum dicunt, qui nonnisi hac ultima veste, quam *ehram* appellant, indutus est, atque ita hodiedum in Oriente ruricolae et ad meccanum pseudoprophetae sepulcrum peregrinantes vestiti sine aliorum offensione incedunt (1).

DIFFICULTATES

Ex ethnicorum vaticiniis

225. Obj. 1. Nulla est religio, quae suas non habeat prophetias seu divinationes et oracula, 2. quae si cum biblicis conferantur, vix ullum inter ea deprehenditur discrimen. 3. Celeberrima sunt oracula Jovis Dodonaei in Chaonia Epiri regione, Jovis Ammonis in Lybia, Apol-

(1) Janssens, *Herm.* tom. 1, n. 319; et hic auctor in nonnullis a vera via deflectit, merito proinde castigatus ab Amando a S. Cruce dioec. Leodiensis presbytero, in suis *Animadvers. crit. in eumdem*, *Monaci* 1820. Interim ex dictis patet quid reponendum sit scurrae Voltaire, dum ridet panem stercore humano vel bovino linitum ab Ezechiele comedendum (Ezech. IV, 12). At non advertit nunquam ejusmodi mandatum a Deo prophetae datum esse, sed ad exprimendam summam lignorum penuriam, ad quam in captivitate Judaei redigendi essent, jussit Deus coquere panem ex fimo exsiccato sive hominis sive bovis; en verba textus: וְהִיא בְּגֵלְלֵי צֵאת הָאָדָם תְּעֻגֻּה *coque illum sub cineribus cum hominis excremento*; eumdem sensum referunt chaldaeus ac graeci interpretes LXX: Ἐν βολβίτοις κόπρου ἀνθρωπίνης ἐγκρύψεις αὐτά. Jam vero hodiedum in Aegypto atque in Oriente pauperes incolae desertorum panes suos frequenter siccatis stercoribus boum, imo et hominum coquunt. Conf. Corneille Le Bruyn, *Voyages au Levant*, tom. 1, pag. 230; Tournefort, tom. III, p. 106, 122, 133, 136; Pietro della Valle, p. 1. let. 2; Gemelli Carreri, *Voyage autour du monde*, tom. II, p. 57; Calmet, hic; Lamy, *Apparatus ad Bibl.* Guénée *Lettres de quelques Juifs*, etc. tom. II, lett. IV, § 7, pag. 244, edit. de Lyon 1823.

linis in Delo, Delphis et alibi, Latonae in Aegypto, quod Sebenniticum oraculum vocabatur, aliaque permulta erudite collecta et declarata a Mussardo (1), a quibus ethnici expetebant et plerumque obtinebant prophetias, responsa scilicet de rebus ab humana cognitione prorsus remotis. 4. Nil mirum proinde si ea ut divinitus inspirata ethnici crediderunt. 5. Notissima sunt carmina Sibyllina ab ethnicis pariter et christianis admissa. 6. Negari saltem non potest, daemones potuisse praedicere, quae essent ipsi facturi. 7. Hinc dubium semper evadit argumentum ex prophetia deductum ad evincendam divinitatem supernaturalis revelationis; ergo.

226. Resp. ad 1. *D.* Veras vel fictas, *C.* veras *subdist.* quae tamen naturalem scientiam et conjecturam non excedant, *C.* quales nos propugnamus *N.* Nullum exemplum ex tota antiquitate proferri potest de editis oraculis saltem in confirmationem falsae religionis, quae notas praeseferant a nobis superius expositas.

227. Ad 2. *N.* Peculiare enim intercedit discrimen, illudque multiplex inter ethnicorum oracula et vaticinia biblica. Licet enim demus (quod verius censemus ob aperta patrum testimonia) cum P. Balto S. J. adversus Van Dale et Fontenelle non *omnia* gentilitatis oracula sacerdotum fraudibus esse adscribenda, attamen jure affirmamus dari characteristicas notas, quae essentialiter oracula paganorum a biblicis distinguant. Ut enim cetera omittam, oracula et divinationes non erant 1. nisi *effata singularia*, nulla ratione inter se nexa, 2. eaque de eventibus *proxime instantibus*, ut *certis personis* vel *civitatibus* consuleretur, et 3. adeo *ambigua*, ut quidquid accideret., praedictum fuisse videretur (2). Sic de

(1) In sua *Historia Deorum fatidicorum*, *Vatum*, *Sybillarum*, *Phoebadum apud priscos illustrium*, Coloniae Allobrog. edit. 1675.

(2) Omnia prorsus gentilitatis oracula fraudibus sacerdotum adscribenda esse Van-Dale, *De Orac. vet. ethnic.*, Diss. II, contendit, cui ad-

celeberrimis oraculis Apollinis scribit Cicero (1): *Sed jam ad te venio, sancte Apollo... tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint.* E contrario vaticinia biblica 1. sunt permulta, quae omnia *amice inter se conspirant;* 2. ad finem *communem, grandem et Deo dignum* tendunt; partim de factis in *sera posteritate* eventuris agunt, atque 4. minime *ambigua*, sed *determinata*, *certis adjunctis definita*, et eatenus, quatenus opus est, *clara* sunt. Talia sunt vaticinia, quae seriem eventuum, qui ad hebraeos aliasque gentes spectant ab Abrahamo per XXII saecula miro consensu praenuntiarunt, et eo tendunt, ut divinam legationem prophetarum, et per hanc legationem, veritatem doctrinae de Deo unico, omniscio, provido, sanctissimo comprobarent, eamque custodirent hebraei usque ad adventum Messiae ex Davidis posteris ori-

stipulatus est Fontenelle, *Histoires des Oracles*, ch. 7, quibus nonnulli ex recentioribus subscribunt atque inter ceteros Janssens, op. cit. Moshemius vero mediam viam inivit, in *Notis ad Cudworth*, asserens nihil certi affirmari posse pro alterutra sententia. At contra Van Dale ejusque sectatores strenue adeo dimicavit P. Baltus auctoritate omnium veterum ethnicorum, si Plutarchum excipias, ss. Patrum, praesertim Justini, Tertulliani, Cypriani, Athanasii, Lactantii, Augustini, qui dicebat: *Loquacissima simulacra, pulsis daemonibus a christianis, veluti sine flatu organa siluisse*, quod veteres apologetae ethnicis passim exprobrabant, praesertim Tertullianus et Cyprianus; tum factis certissimis ac testibus immediatis, cujusmodi fuit s. Joan. Chrysostomus quoad silentium oraculi daphnitici in translatione reliquiarum s. Babylae, etc. ita ut Fontenelle coactus fuerit palmam dare adversario suo, festivo illo dicto: *Le diable a gagné sa cause*, *Diabolus* nempe *causam suam vicit*. Sane Bergier loc. cit. observat, neminem ausum fuisse P. Balti opus refellere. Hinc bene concludebat P. Bertier S. J.: *Veneratio, qua ecclesiae Patres prosequi debemus, non sinit nos dubitare, quin daemonum arte quaedam sint edita vaticinia*. In epistolis, quibus titulus: *Lettres édifiantes et curieuses etc.*, multa narrantur de his vaticiniis per idola emissis, ab ipsis oculatis testibus. Cons. Amandus a S. Cruce op. cit. *adversus Janssens*.

(1) *De Divin.* lib. II, c. 56, edit. Taur. 1831, op. tom. XIII.

turi, per quem eadem cognitio ad universas gentes erat propaganda. Nec generica sunt ista vaticinia, sed quamplurima cum suis adjunctis temporis, loci, personarum, absque ambiguitate, perspicua et clara. Plura jam exempla superius exhibuimus agendo adversus rationalistas, quibus addi possunt, speciminis gratia, quae habentur Gen. XII, 2-3; XV, 4-5; XVII, 4-8, etc.; tum Isaiae XXI et Jer. L. et LI de futura per medos et persas Babylonis depopulatione, quibus si conferantur, quae refert Xenophon (1), videtur historicus nonnisi eorumdem vaticiniorum commentaria edidisse, adeo omnia adjuncta enunciata adamussim completa cernuntur! Plura alia non minus clara ac definita praetermitto, ut brevitati praestitutae inserviam, cum ejusmodi vaticiniis abundent utriusque foederis paginae.

228. Ad 3. Responsio patet ex dictis. Addo non solum internas notas biblicorum oraculorum ab oraculis ethnicorum essentialiter differre, ut ex nuper dictis evincitur, sed etiam externa adjuncta; 1. enim multa oracula ethnicorum seu divinationes arte fiebant; 2. oracula ethnicorum addicta erant certis locis, ut vates graecorum Dodonae, Delphis, Delo, etc. adeo ut per totum orbem tercentum ad minus recenserentur; pendebant insuper a certis anni tempestatibus vel a vapore cavernarum subterranearum, Pythiae esu baccarum aut gestatione coronae laureae in furorem concitabantur, tripode in Boeotia potissimum; nota est insuper duplex origo oraculi Dodonaei ex sacerdotissa Thebana in sylva Dodonae ex murmure rivi, tum ex statua aenea, aeneo flagello, vasis aeneis; sacerdotes etiam in quibusdam quercubus oracula dabant, etc. 3. Non modo oracula gentilium, sed et praestigiatores donis ac muneribus conciliabantur, ut vaticinia ederent; hinc harioli et aruspices erant in-

(1) *Cyrop.* lib. VII, c. 5.

strumenta principum ac magistratuum, per quos plebs ad ea, quae decreta erant, flecteretur. Hinc illud Demosthenis: *Pythia philippizat.* 4. Oracula et omnis generis hariolatores credulos habebant coaevos suos; prout vero progressu temporis vanitas et fallacia detegebatur, fidem amittebant et in oblivionem abibant. Contra vero prophetae 1. nulli erant addicti loco, 2. cujuscunque erant conditionis, 3. absque ullo apparatu vaticinia dabant, 4. non solum non rogati, sed invitis regibus, principibus, populo; nedum vero aliquam aut laudem aut mercedem referrent, ludibria, odium, insectationes, minas, vincula, carceres, vitae pericula ac necem etiam subibant; unde s. Stephanus, (Act. VII, 52): *Quem*, ait, *prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* 5. Plerumque habuerunt coaevos incredulos nec fidem nacti sunt, nisi postquam vivere desierunt, quum nempe fallere amplius non possent, quando scilicet vaticinia eorum posteriori aevo complerentur; id progressu temporum adeo manifestum fuit, ut multi etiam ethnici veritatem vaticiniorum biblicorum agnoverint (1).

229. Ad 4. *D.* Rudes, et absque sufficientibus motivis, *C.* doctiores et sapientes *N.* Recolantur superius dicta.

230. Ad 5. *D.* Quin edita sint in confirmationem erroris, *Tr.* secus *N.* Omnia obscura et incerta sunt, quae spectant ad deperdita sibyllina carmina; sola nobis remanent, quae recensuit Virgilius (Ecl. IV): *Ultima Cumaei*, etc., quae certe continent de Christo vaticinium, quidquid cum suis contendat Heyne (2). Diversa sunt ve-

(1) Ita quidem Jahn, op. cit., etsi protestantium biblicorum passim vestigia premat.

(2) In argumento hujus eclogae; ubi adstruit poëtam phantasmata poëtica ab aureae aetatis narrationibus petita cumulasse, in certo aliquo temporis sui eventu declarando, quem paulo obscurius designavit, quoniam in vaticinium rem mutavit, atque vaticinantis verbis et phantasmatibus sensa sua exposuit. Deinde, exposita theoria vaticiniorum apud suos recepta, quod orta ea sint ex spe melioris aevi, concludit: « Quascunque in hoc genere descriptiones ne-

terum judicia circa illa. Nonnulli Patres censent Deum per Sibyllas vere edidisse vaticinia sicut olim per impium Balaam. Quae nunc prostant in bibliotheca Patrum, tum quae ex codicibus ambrosianis et vaticanis nuper evulgavit Cl. Maius, ex omnium criticorum judicio spuria sunt (1).

vae felicitatis habemus, sive in Orientis, sive in graecis vel romanis poëtis, eae omnes fere inter se similes sunt: bestiae ac ferae cicures, serpentes innocui, fruges nullo cultu enatae, mare placidum, dii praesentes in terris, aliaque ejusmodi in omnibus commemorantur ». Quibus verbis satis aperte alludit ad Is. XI, quem non secus ac profanos poëtas auream illam aetatem descripsisse innuit. Sed quid exspectes a profanis istis scriptoribus omni religionis sensu destitutis, qui nonnisi terrena sapiunt! Quomodo autem adeo universalis sensus nationibus omnibus inhaesit absque aliquo originario principio, ex quo in omnes emanaverit?

(1) Cons. Gallandi, tom. I, *Bibl. Patrum*, Proleg. c. XVI; ubi ostendit carminum Sibyllinorum auctorem esse christianum ex circumcisione, qui ea edidit anno 138. Quod attinet ad veteres Sibyllas earumque carmina, omnia involucris teguntur. D. Pierre Petit in erudita *Diss. de Sibyllis*, eas ad unam reducit, eamque opinatur vocatam fuisse Delphicam, Erythraeam, Cimmerianam, Cumanam, Samiam, Hellespontiacam, Lybicam, Persicam, Phrygiam, Tiburtinam, a diversis locis, in quibus commorata est. Existimat ipsam fuisse graecam, eo quod oracula omnia graece scripta sint, Erythraeae Asiae urbis natam, Hierophilem nuncupatam, demum Cumis in Italia obiisse. Alii Varronem secuti sunt, qui decem eas numerat. Ceterum inter has decem Cumana est celebrior. Tres ex ea libros Tarquinius magno pretio emit, quos lapideae capsulae inclusos in Capitolio reposuit. Hi libri consulebantur a romanis, quoties graviora impendebant reipublicae discrimina. LXXVI vero annis ante Christum Capitolio sub Sylla conflagrato, Senatus romanus in Asiam et Graeciam misit ad colligenda quotquot sibyllina oracula reperire potuissent. Hi legati mille versus propheticos existimatos Romam attulerunt, qui denuo in Capitolio reaedificato collocati sunt; et sic ratio redditur de carminibus Sibyllae Cumanae a Virgilio recensitis, cum teste Tacito, *Hist.* lib. V, c. 13 et Suetonio, lib. II, c. 14. Oriente toto pervulgata opinio seu potius traditio fuerit de magno Rege ex Judaea profecturo, qui rerum potiretur, quae inter sibyllina carmina relata est, cujus meminit Virgilius. Guillelmus Beveregius carmina sibyllina in tres classes distribuit; prima complectitur genuina annis 76 ante Christum combusta; altera subinde a Romanis collecta, quorum fragmenta apud Plutarchum, Varronem, Tullium, Virgilium occurrunt, quaequae Stylicon v. saeculo, teste Rutilio Numatiano, *Itinerarii* lib. II, flammis tradidit; tertia demum classis, quae tom. I, *Bibl. Patrum* inserta sunt, quibus addi debent a Cl. Maio vulgata. Ex Patribus ea citarunt Justinus, Athenagoras, Theophilus antiochenus, Lactantius aliique. Celsus apud Origenem, lib. V, n. 61, et lib. VII, n. 56, christianos *Sibyllistas* vocat, quod istorum carminum auctoritate uterentur. Cons. Bevereg. *Codex can.* lib. I, c. 14, tom. II; in Georg. Bulli *Primit. et Apostol. trad. de J. C. divinitate asserta*, etc.

231. Ad 6. *D.* Si Deus id ipsis permisisset, *Tr.* secus *N.* Recolantur porro, quae diximus de miraculis, spectatis moralibus Dei attributis.

232. Ad 7. *N.* Ex hoc enim, quod nummi aliqui suppositi sunt ac spurii, non sequitur, omnes ut spurios amandandos; imo ex eo, quod aliqui supposititii sint, concludi potius debet genuinos existere.

233. I. Inst. 1. Constat ex indubiae fidei historicis quaedam auguria et vaticinia ethnicorum clara, ac de re longe post eventura edita, et adamussim adimpleta fuisse. 2. Tale fuit, teste Varrone (1), illud Vetii de duratione imperii romani per XII saecula ex XII vulturibus a Romulo visis. 3. Tale illud cujusdam Germani, qui, teste Flavio Josepho (2), nuntiaverat et regnum et diem obitus Agrippae ex bubone, quem suspexerat. 4. Tale illud Thami, qui ab ignota voce jussum acceperat praedicandi ad portum Palades mortem Pan, teste Plutarcho (3). 5. Nec mirum, cum non desint ex ipsis Ecclesiae patribus, qui prophetiam a causis naturalibus repetant. 6. Sic s. Gregorius M. (4): *Ipsa*, inquit, *aliquando animorum vis subtilitate sua aliquid praevidet*, quod exemplis confirmat; et 7. s. Augustinus (5): *Animae humanae*, scribit, *secundum quod a sensibus corporis abstrahitur, competit futura praevidere*. 8. Quod et in somnambulis passim fieri cernimus; ergo.

234. Resp. ad 1. *N.* Haec enim non est nisi gratuita

q. 4, § 3 et seqq. *Collect. Patrum Apost.* J. B. Cotelerii, Antw. 1698; Fabric. *Bibl. Gr.* tom. 1, c. 29, pag. 227 et seqq. edit. Hamb. 1790. Sed potissimum ex Catholicis Gallandi loc. cit. et D. Prudentius Maran Maurinus, *Praef. ad Justin.* passim, edit. Parisiis 1742; quibus levissimi recentiores biblici protestantes et rationalistae refelluntur in illa jejuna conjectura de Sibylla portendente aetatem auream absque ulla ad Christum relatione.

(1) *Antiq.* lib. XVIII.

(2) *Archaeol.* lib. XVIII, c. 6, n. 7, coll. lib. XIX, c. 8, n. 2.

(3) *De orac. defectu.*

(4) *Dial.* lib. IV, c. 26.

(5) *De Genesi ad litt.* lib. XII, c. 13.

assertio , ut ex responsione ad singula facta quae afferuntur statim patebit.

235. Ad 2. *D.* Ita ut falsitatem augurii ostenderit eventus , *C.* secus *Tr.* Imperium enim romanum occidentale ultra XII saecula perduravit ab urbe condita; orientale vero ad IX. circiter alia saecula. Si vero de Urbe tantum sermo sit , rursum patet falsitas augurii , nondum enim Roma excidit.

236. Ad 3. *N.* Hic enim Josephum ut in nonnullis aliis factis fabulam sive commentum obtrusisse patet tum ex natura ipsius narrationis , tum ex Act. apost. XII , 23 ; ubi Herodis Agrippae mors alia omnino ratione describitur saltem quoad causam ; percussus enim ab angelo perhibetur. Consulatur non solum *Prolusio Joan. Harduini de nummis Herodiadum* , Parisiis 1693 , sed ipse Ant. Van Dale , qui eam Josephi narrationem omnino vellicat atque explodit (1).

237. Ad 4. *D.* Quatenus Deus adegerit daemones ad idololatriae cladem ex Christi morte denunciandam , *C.* alias *Tr.* Transmisimus porro omnia facta ista ex parte historica , quia ex critices regulis valde nutant (2).

238. Ad 5. *D.* Prophetiam late sumptam , *C.* stricte sumptam *N.* De hac porro nos loquimur ; et sic responsio patet ad ea quae 6 , 7 et 8 objecta sunt , quare non opus est ut illa singulatim ad trutinam revocemus (3).

(1) In lib. *De Orig. et progressu idolol.* c. 7, p. 137.

(2) Cons. Huet, *Demonstr. evang.* prop. IX, c. 136; Serry , *Exercit.* 57, n. VIII; Vossius, *De theolog. gent. et physio- Christ.* lib. VIII, c. 3, ubi vindicat historiam hanc Plutarchi ; sed exponit vel de daemonis clade illata per Christum , vel de morte ipsius Christi. Cons. opp. tom. V, Amstelod. 1700.

(3) Consul. S. Thom. 2. 2.q.172. art. 1. ubi citata Patrum dicta explanat dicens : « Quod prophetica praecognitio potest esse de futuris dupliciter ; uno modo secundum quod sunt in seipsis ; alio modo , secundum quod sunt in suis causis. Praecognoscere autem futura , secundum quod sunt in seipsis , est proprium divini intellectus , cujus aeternitati sunt omnia praesentia , et ideo talis praecognitio futurorum non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina. Futura vero in suis causis possunt praecognosci naturali cognitione etiam ab homine. Sicut medicus praecognoscit sanitatem vel mor-

239. II. Inst. cum Rousseau. Ut ex prophetiis certum argumentum erui possit de divina revelatione, tria haec concurrant, necesse est; 1. ut nos testes simus prophetiae, cum editur, ne per vana figmenta decipiamur; 2. nec prophetiae tantum, sed et ejusdem adimplementi; 3. ut certi simus, quod eventus nec potuerit naturali via praevideri, nec fuerit fortuito casu cum prophetia conjunctus; atqui id vix ac ne vix quidem fieri potest; ergo.

240. Resp. *N. M. et m.* Prophetia enim est factum, et factum pariter est ejus adimplementum. Possumus igitur certi esse de ipsis non secus ac de ceteris factis jam praeteritis quibuscunque. Sed nec pauca aut minus illustria exempla suppetunt ex sacris litteris vaticiniorum, in quibus tres recensitae conditiones mirifice concurrunt, v. g. trina Petri negatio, resurrectio Christi, Jerosolymorum ac templi eversio, ut cetera omittam.

CAPUT IV.

DE EXISTENTIA DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS

241. Si possibilis est supernaturalis divina revelatio, si necessaria, si certis characteribus ac notis discerni potest, prout adversus deistas ac rationalistas in superiori-

tem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento praecognovit ». Quo posito fundamento, quod in corpore articuli evolvit, ad objectas sibi s. Augustini et s. Gregorii M. auctoritates ita respondet: « Dicendum quod anima, quando abstrahitur a corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxum spiritualium substantiarum, et etiam ad percipiendum subtiles motus, qui ex impressionibus naturalium causarum in imaginatione humana relinquuntur, a quibus percipiendis anima impeditur, cum fuerit circa sensibilia occupata. Et ideo Gregorius dicit quod anima quando appropinquat ad mortem, praecognoscit quaedam futura subtilitate suae naturae, prout scilicet percipit etiam modicas impressiones; aut etiam cognoscit futura revelatione angelica, non autem propria virtute; quia, ut s. Augustinus dicit lib. 12, c. 13. Super Gen. ad lit.: Si hoc esset, tunc haberet, quandocunque vellet, in sua potestate futura praecognoscere, quod patet esse falsum ». Haec quidem voluimus per extensum referre, ut pateat a s. Doctore praeoccupata jam fuisse, quae postea magnetismi animalis patroni commenti sunt loquendo de somnambulismo a magnetismo excitato, de quo ipsi mira referunt.

bus capitibus nos evicisse confidimus, expendendum superest, utrum Deus homini defuerit, an vero eidem pro sua benignitate reipsa per supernam aliquam revelationem consuluerit. Negant deistae ac rationalistae; nos affirmamus. Agitur de quaestione *facti*, quae proinde monumentis dirimenda est. Moyses, Prophetae, Christus se tanquam divinitus missos ad divinam hominibus patefacienda m voluntatem perhibuerunt; si itaque ex indubiis monumentis constabit, ipsos praeter doctrinae utilitatem et sanctitatem miraculis et vaticiniis missionem suam confirmasse, evidens erit, et ipsos fuisse divinitus missos, ac divinam esse revelationem seu doctrinam, quam ipsi hominibus proposuerunt, seu divinam supernaturalem revelationem existere et factam esse. Hoc porro est, quod ostendere aggredimur.

242. Priusquam vero manus operi admoveamus, praemittimus: 1. nobis firmum certumque esse, tum Moysen, Prophetas, Christum extitisse, tum genuinos ac veraces libros esse utriusque foederis. Sacrarum litterarum professorem adeat, qui vult cognoscere, cur ita credamus. 2. Christum esse finem legis mosaicae, *finis enim legis Christus* (1), et centrum unicae illius verae religionis, quae a mundi primordiis ad consummationem usque saeculorum sese extendit, quemque Moyses et prophetae venturum praedixerunt, ad cujus adventum et cessare omnis mosaicae legis apparatus atque oeconomia, et synagoga repudiari, et gentes ad unius Dei cognitionem ac ejus mediatoris fidem vocari debuerunt. De quibus ex professo agemus in *Tractatu de Incarnatione*. Quare si nos ostenderimus miraculis et prophetiis, veterumque

(1) Rom. x, 4. Τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς; subdit autem Apostolus: εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, *ad justitiam omni credenti*, ex quo patet, quam sit abjecta et ridicula Rosenmulleri versio seu potius paraphrasis; ipse enim verba τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς vertit: *Nam Christus sustulit legem mosaicam.* Ejusmodi enim liberis versionibus facile est obtrudere quidquid lubet.

vaticiniorum, quae in suae divinae missionis confirmationem Christus protulit, adimplemento, Christum fuisse divinitus missum, ac si insuper divinam hanc Christi legationem confirmaverimus tum sanctitate et utilitate ipsius doctrinae, religionis a se institutae mirabili propagatione, martyrum constantia atque Ecclesiae conservatione, tria simul conficiemus atque obtinebimus; nempe 1. adversus deistas et rationalistas directe existentiam divinae ac supernaturalis revelationis in novo foedere per Christum factae, et indirecte hanc ipsam fuisse factam per Moysen et prophetas in lege veteri; 2. perfidiae judaeos, 3. superstitionis mahumetanos arguemus atque paganos. Hanc igitur utpote breviorem ac faciliorem viam ad finem, quo contendimus, assequendum, sectari constituimus in propositionibus, quas subjicimus.

PROPOSITIO I.

Christus miraculis et vaticiniis, praesertim vero sua a mortuis resurrectione divinam sui missionem comprobavit, seu divina facta est ac supernaturalis in Novo Testamento per Christum revelatio

243. Divina ac supernaturalis illius missio dicenda est, quae veris miraculis ac vaticiniis certissimis comprobatur; multo autem magis, si miracula et vaticinia ad propriae missionis ostendendam veritatem edita sint, cum illis omnibus adjunctis temporis, loci et personarum, ubi nulla fraus, nullus dolus, hallucinatio nulla esse aut fingi possit. Atqui ita Christus luculentissime suam a Patre missionem comprobavit. Major patet ex superius disputatis.

244. Minorem per partes evincimus. Ac I. quidem Christi miracula 1. nec pauca fuerunt, nec suspecta, vel in occulto patrata; etenim in vicis, in templo, in

urbibus populi frequentia celeberrimis, coram ingenti multitudine pleraque acciderunt (Matth. IV, 23; XI, 5, etc. Marc. I, 32; II, 3; Luc. VII, 12 et alibi passim). Non modo genere sed etiam opibus ac dignitate inclytos viros quandoque ea respexerunt (Matth. VIII, 5; Marc. V, 22 et 25; Joan. IV, 46 et alibi). In tota regione sic apud omnes celebrata erant, ut vel de iis quandoque publica actione quaesitum sit (Joan. IX, 13 et XI, 47 et seqq.); vel principum virorum invidiam, regis curiositatem excitaverint (Matth. XXVII, 18; Luc. XXIII, 8); adeo ut, si quid fraudis latuisset, statim et a callidioribus detegi, et iis docentibus patefieri necesse fuisset (1).

245. 2. Prodigiorum multitudo commodam etiam occasionem veritatis explorandae suppeditabat, ac omne deceptionis periculum toties repetitis actibus eliminabat; unum enim, in quo praestigiatoris opera deprehensa fuisset, reliqua suspecta reddidisset, praesertim cum Christus ad suam comprobandam missionem illa ederet, et ad ea adversarios suos provocaret (Joan. V, 36; X, 37—38; Matth. XI, 4 et alibi).

246. 3. Tandem, ejus generis erant eventa, quae sensuum testimonio probarentur, ita ut rudissimus quisque e vulgo idoneus eorum testis esset; morborum genera quaeque uno verbo depulsa, membrorum perditus usus innumeris hominibus redditus, mortui ad vitam revocati, ac ejusmodi prodigia quandoque etiam in absentium beneficium patrata; ergo.

247. II. Quod vero attinet ad prophetias, eae pariter nec paucae sunt, neque obscurae, sed apertae ac definitae, quaeque vel completae sunt vel in dies complentur. Nonnullas speciminis gratia recensebimus. Christus evangelium per universum orbem promulgatum iri, ac

(1) Cons. Spedalieri, op. cit. c. 3, art. 3, 4, 5, 6.

futurum ut mulieris, quae caput ejus unguento delibuerat (Matth. XXVI), pietas ubique celebraretur; gentesque omnes legibus evangelicis se subjecturum promisit (Matth. XXIV, 14; Marc. XIII, 10; Luc. XXIV, 47; Joan. XII, 32). Haec cum Marcus et a fortiori Matthaeus scriberent, vix fieri coeperant, exitum cum mundi excidio sunt habitura. Apostolis se adfuturum, tum ut doctrinam inauditis prodigiis confirment (Marc. XVI, 17; Joan. XIV, 12), tum ut constantiam ac fortitudinem praeseferant, cum ab hebraeis atque ethnicis, coram regibus atque magistratibus velut impii atque sacrilegi, hostesque generis humani traducendi essent, disertis verbis spondet (Matth. X, 16; XVII, 19; XXIV, 9; Luc. XXI, 12; Joan. XV, 20; XVI, 2). Apostolorum acta ex parte promissi liberationem continent, verum post exarata tria evangelia maxima ex parte haec evenerunt (1).

248. Adversitatum fluctibus perpetuo jactatam ecclesiam usque ad mundi exitum ac Petri successorum regimini obtemperantem perseveraturam esse vaticinatur (Matth. XVI, 18; XXIV, 35; XXVIII, 20). Vaticinium quotidie comprobat eventus. Clarissimum insuper est Christi oraculum de Jerosolymorum excidio. Tres evangeliorum scriptores, qui stante adhuc secundo templo atque jerosolymitana urbe scripserunt, non uno in loco referunt (Matth. XXIII, 36; XXIV, 2; Marc. XIII, 2; Luc. XIII, 34; XXI, 6) cum omnibus suis adjunctis temporis (2), personarum (3), modi (4), signo-

(1) Vid. 1 Cor. II, 4—5; 1 Thess. I, 5.

(2) *Non praeteribit generatio haec*, etc. (Matth. XXIV, 34; Luc. XXI, 32), anno autem 37 a Christi morte urbs templumque eversa sunt. Conf. Jos. Flav. *De bello jud.* lib. VII.

(3) *Multi venient in nomine meo*, etc. Matth. XXIV, 5; Marc. XIII, 6). Jos. Flav. *De bello judaico*, lib. II, memorat Judam galilaeum et Theudam aegyptium quemdam aliosque veteratores, qui prodigiorum spe multitudinem in desertum pertractam in seditionem impulerunt. Post dirutam urbem novemdecim a Joan. Lensio in *Schediagmate de pseudo-messiis* numerantur.

(4) Bellis atque tumultibus infaustum totum illud tempus futurum erat (Matth. XXIV, Luc. XXI). Tacitus (*Hist.* lib. I, c. 2) illud vocat *opi-*

rum (1), eorumque omnium, quae praecedere urbis templique eversionem debebant, eamque subsequi (2) usque

mum casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Circa illud tempus in Judaea bellis civilibus ac seditionibus ultra ducenta hominum millia fuisse absumta, in agro alexandrino foediorem judaeorum stragem editam esse tradunt Josephus et Philo. Peste, fame atque terraemotibus vastatum iri orbem praesagivit Christus (Matth. XXIV, Marc. XIII, Luc. XXI): *Erit fames valida, terraemotus*; etc.; Jam vero Tacitus, *Hist.* lib. I, c. 2; Plinius, *Hist. nat.* lib. II, c. 84, in edit. Hard. c. 86, terraemotu Siciliam, Campaniam, Calabriam, Pontum, Macedoniam, Achajam concussa subversaque fuisse tradunt. Fame vexata Judaea est Act. XI, de qua Jos. Flav. *Archaeol.* lib. XX, c. 12. Triplex in Italia fames commemoratur; prior sub Claudio universum orbem populata est, testibus Suetonio et Dione in *Claudio*, et Tacito, *Annal.* lib. XIII, c. 43; altera sub Nerone, qua Romae triginta hominum millia perierunt, teste Suetonio in *Nerone*; tertia memoratur a Tacito, *Annal.* lib. XVI, c. 13, atque anno 66 aerae vulgaris contigit.

(1) *Terrores de caelo et signa magna erunt* (Luc. XXI). En quid referat Tacitus, *Hist.* lib. V, c. 13: « Visae per noctem concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum, expansae repente delubri fores, et audita major humana vox excedere Deos; simul ingens motus excedentium ».

(2) 1. Multa mala (Matth. XXIV, Luc. XXI) a judaeorum odio perferenda nunciat apostolis: *Persequentur vos trahentes in Synagogas*, etc. Revera Stephanum et utrumque Jacobum interemerant; Petrum, Paulum, Joannem in vincula conjecerant; ubique gentium plebis ac principum animos in apostolos concitaverant. 2. Hostes moenibus castra admoturi urbem obsidione circumdaturi esse dicuntur (Luc. XXI, 43): *Circumdabunt te inimici tui vallo*, etc. Ante urbis excidium anno IV Cestius Gallus legiones in urbem adduxit. Bellum deinde nunquam intermissum, donec Titus muros in orbem exstruxit contra ipsos urbis muros, quod plane inusitatum est in obsidionibus. 3. In montibus perfugium quaerere monentur (Matth. XXIV): *Tunc, qui in Judaea sunt, fugiant ad montes.* Tutum revera in montanis regionibus perfugium christianos in oppido Pellae reperisse, tradit Eusebius loc. cit. 4. Caedibus, fame, peste, populum intra obsessam urbem absumptum iri docet Luc. XXI; nutrientibus praesertim foedum aliquid et miserabile imminere, Matth. XXIV, *vae nutrientibus*, etc; captivorum post excisam urbem ingentem multitudinem abductum iri, Luc. XXI. Atqui, Josepho teste, *De bello jud.* lib. VI et VII, intra paucos obsidionis dies, sexaginta funerum millia elata sunt; passim projecta mortuorum corpora in cibum viventibus cesserunt; a lactente puerulo nec manum nec dentem impia mater abstinuit; toto tempore obsidionis undecies centena hominum millia desiderata sunt, et nonaginta millia abducta. 5. Imminentis excidii signum, *Cum videritis abominationem*, etc. (Matth. XXIV). Primum Claudius idolum inferri jussit, postmodum jam obsessa urbe Zelotes in interiori templi adyto velut in arce constituti foeda omnia patrarunt. 6. Ne lapis quidem super lapidem post templi eversionem mansurus esse dicitur (Matth. XXIV), urbs a gentibus conculcanda, usque dum impleantur tempora nationum, captivi per orbem universum dispergendi judaei (Luc. XXI). Et invito imperatore miles templo flammas admovit, ut testatur Jos. *De bello jud.* lib. VII. Hadrianus Aeliam, quae pristinum Jerosolymorum

ad mundi exitum. Quae quidem omnia adamussim partim adimpleta esse ex historicis illorum temporum, Josepho Flavio, Tacito, Plinio et Svetonio novimus; partim adimpleri nos ipsi cernimus oculis nostris; adhuc enim urbis templique ruinae permanent, non obstantibus Juliani imperatoris conatibus (1), ac miseranda adhuc perdurat judaeorum dispersio.

249. III. Utramque praetera minoris propositi argumenti partem per resurrectionem Christi, quae simul et praeclarum vaticinium et miraculum stupendum fuit, imo et aliorum vaticiniorum et miraculorum veluti sigillum, mirabiliter confirmamus. Christus enim se tertia die resurrecturum ex tumulo spopondit (Matth. XII, 40; XX, 19; Marc. IX, 30; X, 34; XIV, 28; Luc. XVIII, 33; Joan. II, 19). Vulgatum erat apud hebraeos hoc Christi oraculum Matth. XXVI, 61; XXVII, 40. Idcirco ad tumulum positae excubiae (Matth. XXVII, 63). Hoc vero vaticinium, antequam evangelium conscriberetur, effectum suum sortitum est.

250. Hoc porro resurrectionis factum comprobatur 1. ex apostolorum testimonio, qui non dubitarunt vitam exhibere in ejus confirmationem; 2. a plusquam quingentis fratribus (I Cor. XV, 6), quorum aliqui adhuc in vivis erant sub Trajano Imperatore; 3. ex omnibus apostolorum prodigiis, quae patrata sunt in confirmationem ressurrectionis Christi (Act. III, 15-16); 4. ex iis omnibus, qui ex judaeorum atque ethnicorum castris ad Christi disciplinam accesserunt, qui propterea praeconceptas opi-

nomen deinde recepit, ex altero montis latere aedificavit. Julianus templum excitare conatus voti compos fieri nequivit. Miserandae judaeorum dispersionis testes ipsi sumus. Ita sanguis interfecti Salvatoris in eorum, qui interfecerunt, caput recidit, prout ipsi sibi ominati fuerant. Haec fusius prosecuti sumus, ut prava rationalistarum fides in propatulo poneretur, qui, ut vidimus, non satis definitam hanc Christi praedictionem effutire ausi sunt.

(1) Cons. Warburton, *Dissertation sur les tremblemens de terre et les éruptions de feu*, etc. Paris 1764, trad. de l'anglais.

*

niones exuere, avitam religionem ejurare tenebantur, et aerumnis periculisque plenam vitam agere cogebantur, vitamque ipsam plerumque profundere. 5. Saltem indirecte ex agendi ratione judaeorum cum apostolis testantibus veritatem resurrectionis Christi, et cum excubiis ad tumulum positis, in ipsas enim nec animadverterunt nec eas puniverunt, quod tamen facere debuissent, si ex ipsarum socordia Christi corpus ab apostolis raptum fuisset. 6. Ex eorum tacita confessione; etenim longe lateque famam Christi resurrectionis manasse, atque revera sepulchrum vacuum repertum fuisse, assentiuntur judaei apud Origenem, lib. I. *Contra Celsum*, et Agobardum, *De judaicis superstitionibus*, tum in impurissimo libello תולדות ישו sive *Generationum Jesu* (1). Cum vacuum illud sepulchrum vesanas eorum mentes mire torqueat, hinc alii Christum noctu sublatum a discipulis, alii per urbem raptatum avibusque dilacerandum projectum, alii judaeis ipsis, ne magicam vim discipulis inderet, occultatum fuisse, demum absurdissima quaeque comminiscuntur. Verum Christum et e cruce depositum, et in horto quodam sepulchro illatum, et custodes tumulo appositos, et nihilominus sepulchrum vacuum repertum esse nobis concedunt.

251. His coronidis loco addimus: 1. judaeos Christi miracula fateri, tum in locis citatis, tum in tractatu *Sanhedrin*, licet ea vel magicae arti vel aliis causis adscribant, imo nec dissentire nec abnuere Jos. Flavium (2).

(1) Qui reperitur ultimo loco in collectione edita a Christoph. Wagenseilio sub titulo, *Tela ignea Satanae*, Altdorfii Noric. 1681. Haec ipsa miracula Christi Jesu fatentur hebraei in tractatu *Avoda Zara in Gemara Hierosol.* fol. 40, atque in eodem tractatu in *Gemara Babyl.* fol. 27, 2, in tract. *Sabbath.* fol. 14, 4, *Medrasc Koheleth*, fol. 73, 1. Cons. De Rossi, *Della vana aspettazione degli Ebrei*, c. VIII, §. 7.

(2) *Archaeologia*, lib. XVIII, c. 3, n. 3, edit. Havercamp. Valde agitatum esse ab eruditis hoc testimonium non ignoramus. Pluribus enim suspectum est; eorum argumenta retulit Andr. Bosius in *Exercitatione historico-critica in periocham Josephi de Jesu Christo*. E contra Natalis

2. Nec ab ipsis ethnicis ea unquam in dubium revocata fuisse, adeo ut apologetae eorum veritatis vindicias nunquam suscipere debuerint. 3. Acerbissimos christiani nominis hostes, Celsum, Porphyrium, Hieroclem atque Julianum illa ut certa supponere, licet magicae arti ea et ipsi adscribant, ut videre est apud Huetium in *Demonstratione evangelica* (1).

DIFFICULTATES

Adversus Christi miracula et vaticinia

252. I. Obj. adversus miracula. 1. Nullum potest argumentum ex Christi miraculis erui, si ea suspecto nitantur testimonio; tale autem esse testimonium apostolorum, plura demonstrant. 2. Etenim apostolis, qui ea referunt, utile fuit mendacium; 3. praesertim cum possent exinde ingentem sibi gloriam comparare vel saltem sperare. 4. Falsum praeterea est, omnes apostolos morte violenta occubuisse, hinc frustra eorum constantia in medium profertur ad veritatem miraculorum confirmandam. 5. Dato etiam, quod omnes revera caesi fuerint, nulla

Alex. Huetius, Valesius, Pagius, Caveus aliique primi subsellii critici eam acerrime tuentur. Animadvertendum porro est, nec ante Eusebium a quopiam unquam prolatum hunc locum, nec post Eusebium usque ad Tanaquillum (seu potius Fabrum) saeculo XVI in dubium revocatum, sed et a Photio in recensione antiquitatum omitti; nimis videri disertum testimonium Josephi de Christo, luculenter nimis vetera prophetarum oracula Christo accomodare, alieno loco insertam hanc clausulam videri. Contra vero, hac sublata, Josephi fidem, historiaeque integritatem desiderari, cum nullibi Jesu mentio facta sit, praesertim cum loquens de Jacobo, eum *fratrem Christi* vocet. Quare Wagenseilius in *Pera librorum juvenilium*, pag. 189, Ittigius in *Proleg. ad Joseph.*, Le Moyne in *Variis sacris*, pag. 931, Fabricius *Bibl. graec.*, lib. VI, eam non intrusam sed interpolatam fuisse rati sunt. Quidquid sit, aut testimonium Josephi recipitur, aut rejicitur. Si recipitur, ut omnia suadent, nobis favet. Si rejicitur rursum nobis favet, cum alia tam alti silentii ratio assignari non possit, quam ipsum noluisse christianis suppetias ferre, nec aliquid habuisse, quo praeclara Christi gesta potuisset obscurare. Cons. *Diss.* Havercamp. sub finem II vol. opp. Jos. Flav.

(1) *Prop.* II.

tamen quaestio de Christi gestis habita est; superstitionis, impietatis, veneficii damnati sunt. 6. Denique *notum est*, inquit Freret, *ex Luca*, *quia ubique sectae huic contradicitur*; ergo.

253. Resp. ad 1. *C. M. N. m.* nempe suspectum esse testimonium apostolorum. Addo falso supponere adversarios soli apostolico testimonio inniti Christi miracula. Nos contrarium ostendimus (1).

254. Ad 2. *N.* Siquidem utile non fuisset in hac vita patriam, parentes, amicos, familiares deserere; nullo otio aut securitate, nec certa sede frui; non solum maledictis, verum etiam verberibus proscindi, saepius egere, ac famem, vincula, squalloremque carcerum pati, ac mortem crudelissimam obire. Haec prius in deliciis habenda et inter humanas jucunditates essent recensenda. Neque id utile ipsis post mortem esse poterat in altera vita, cum mendacium in re gravissima aeternis suppliciis mulctandum esse et scirent et profiterentur.

255. Ad 3. *D.* Si fucum facere sperare potuissent, et propria improbitate in doli suspicionem se nunquam venturos, potuissent sibi blandiri, *Tr.* vel *C.* secus *N.* Jam vero agebatur de factis publicis quae statim examinari potuissent, quaeque propterea ipsi supponere nullo modo poterant, quin uti mendaces ab omnibus haberentur.

256. Ad 4. *D.* Non omnes reipsa mortem pertulerunt, *Tr.* vel *C.* si sermo sit de Joanne; non omnes ejus oppetendae discrimini sese objecerunt, *N.* Ceterum

(1) Cons. Eusebius, *Demonstr. evang.*; et ex recentioribus Dominique De Colonia S. J. *La Religion chrétienne autorisée par le témoignage des anciens auteurs payens*, Lyon 1718, Houtteville, *La Religion chrétienne prouvée par les faits*; Addisson, *De la Religion chrétienne, avec les notes du seigneur de Correvon*, Lausanne 1757; Bullet, *Histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls auteurs juifs et payens*, Paris 1764; Duvoisin, *Démonstration évang.* Paris 1802, Mayer, *Specimen defensionis et expositionis historiae Jesu Christi et Apostolorum ex graecis et romanis scriptoribus profanis*, germanice, 1805.

Clem. Alex. (1) testatur, *omnes pro ecclesiis, quas fundarunt, passos esse.* Id ipsum confirmat vetus auctor (2), et aeque constans christianorum sententia est.

257. Ad 5. *D.* Nulla quaestio de Christi gestis habita est, quia de publicis notissimis factis agebatur, de quibus nunquam quaesitum tormentis est, *C.* quia de his non agebatur *N.* Ad illud, quod subditur, *superstitionis*, etc. *damnati sunt*; *D.* quae tamen religio superstitionis, impietatis, magiae, blasphemiae tum a judaeis tum ab ethnicis odiosis appellationibus insimulabatur, ea Christi prodigiis factisque innititur, *C.* secus *N.* In eo tota quaestio versabatur, in eo institerunt apostoli. Cur judaei atque ethnici ab hoc quaestionis statu elapsi sunt?

258. Ad 6. *D.* Quoad doctrinam, *C.* quoad facta *N.* Haec enim judaei agnoverunt, ut ostendimus. Ceterum plurimi ex judaeis fidem susceperunt.

259. I. Inst. 1. Si vera essent Christi miracula, quae in evangelica historia recensentur, judaeorum priores amplexi christianam religionem essent; atqui nonnisi plebeii, qui patulas fabellis aures gerunt, iis crediderunt; 2. qui propterea Christi fidem suscipientes nullum examen veritatis factorum instituerunt. 3. Ceterum veteres omnes historiae fabulis scatent, hinc et evangelica, quae et ipsa mythicam suam originem redolet; 4. satis enim id liquet ex eo, quod doctiores ethnici ipsam impugnaverint; 5. quod nec christiani quidem omnes evangelicae historiae assensi sint. 6. Quae quidem duobus praesidiis mirifice confirmantur; ut enim observat Freret, ethnicorum, qui calamum in christianos exercuerunt, opera deperdita sunt; fragmenta tantum ab apologetis servata, quae non magnam christianis molestiam exhiberent, ergo evangelicam historiam ad trutinam revoca-

(1) Stromat. lib. IV, c. 9. Ὃν μιμούμενοι οἱ Ἀπόστολοι .... ὑπὲρ τῶν ἐκκλησίων, ἃς ἄπηξαν, ἔπαθον.

(2) *Epist. sub nom. S. Ignatii ad Philipp.* c. IX, Ὧι (τῷ κυρίῳ) καὶ συνέπαθον.

runt, et utpote fabulis refertam refellerunt. Alterum est, quod haeretici apostolici *emendatores apostolorum* se gerebant; ergo docebant contraria.

260. Resp. I. ad 1. *D. M.* Si ira, odio, invidia, cupiditatibus impulsi, et praeconceptis opinionibus excaecati, a veritate oculos minime avertissent, ut innumeri quotidie ex incredulis avertunt, *C.* quasi falsa essent, quae de Christo referuntur praeclara gesta *N.* Recolantur superius dicta (1). *Neg.* etiam *min.* Jaïrus enim, Nicodemus, Zachaeus, Lazarus, Joseph arimathaeensis, multi ex principibus viris et ex sacerdotali ordine (Joan. XII, 42; Act. VI, 7), Crispus archisynagogus, Sosthenes synagogae princeps, Apollo vir facundus (Act. XVIII, 8, 17, 24), Paulus ipse, non erant de plebe viri. Resp. II. *D. min.* Et viri plebeii non satis idonei testes esse poterant veritatis miraculorum, *N.* secus *Tr.* Dummodo bonis oculis et auribus essent instructi, aeque idonei testes esse poterant ac divites et nobiles doctique homines.

261. Ad 2. *N.* Nunquam enim absque accuratissimo examine quisquam voluptatum atque cupiditatum illecebris obdurescit ac certo fortunarum ac vitae discrimini se objicit, imo et istud subit, ut debuerunt facere ii omnes, qui Christi religionem amplexati sunt.

262. Ad 3. *Tr.* et *N. cons.* quoad historiam evangelicam, ob peculiares rationes a nobis allatas. Agitur enim in ea de factis publicis, quae sub omnium oculis evenerunt, et quae referuntur ab auctoribus fide dignis ac testibus de visu, ut Matthaeus et Joannes sunt, vel ex depositione eorum, qui iis interfuerunt, ut Marcus et Lucas. Addo nunc veterem factam esse historiam evangelicam; verum eo tempore, de quo disputamus, recentem fuisse, aetatemque, in qua conscripta fuit, lit-

(1) Vid. Cl. Bern. de Rossi, *La vana aspettazione degli Ebrei*, etc. c. 8, § 38.

teris floruisse; mythicam proinde originem nullo modo redolet, ut dictitant increduli rationalistae; sed omnes praesefert veracitatis et ingenuitatis notas intrinsecas atque extrinsecas (1).

263. Ad 4. *D.* Doctiores ethnici libidine ac luxu corrupti, sapientiae fama tumidi, honorum divitiarumque cupidi, aures apostolis non praebuerunt, novam doctrinam contemnentes, *C.* impugnarunt, *subid.* doctrinam, *C.* facta *N.* Ceterum ex ethnicis plures docti christianam religionem secuti sunt, ut Sergius Paulus (Act. XIII, 12), Dionysius Areopagita (Act. XVIII, 34), Clemens romanus, Hermas, Ignatius, etc. Fasti ecclesiastici saeculi II nomina exhibent plurium, qui genere, opibus, doctrina claruerunt (2).

264. Ad 5. *D.* Id est haeretici evangelicae historiae assensi non sunt, in quaestione *juris*, *C. facti N.* Nempe ea ratione primi haeretici se gesserunt ac se gerunt haeretici protestantes aetatis nostrae, praesertim biblici ac rationalistae, qui propria sensa ecclesiae auctoritati praeferentes in absurda omnia lapsi sunt, ut suo loco expendemus (3).

(1) Cons. Houtteville, *La Religion*, etc. tom. IV, liv. 3, Diss. 1; Cellerier, *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testam.*, Genève, 1823, part. 1, sect. 1. *De l'époque ou les livres du Nouveau Testament ont été écrits et de leur authenticité*, pag. 2 et seqq. Wegscheider op. cit. p. 1, c. 9, § 42, n. a. de mythis post Seidenflücker, Meyer, Bauer, Kaiser, etc. haec habet: « Accedit quod primae religionis christianae origines in ea tempora incidunt, in quibus hominum animi δεισιδαιμονίᾳ et miraculorum opinione imbuti essent ita, ut eventus praesertim extraordinarii, sed cum naturae legibus facile conciliandi (ut ipsi autumant), causas habere extra rerum naturam constitutas immediatas comminiscerentur, eorumque errorem in ipsa rerum narratione proderent (ut ipse affirmat et non probat) .... varias autem de Jesu narrationes mythicas jam inde a medio saec. I circumlatas fuisse, evangeliorum apocryphorum (quae tamen ecclesia constanter rejecit) argumentum satis declarat ». Posset tamen et hoc negari; aliud enim est, nonnulla facta esse falsa et conficta, aliud esse mythica in sensu adversariorum. Cons. *Codex apocryphus N. T. Fabricii.*

(2) Cons. S. Hieron. *De viris illustribus*, seu *De scriptoribus ecclesiast.*, in praefat.

(3) Haec ad rem nostram praeclare scribit Tertull. lib. *De praescr.* c. 37: « Unde autem extranei et ini-

265. Ad 6. *N.* Ad 1. prob. *Ethnicorum qui calamum*, etc. Resp. 1. Dato etiam, quod adversarii supponunt, negamus alterum ex altero sequi; ex ignotis enim ducunt argumentum. Resp. 2. Juliani imperatoris opera ferme integra supersunt (1); ex his porro liquet, quod semper doctrinae, non autem historiae evangelicae detraxerint ethnici. Ad 2. prob. *Haeretici apostolici*, etc. *D.* Quoad theoretica systemata, *C.* quoad res gestas, prout sensuum, hominumque testimonio comprobantur *N.*

266. II. Inst. rationalistae: 1. « Scriptores sacri ea enarrant, in quibus partim fides testium desideratur (2); vel 2. res vere factas et judicium suum de iis in narrando confundentes; vel 3. traditionem sequentes, mythos tradunt; 4. partim eventus narrant a veris naturae legibus pro se nihil abhorrentes; 5. aperte denique profitentur, discrimine haud facto inter miracula vera et falsa, 6. tum doctrinae veritatem non pendere ex miraculorum auctoritate (Matth. XII, 27; XXIV, 24; Marc. XIII, 22; Luc. IX, 49; XI, 19; Gal. I, 8; II Thess. II, 9; addatur Matth. XI, 11; Luc. XVI, 27 et seq. Joan. XIV, 10 et seqq. XX, 29), ac de illa prius constare debere, quam de miraculo judicari plene ac tuto possit, 7. tum Jesu Christi apostolorumque facta mirabilia, quae ad sanandos hominum morbos potissimum pertinuerunt, Jesu ipso teste, a popularibus similiter effecta (Luc. XI, 19; Joan. XIV, 12); 8. ne spectatorum quidem

mici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recipit »?

(1) Edita a Petavio, anno 1613, ac rursum ab Ez. Spanhemio, Lips. 1696, praeter aliam collectionem, quae edita est Parisiis 1630.

(2) Ita Gurlitt., *Or. de usu libror. sacr. ad humanitatem et omnem doctrinam liberalem excolendam vario et multiplici*, Hamb. 1803, pag. 30; Krummacher, *Ueber den Geist und die Form der evang. Geschichte*, seu *De spiritu ac forma hist. evang.*, Lips. 1805, pag. 86 et seq. *Briefe über den Rationalismus*, seu *Epistolae de rationalismo*, pag. 338 et seq. 355 et seq.

excitasse fidem, adeo ut potius incredulitatem eorum fovendo (Matth. XVI, 1; XXI, 28; Marc. VIII, 2; Joan. VI, 2 et seqq. VII, 5; XI, 46 et seqq.); 9. a qua ne apostoli quidem plane immunes fuere, quippe quibus ipsius Jesu miracula certam fiduciam facere haud valuerint (Luc. XXIV, 21 et seqq.), vel ad Jesum crucifigendum judaeos adducerent (Act. II, 22 et seqq.). 10. Neque ullo modo cogitari potest narrationes de istis miraculis post complura saecula ad certam persuasionem induendam majorem vim habere posse quam illa miracula apud eos, qui ea oculis cernebant, habuisse historia testatur. 11. Jesum ipsum fidem miraculis suis, quibus majora a cultoribus suis expectanda promisit (Joan. XIV, 12) excitandam strenue repudiasse, (Matth. XII, 39, et seqq. XVI, 1-4; Marc. VIII, 12; Luc. XI, 29; Joan. II, 18, 19; IV, 48; VI, 39; XIV, 12; add. Marc. V, 48; Luc. VIII, 56) quod quidem aliis effatis haud bene convenit. 12. Accedit quod persuasio de veritate miraculorum tanquam eventorum *supernaturalium* gravissima verae virtuti detrimenta affert, ipsamque legis moralis sanctitatem infringit. 13. Sola igitur biblica miraculorum notio admittenda est, qua providentia divina ita eventa illa instituit, ut ad fines optimos consequendos conducerent. 14. Ipso Christo praeeunte (Matth. XII, 38 et seqq.; XVI, 1-4; Joan. IV, 48; VII, 17; VIII, 31; XIV, 11), non tam inter argumenta, quam inter incitamenta multitudinis incultioris ad veritatem cognoscendum recte referuntur (1). »

267. Resp. ad 1. *N.* Nam vel ipsi, quae referunt, factis interfuerunt, vel ab iis, qui immediate ea viderant, acceperunt; *assecuto omnia a principio diligenter*, ait s. Lucas, quare nunquam in dubium revocata.

(1) Ita Wegscheider op. cit. part. 1, c. 2 § 49.

268. Ad 2. *N.* Sed facta, prout contigerunt, miro animi candore referunt, ut cuique ea legenti patebit.

269. Ad 3. *N.* Non enim juxta perversa rationalistarum placita, sed ex mente sacrorum scriptorum et totius antiquitatis sensu, scripturam exponere debemus. Nam novum et recens est hoc inventum, ex eo potissimum ortum, quod tumidi isti sapientes libros sacros ad profanos exegerint non sine impietatis gravissimae culpa (1).

270. Ad 4. *N.* Cum vero in nota exemplum ducant

(1) Hanc recte dixeris ideam fixam (insaniam) neotericorum protestantium biblicorum et rationalistarum, qui ubique vident mythos. En quomodo disserant: « Mythos sacros intelligimus narrationes in antiquissimis monumentis instituti alicujus religiosi traditas, in quibus, ut est captus rudiorum ingeniorum, naturae quaedam supra humanae naturae fastigium positae sic inducuntur agentes, ut modo legibus naturae contrario nonnulla moliantur et efficiant. Ejusmodi mythos in religionibus paganorum (aeque atque in monumentis judaicae et christianae religionis) antiquissimis reipsa reperiri, ab iis negari nequit, qui progressus disciplinarum historicarum, philologicarum et philosophicarum non ignorant, nec mentis quadam imbecillitate ducti easdem res iisdem nominibus appellare dubitant (id est, dummodo sint impii et increduli; ceterum Petavius, Huetius, Bossuet, Muratorius aliique innumeri doctissimi viri, licet illas omnes disciplinas probe calluerint, nil tale deprehenderunt; hoc reservatum erat solis rationalistis). Quum vero menti humanae necessario haec lex sit proposita, ut omnia, quae in orbe terrarum sensibus subjiciuntur, referat ad nexum causarum, et temporis successu et in spatio agentium, omnes ejusmodi mythi ad normam artis criticae atque historicae exigantur necesse est. Quo facto homines pii religionisque sensu imbuti, quominus in ipsis rebus mythice traditis divinam providentiam, naturalibus tamen praesidiis ac causis utentem, venerentur et tacito quodam sensu agnoscant, minime prohibetur (praeclaram veniam!). Absque illo autem examine fieri non posset, ut in antiquissimis libris superstitiosae narrationes a veris rerum eventibus dignoscerentur (nego suppositum in libris sacris). Ac nisi ejusmodi mythos in scriptura sacra reperiri statuimus, et veritatem ipsam divinam in iis latentem ab externa narrantium forma et involucro probe discernimus (nego iterum suppositum), librorum scripturae sacrae auctoritas contra adversariorum calumnias et opprobria haud satis defendi potest (non est quod hoc vereantur delicati rationalistae, semper enim defensa est absque ejusmodi deliramentis). In explicandis mythis biblicis hoc potissimum considerandum est, librorum sacrorum auctoribus obversatam esse opinionem theocraticae cujusdam immediatae, vel potestatis divinae, sive a Deo ipso sive per angelos administratae, et si qua inciderant mala majora sive physica sive moralia, ea, in libris N. T. praesertim, ex opinione illius aetatis vulgari ad Satanam ejusque socios tanquam horum malorum primos architectos et antistites referri ». Ita auctores loc. superius cit. In postremis his verbis tot fere sunt mendacia, quot verba.

ex Matt. IX, 24, ubi perhibetur excitatio a mortuis filiae Jaïri, et Joan. IX, 6, 7, ubi caecus natus sanatur, patet impudentia istorum veteratorum, dum affirmant, *quod nonnullis miraculorum narrationibus* CERTA *insunt documenta, quae naturalem effectum produnt* (1). Excitent ipsi defunctum qualemcunque, vel luto visum caeco nato restituant!

271. Ad 5. *N.* Haec enim est gratuita assertio.

272. Ad 6. *D.* A falsis miraculis veritas seu potius divinitas doctrinae non pendet, *C.* a veris *N.* Saepe enim, ut videmus, Christus ad ista adversarios provocat. Matth. XII, 27 argumento ad hominem utitur ad impactam sibi calumniam repellendam, quod in Beelzebub ejiceret daemonia; ibid. XXIV, 24. praedicit praestigias futuras pseudoprophetarum, ut ex Paulo vidimus, qui utitur phrasi (II Thess. II, 9) τέρασι ψεύδους. Hinc responsio patet ad locum parallelum Marc. XIII, 22. Luc. autem IX, 49, sermo est de aliquo ejiciente daemonia in nomine Christi, in quo nulla est repugnantia, nihil inconveniens. Textus Luc. XI, 19 est parallelus Matth. XII, 27, de quo supra. Cetera loca citata vel non sunt ad rem, cum sermo non sit de miraculis, ut Gal. I, 8, vel sunt contra ipsos, ut II. Thess. II, 9; atque hinc patet rursum recta rationalistarum fides.

273. Ad 7. *N.* Nec illud evincunt loca citata ab adversariis, Luc. enim XI, 19, sermo est de argumento ad hominem, de quo supra ad 6. Joan. XIV, 12, nil tale habetur, quod ipsi fingunt; en verba: *Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Addo alteram ideam fixam esse neotericorum biblicorum protestantium, perinde esse daemonia ejicere ac

(1) *Briefe über den Rationalismus*, seu *Epistolae de Rationalismo*, p. 215.

morbos depellere. Coronidis gratia, atque ad detegenda plenius mendacia adversariorum, addo, Joan. III, 2, Nicodemum de Christo dixisse: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis*, et Joan. XV, 24, Christum ipsum dixisse: *Si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ergo rursum falsitatis arguuntur et malae fidei.

274. Ad 8. *D.* in pluribus, *N.* Omnes enim qui crediderunt in eum, miraculis ad credendum sunt adducti; recolantur nuper dicta ex Nicodemo; in omnibus *Subd.* Quia aliud est convinci aliud converti, *C.* quasi unum sit *N.* Causas jam adsignavimus, quare veritati plures obstiterint ac propriae convictioni.

275. Ad 9. *D.* Circa peculiare factum resurrectionis, de quo postea, *Tr. vel C.* circa alia *N.* Addo s. Lucam XXIV, 21, loqui de solis duobus discipulis Emmaus castellum petentibus.

276. Ad 10. Responsio patet ex dictis in solut. ad 8; eadem enim ratio suffragatur praesentibus ac prioribus illis, qui increduli fuerunt tempore Christi, perversa nempe cordis dispositio.

277. Ad 11. *N.* Hoc enim est novum mendacium. Nam Christus, ut supra vidimus, provocat semper ad miracula sua, ut suam ostendat missionem; quomodo igitur *strenue repudiavit miracula ad fidem excitandam*? Ex locis adductis adversarii aliud non evincunt, nisi Jesum pro lubito incredulorum signa facere noluisse, cum tot fecisset, et eos remisisse ad maximum ex miraculis a se faciendum in sua resurrectione; alia ad rem non faciunt, ut cuique loca illa percurrenti constabit.

278. Ad 12. *N.* Cum autem contenti sint adversarii gratuita assertione, vel ad summum alterius rationalistae sive increduli, Kantii nempe auctoritate, hinc satis

nobis est, eam negare. Poteritne Deus contrarius esse verae virtuti ac sanctitati, dum tot per servos suos prodigia patravit?

279. Ad 13. *D.* Prout intelligitur ab ecclesia et a tota antiquitate, *C.* prout intelligitur a neotericis biblicis protestantibus et rationalistis, qui totam revelationem subvertunt *N.*

280. Ad 14. *N.* Hoc pariter putidum mendacium est. Christus enim non solum ad incitamentum sua proposuit miracula, sed ad *validissimum argumentum. Si opera non fecissem*, inquit (Joan. XV, 24), *quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*, et ibid. X, 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, et alibi passim; ac proinde saepe adeo ea vocavit *signa* vel *opera* antonomastice, nec soli multitudini imperitorum, sed doctoribus ipsis inter judaeos proposuit, ut patet ex verbis Nicodemi, quae adduximus, ex sanatione manus aridae coram pharisaeis et scribis, Matth. XII, 10; Marc. III, 1; Luc. VI, 6 (1).

281. II. Obj. Vaticinia, quae Christo tribuuntur, potuerunt naturali lumine cognosci, vel saltem e naturali rerum sibi succedentium serie erui, vel fortuito casu compleri; ergo.

282. Resp. *Neg. antec.* cum agatur de rebus, quae a libera hominum voluntate pendebant, et quidem de eventibus enunciatis ac definitis in suis adjunctis etiam minutissimis, ut ostendimus, imo et hominibus maxime obsistentibus, ut ex irritis Juliani conatibus patet.

283. Inst. Saltem non omnem sunt effectum sortita Christi vaticinia, plures enim in paganismo adhuc versantur nationes.

(1) En, quomodo impudentibus mendaciis et gratuitis assertionibus magni isti nominis viri contortis ac violentis interpretationibus magnifico autem levissimae eruditionis apparatu, juventuti illudant. Fastidium revera creat istorum commenta persequi; sed interea religionis fundamenta subruunt. Liceat repetere: En protestantismi fructus!

284. Resp. *D.* Quia lex evangelica per gradus quosdam debebat patefieri et admitti, *C.* secus, *subdist.* quae tamen in dies effectum sortiuntur, et in mundi exitu perfecte complebuntur, *C.* alias *N.*

DIFFICULTATES

Contra Christi resurrectionem

285. I. Obj. 1. Apostolorum testimonium ad adstruendam Christi resurrectionem insufficiens per se est; 2. addicti enim erant Christi scholae ac magisterio; 3. nec haberi possunt nisi ut testes singulares, cum nonnisi singuli ad provincias singulas se contulerint. 4. Ceteri qui de Christi resurrectione scripserunt vel testati sunt, ut Marcus, Lucas, Paulus, eam nonnisi per traditionem cognoverunt; ergo.

286. Resp. ad 1. *N.* Ipsorum enim probitas nunquam in suspicionem venit; adeo constantes in hoc ferendo testimonio fuerunt, ut non solum incommoda et ludibria et probra quaeque pertulerint, sed et sanguinem ac vitam ipsam profundere non dubitaverint. *Neg.* praeterea suppositum, solos nempe apostolos testes fuisse ressurrectionis; plusquam quingentos numeravit Paulus; recolantur probationes.

287. Ad 2. *D.* Qui proinde mentiri non poterant ex suis principiis, *C.* secus *N.* Notandum praeterea est, mendacium ipsis emolumenti nihil afferre potuisse, et ipsos detrimenta maxima fuisse ex eo laturos; neque, non supposita rei veritate, unquam vel spem potuisse animo concipere se fucum facturos.

288. Ad 3. *D.* Cum per orbem diffusi sunt, *Tr.* ante dispersionem et quidem in oculis totius synagogae et eorum omnium, qui Christum morti addixerant *N.* Nec illud praetereundum est, quod miraculorum virtute prae-

diti ingentibus prodigiis fidem sibi apud populos, quibus praedicabant, conciliarunt.

289. Ad 4. Resp. 1. *N.* Paulus enim testatur (I Cor. XV, 8) Christum ita sibi post resurrectionem apparuisse (1), ut ipsum viderit. Marcus ex omnium veterum scriptorum consensu interpres ac discipulus fuit s. Petri (2); Lucas comes individuus s. Pauli; ab iis propterea, ceterisque apostolis et discipulis, quibuscum conversati sunt, certiores facti fuerunt de Christi resurrectione, quam scripto tradiderunt. Resp. 2. *D.* Per traditionem, id est, per testimonium immediatum apostolorum, ceterorumque Christi discipulorum, *C.* per traditionem proprie dictam et in sensu adversariorum *N.* (3).

290. II. Obj. Non desunt indicia interna, quae dubiam saltem Christi resurrectionem evincant; 1. discipuli nesciebant, Christum resurrecturum esse (Joan. XX, 9); 2. dubitarunt de vera Christi resurrectione (Matth. XXVIII, 17; Marc. XVI, 11); 3. mulieribus affirmantibus se Christum vidisse nullam fidem adhibuerunt, imo

(1) Ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί.

(2) Atque hinc patet impudentia Weuscheideri (op. cit. p. III, c. 2, § 131, n. c.) dum scribere non erubuit: *Marcus* c. XVI, *Luc.* c. XXIV, *Auctor capitis* XXI *Evang. Joan.* (nempe cum suis una cum novis templariis, de quibus suo loco, rejicit ut spurium cap. XXI Evangelii s. Joan.) *et Paulus apost.* I *Cor.* XV, 5 *et seqq. Jesum tanquam genium coelestem suis apparuisse narrantes, traditionem secuti videntur mythicam, quippe qui ipsi nunquam cum Jesu post ejus in vitam reditum convenissent.* Perinde ac si aliquot saecula fluxissent a Christi resurrectione, ut debuerint traditionem mythicam amplecti. Stulti! vere φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν.

(3) Quid si admitteretur sententia nunc post Basnagium (*In Annal. Polit. Eccl.* ad an. 66. §. XV. seq.) inter protestantes biblicos passim recepta, Marcum evangelii scriptorem eumdem esse cum Joanne Marco, de quo sermo est in Act. Apost. XII, 12, XIII, 13, XV, 37, cum Célérier (*Introduct. au N. T.* Sect. III), Rosenmüller Kuinoel, Schmidt, Eichhorn, Bertholdt, etc.? Tunc potuisset sane in hac hypothesi (quam tamen nos parum probabilem habemus, imo ut falsam rejicimus) esse testis oculatus plurium Christi gestorum ac ipsius resurrectionis, eo magis quod juxta s. Epiphanium (haeresi 51, quae est *Alogorum* in edit. Petavii), pseudo-Dorotheum et pseudo-Hippolytum aliosque Marcus fuisset unus ex septuaginta discipulis et unus ex illis qui a Christo discesserunt (Joan. VI, 67).

nec decem Apostolis Thomas; 4. plures occurrunt in historia Christi redivivi contradictiones; ergo (1).

291. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. autem prob. *D.* Juxta intelligentiam scripturarum V. T. *Tr. vel C.* absolute *N.* Loco enim citato Joan. ait: *Nondum enim sciebant scripturam.* Conf. Matth. XXVII, 63.

292. Ad 2. *D.* Quidam et ad tempus, *C.* omnes et semper *N.*

293. Ad 3. *Neg. cons.* Haec enim agendi ratio Apostolorum evincit, ipsos neque stupidos neque nimium credulos fuisse. *Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem*, inquit S. Greg. M., *quam fides credentium discipulorum profuit* (2).

294. Ad 4. *D.* Apparentes, *C.* verae et reales *N.* Si enim accurate tempora, diversitas apparitionum et personarum distinguantur, omnes evanescunt (3). Consulantur interpretes.

295. III. Obj. Multa sunt, quae suadent vel nonnisi apparentem fuisse Christi resurrectionem vel phantasiae jocum in apostolorum Christo addictorum mentibus. 1. Nam ipsi apostoli existimabant *se spiritum videre* (Luc.

(1) Non possumus admittere, quod Rosenmüller, in *Schol. ad Matth.* XXVIII, invexit ad conciliandas diversas narrationes evangelistarum, dum inquit: « Quisque evangelista eodem prorsus modo rem narravit, quo ipse primum de ea certior factus fuerat. Quum autem nullus apostolorum mulieres, primas resurrectionis nuncias, omnes vidisset, aliae potius mulieres alios apostolos per dissitas urbis Jerosolymae regiones adiissent, et quae ipsae viderant, his exposuissent, hinc factum est, ut unus has, alter alias περιστάσεις resciret, et in litteras referret ». Haec enim olent principia Plessing, Eichhorn, Herder, Griesbach, aliorumque recentiorum biblicorum circa fontes ab ipsis excogitatos, unde evangelistae suas narrationes hauserunt, quos suo loco refellemus.

(2) *Homil.* 20 *in Evang.*

(3) Has apparentes contradictiones jamdiu veteres ecclesiae patres conciliaverant. Consulatur inter ceteros Hesychius jerosolymit. qui, ut invictissime ostendit Combefisius Ord. Praed. tom. II *Auctarii*, p. 775, est verus auctor orationis *De resurrectione Christi*, hactenus Gregorio Nysseno tributae, quare mirum est adhuc passim protestantes, qui critici sagacissimi haberi volunt, eam citare sub nomine Gregorii Nysseni; ita quidem Kuinoel in *Comment. hist. in cap.* XVI *Marci*, nec non Beltenius, Griesbachius aliique non pauci cum ipso.

XXIV, 37). 2. Discipuli euntes in Emmaus eum non cognoverunt nisi in fractione panis (ib. 31). 3. Januis clausis in coenaculum introivit (Joan. XX, 19). 4. Maria Magdalene non potuit ipsum tangere (ib. 17). 5. Id confirmant subitae illae ac subsecivae apparitiones, quae in evangelio referuntur, et quidem sub diversa forma, modo hortulani, modo peregrini, etc. ergo.

296. Resp. ad 1. *Neg. antec.* ad 1. prob. *D.* Ob timorem conceptum ex subita apparitione intra januas clausas, *C.* postquam confirmati sunt *N.* Ceterum Christus ibidem se et videndum et palpandum eis praebuit, unde factum est, ut omne dubium deposuerint.

297. Ad 2. *D.* Non cognoverunt ob immutatam formam vel corporis glorificati vel personae peregrini, quam gerebat, *C.* postea non cognoverunt *N.* Conf. Matth. XVII, 2.

298. Ad 3. *D.* Ad ostendendas dotes glorificati corporis, *C.* quasi verum non habuerit corpus *N.* Nam Thomae (ib. 27) et cicatrices ostendit et se palpandum praebuit.

299. Ad 4. *D.* Quia Christus tangi noluit, *C.* quia non potuit, *N.* Conf. Matth. XXVIII, 9.

300. Ad 5. *D.* Et id genus apparitionum arguit peculiarem aliquam oeconomiam ex parte Christi redivivi, *C.* arguit falsitatem vel dubium saltem verae resurrectionis *N.* Conf. Act. X, 41.

301. IV. Obj. 1. Apostoli potuerunt decipi circa veram Christi resurrectionem; fortasse enim necdum mortuus fuerat, cum e cruce depositus fuit a *duobus discipulis* (Joan. XIX, 38, 39). Et sane 2. Pilatus mirabatur, si jam obiisset (Marc. XV, 44). 3. Hinc, diligenter compositus a Josepho Arimathaeensi et Nicodemo, convaluit ac veluti redivivus apostolis apparuit. 4. Nec obstat custodia sepulchro apposita, quod vacuum fortasse signarunt sacerdotes et pharisaei, putantes ibi reipsa de-

deret, seriem sapientissime moderante, recte deducitur (1). Plurimum quidem supernaturalistae dant vaticiniis de Jesu reditu in vitam ab ipso editis (Matth. XVI, 21; XVII, 9; XX, 17-19; XXVI, 32); 4. verum enim vero, quum Jesus in ultimis colloquiis, quae ab Joanne referuntur (XIII-XVII), ne minimum quidem sperandae resurrectionis suae indicium prodat; 5. imo potius contrariam sententiam diserte pronunciet (XVII, 4, 11; add. Matth. XXVI, 29; Luc. XXIII, 43, 46; Joan. XIX, 27); 6. quumque ejus discipulis post Jesu mortem summa desperatione afflictis nuncius de ejus in vitam reditu adeo inopinatus acciderit (Marc. XVI, 8, 11; Luc. XXIV, 11, 22, 37 et seqq. Joan. XX, 9), ut Thomas nisi cicatricibus vulnerum contactis se crediturum esse negaverit (Joan. XX, 25); 7. quum in proximis post resurrectionem colloquiis Jesus ipse, discipulis istam desperationem et animi demissionem exprobans, nusquam se iis, quid sibi eventurum esset perhibeat, sed potius veterum prophetarum oracula nunc eventum habere dicat (Luc. XXIV, 27, 44); hinc 8. credibile est, ea quae Jesus universe et infinite de inimicorum suorum propulsatione et institutorum suorum felici progressu (Joan. XII, 23), vel etiam de amicis ipsum olim revisuris (Joan. XIV, 19-21; XVI, 16-22) dixerat, postea ex eventu ab ejus discipulis pressius accepta et explicata fuisse, ita ut narratores harum rerum ea, quae serius intellexissent, cum iis, quae antea accidissent, miscerent atque confunderent. 9. Fieri etiam potuit, ut Jesus ipse *tertio die* se in vitam rediturum hoc sensu dixerit, quo apud prophetam (Oseae VI, 2 et 3), salus proxime exoritura *tridui* vo-

(1) Ita Wegsch. I. cit. § 131. Historiam praeterea resurrectionis Christi apud eumdem in dubium vocarunt Reimarus in Lessing *Beyträge aus den Schätzen der Wolfenb. Biblioth.* 5 *fragm.*, seu *Collat. ex thesauris Biblioth. Wolf. fragm.* 5, Wolfenb. 1777; Wünsch, in 1 *Horus*, 1788, p. 241 et seqq.; Bahrdt, *Ausführung des Plans und Zwecks Jesu*, B. IX et X, seu *Executio intentionis et finis Jesu*, vol. IX et X.

cabulo designatur, praesertim quum similes dicendi formulae ei haud inusitatae fuerint (Conf. Luc. XIII, 32; Joan. II, 19; Marc. XIV, 58). Quod Christi effatum Joannes aperte ex eventu interpretatus est (Ev. II, 22). Addatur Cic. (Epist. ad Q. Fr. I, 4): *Saepe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus* (1). 10. Qua sententia probata non impedimur, quominus vel in allegoricis istis Jesu dictis eventu comprobatis, quemadmodum in singulis V. T. institutis atque oraculis veluti σκία τῶν μελλόντων, id est, *umbra futurorum* (Col. II, 17) divinam providentiam pia mente cognoscamus (2); 11. ideoque narrationem Jesu ad vitam revocati habeamus ut mythum poëticum vel ad summum historico-poëticum (3); ergo.

311. Resp. ad 1. *N.* Hi enim ipsi evangelistae in locis propositis commemorant Christum vel subito evanuisse (Luc. cap. cit. 31), vel intrasse ad discipulos januis clausis (Joan. XX., 19-26), vel elevatum et sublatum in coelum (Luc. cap. cit. 51); quae, nisi praeseferant dotes corporis gloriosi ab apostolo recensitas (I Cor. XV, 43 et seqq.), quid praeseferant non video. Vere isti circulatores, qui soli docti apud suos audiunt, posuerunt in mendacio spem suam, juxta illud (Is. XXVIII, 15): *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

(1) Sic G. Paulusius, *Comment.* II, 564 et seqq. apud Wegsch. p. I, c. II, § 50, N. *n*; De Wette, *Bibl. Dogm.* 2. A. 199; Bretschneider, *Handbuch d. dogm.*, seu *Manuale dogm. Theol.* I, 174 et seqq. apud eumdem. Quid intactum reliquit principium dissolvens protestantismi?

(2) Emmanuel Küster, *Characteristik des Neu-testamentl, Wunder-Erzählungen*, seu *Character narrationum miraculor. N. T.*, Lips. 1821, pag. 304; Schuderoff, *Neueste Jahrb. fur Religions-Kirchen- und Schulwesen*, B. II, H. 5. seu *Novissimi annales circa res relig. eccles. et schol.* Vol. II, fol. 5, pag. 349. et seqq. 1827.

(3) Semler, *Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten*, II A. seu *Respons. ad Fragm. anonymi cujusdam.* Edit. 2 1780; Eberhard, *Geist des Urchristenthums*, seu *Spiritus primitivi christianismi*, III. H. 1808, pag. 122. Mythum historico-poëticum e rebus in facto positis, quae pro visionibus et revelationibus habitae fuerint, effectum, praefert Kaiser, *Bibl. Theol.* I, 258 et seqq.

312. Ad 2. *D.* Id est omnes absolute, *C.* non omnes *N.* Proferant ipsi aliquam exceptionem si possunt. En novum mendacium!

313. Ad 3. *D.* Supposita veritate resurrectionis, *C.* hac sublata *N.* Deus enim nos apertissime decepisset.

314. Ad. 4. *D.* Expresse, *Tr.* aequivalenter *N.* Quid enim sibi volunt, et ad quid nisi ad ejus resurrectionem spectant illa Christi verba: *Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me* (Joan. XVI, 16)? Rursum: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (ib. 22). Accedit, quod etsi in hoc peculiari sermone verba non fecerit de resurrectione (quod tamen ex dictis falsum est), non propterea falsas esse toties repetitas et apertas praedictiones de sua post triduum resurrectione inferri posset.

315. Ad 5. *N.* Neque enim secum pugnare potest divina sapientia, ut blasphemi ipsi circulatores obtendunt. Joannes vero (cap. XVII, 4, 11) nec verbum habet quod hoc innuat; siquidem voces illae: *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio*, juxta omnes interpretes, non exclusis Rosenmüller et Kuinoel, respiciunt tempus, quod subsequi debebat ejus in coelum ascensum, et patet ex ipso contextu. Quod et de reliquis citatis textibus dicendum est, quemadmodum eos consulentibus patebit; si tamen ad rem faciunt.

316. Ad 6. *D.* Et hoc argueret quamdam infidelitatem ex parte apostolorum ac Thomae praesertim, *C.* falsitatem praedictionum Christi resurrectionis *N.* Alterum enim ex altero non sequitur.

317. Ad 7. *N.* Hoc enim est putidum mendacium; Angelus enim (Matth. XXVIII, 6) mulieres sic affatus est: *Non est hic, surrexit enim*, SICUT DIXIT, et (Marc. XVI, 7) *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia praecedit vos in Galilaeam; ibi eum videbitis*, SICUT

DIXIT VOBIS ; item (Luc. XXIV, 6) *Non est hic, sed surrexit; recordamini qualiter* LOCUTUS SIT VOBIS, *cum adhuc in Galilaea esset, dicens : quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere, et* RECORDATI SUNT VERBORUM EJUS ; et (v. 44) Christus ipse sic omnes discipulos alloquitur : *Haec sunt verba*, QUAE LOCUTUS SUM AD VOS, *cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysis et prophetis et psalmis de me.* Itaque utrumque conjunxit Christus et praedictiones suas et V. T. vaticinia. Quis porro fidat hominibus adeo impudenter mentientibus (1) ?

318. Ad 8. *Neg.* Imo est prorsus incredibile ; tum quia auctores sacri, velint nolint rationalistae, fuerunt divinitus inspirati, ut nos opportune ostendemus ; tum quia hoc est novum commentum toti antiquitati inauditum et nonnisi ab his larvatis christianis excogitatum ; tum denique, quia ratio ipsa docet, longe facilius deceptos istos neotericos esse et decipi, quam Christi discipulos, qui toties Christum apertissime ac absque ambagibus suam resurrectionem praenuntiantem audierunt.

319. Ad 9. *Neg.* omnino ob rationes superius allatas, praeter violentam scripturarum contorsionem, quae admitti deberet. Licet enim Christus (Luc. XIII, 32) *tertiam diem* de proxima sua passione usurpaverit (reliqui enim citati textus non pertinent ad ejus resurrectionem), aeque ac Cicero, loquens de omine quod proximum suum ab exilio reditum praenuntiabat, ex contextu patet illum loquendi modum ibi indefinite accipi de proximo eventu. At Christus saepe indicavit *tres dies*, *tres noctes*, etc. loquendo de sua resurrectione, adducto praeterea exem-

(1) Cons. F. V. Reinhard, Diss. *De Christo suam, dum viveret, resurrectionem praedicente*, Helmst. 1798. Ex his colligiur frustra G. Paulusium in suis commentariis septem integras paginas insumpsisse ad evincendum Christum nunquam suam praedixisse futuram resurrectionem.

plo Jonae, ut ex allatis testimoniis palam fit; alioquin nihil amplius determinati haberi posset.

320. Ad 10. *Neg.* suppositum. Haec enim sententia probari non potest, nisi a neotericis rationalistis totam religionem christianam evertentibus. Negamus dicta Christi esse allegorica, quod ipsi nunquam ostendent; et multo minus concedimus ea conferri posse cum illa generali futurorum obscuritate, de qua loquitur Apostolus loc. cit., cum clara adeo Christi effata de sua futura resurrectione sint et aperta, ut quisque debeat sibi vim inferre, si ad alium sensum ea velit detorquere, ac in meridiana luce caecutire. Quod spectat ad divinam providentiam, quam istiusmodi homines obtrudunt, jam superius respondimus eam non posse admitti, negata rei veritate, quia in errorem ineluctabiliter indueremur.

321. Ad 11. *N.* Haec est enim mera blasphemia. Certe Apostolus aliter sentiebat, cum (I Cor. XV, 14 et 15) diceret: *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra, invenimur autem falsi testes, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit* (1). Non igitur resurrectio Christi, sed istorum rationalistarum systemata dicenda sunt *mythi poëtici*, in quibus vere evanuerunt in cogitationibus suis talia effutientes.

322. Inst. Ex dictis 1. Christus praenuntiavit se resurre-

(1) Ex hoc vero Pauli textu rursum deprehendimus quam falso Wegscheider, Op. cit. p. 3, c. 2, §. 131, n. (e), scribat « Neque tamen totam religionis christianae veritatem ex hoc solo facto (resurrectionis) pendere contendimus. Haud enim ignoramus, quod quis veram religionis doctrinam proposuerit, id minime probari posse re quadam in facto posita, quam pauci tantum testes cognoverunt, miraculique speciem olim pro aevi incultiori ingenio induerunt; sed solo illius argumento cum sanae rationis principiis bene conveniente veritatem ostendi. Accedit quod Jesus ipse post reditum in vitam doctrinam suam nusquam huic rei quasi fundamento superstruxisse traditur ». Mitto mendacia et falsitates in his verbis congestas; illud solum animadverto, quod si haec admitterentur, mentitus apertissime fuisset Apostolus loc. cit.

cturum post tres dies, tum mansurum in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus (Matth. XII, 40). Atqui nonnisi per integrum diem juxta evangelistas fuit Christus in corde terrae. 2. Forsan ut contendit G. Paulusius, vehementi syncope oppressus, atque ab imperitis pro mortuo habitus, in sepulcro conditus, ad se rediit, et eo facilius cum ad eum in vitam revocandum valde contulerint tum aeris in sepulcro temperies, tum exhalationes opobalsamicae; citius proinde prodiit, nempe ante tempus constitutum.

323. Resp. ad 1. *D.* Diebus incompletis pro completis computatis juxta hebraeorum loquendi usum, *C.* completis *N.* Hebraei enim qui noctem dici initium computabant, duas noctes cum partibus primi ac tertii diei tres dies atque tres noctes vocabant, tempus incompletum pro completo habebant, ut in omnibus fere linguis pars diei, mensis, anni, dies, mensis, annus per synecdochen dici solet. Conf. Gen. XLII, 17 et 18; Deut. XIV, 28; coll. XXVI, 12 (1).

(1) Ita respondet vel ipse Kuinoel in comm. ad hunc locum.

Sane vetus synagoga semper spectavit, fictione quadam juris, temporis partem velut tempus integrum. *Ghemara* Hierosolym. tract. *Sabbat* fol. 12. et post eam doctores omnes, uti Maïmonides tract. *Mikvaot* cap. 8 in suo commentario in Mischna, R. Obadiah Bartenora ibid. Maïmonides, *Yad-hhazaka* tract. *Schaar-Abot hattummeot* cap. I. aliique passim, affirmant in praxi praevalere opinionem Rabbi Eliezer ben-Azaria (*Mischna* tract. mikvaot cap. 8. §. 3. Talmud tract. *Sabbat* fol. 86.) qui cum omnibus doctoribus mischnïcis tenet terminum alicujus temporis et initium alterius sumi pro tempore completo. Huc pariter referuntur quae ghemaristae tradunt de computatione עוֹנָה quae vox interdum usurpatur ad significandum diem et noctem, seu integrum diem naturalem, quem graeci vocant νυχθήμερον noctem et diem יוֹם וְלַיְלָה, interdum vero diem aut noctem, aut etiam partem diei et partem noctis perinde ac si esset integer. Hinc in tract. *Avodah zarà* Babyl. legitur: « At quantum est spatium עונה? Dicit R. Jochanan vel dies vel nox » Sic etiam Jeros. *Schabbat* fol. 12. 1. R. Achiba statuit diem pro עונה, et noctem pro עונה. At traditio est R. Eliezerum ben Azariae dixisse יום ולילה עונה ומקצת עונה ככולה *dies et nox honà, et pars honà est sicut totum* »; et paulo ante « R. Ismael computavit partem עונה pro toto ». Ex quibus abunde liquet ju-

324. Ad 2. *Neg.* Nec enim praeferre debemus nugaces et impias excogitationes apertis evangelistarum testimoniis, sed attendere ad scripturarum auctoritatem et ad confessionem infensissimorum Christi hostium, judaeorum nempe, ut superius vidimus. Nam neque ipsi judaei in haec deliramenta venerunt, ad quae devenit G. Paulusius a suis ipsis confutatus (1). Ceterum Grunerus, Jenensis medicus, ostendit frigida illa in saxis excavata sepulchra atque exhalationes opobalsamicas, relate ad nervos male incitatos et cerebrum affectum, idonea potius esse ad mortem afferendam, ut exemplis evincit, quam ad vitam restituendam (2).

xta judaeorum consuetudinem idem significare *tribus diebus et tribus noctibus* ac vel tres integros dies vel partem trium dierum. Cf. Lightfoot *Horae hebr.* Lips. 1684. ad cap. XII. v. 40. Matth.

Quapropter quod Matth. XII, 40. dicitur *tribus diebus et tribus noctibus* alibi significatur per verba *tertia die* uti Matth. XVI, 21; XVII, 22; XX, 19. Marc. IX, 30; X, 34. Luc. IX. 22. XXIV, 7. et 46. Ex his intelligitur sollicitudo extraordinaria principum sacerdotum, et pharisaeorum, qui postridie a Christi morte (XXVII, 62.), quamvis duplex solemnitas concurreret, sabbati et paschatis, se contulerunt ad Pilatum, ac deinceps sigillo sepulcri lapidem communierunt. Nam nisi ipsi intellexissent praenunciatam resurrectionem potuisse contingere sub initium diei tertiae, seu post mediam sabbati noctem, abunde eis tempus suppetiisset ad illa omnia praestanda die insequenti, seu ut nos dicimus, die dominica, quin praepropere festinarent illa omnia persequi die sabbati et solemni, quod a lege vetitum erat.

(1) Vid. Flattus (Mollerus), *Kritik des Commentars von Dr. Paulus*, seu *Criticae observ. super Comm. Paulusii*; Storrius, *Hat Jesus seine Wunder für einen Beweis seiner Sendung erklärt?* seu *Deditne Jesus miracula sua tanquam argumentum suae missionis?* Scotti opusc. tom. 1, pag. 297. et seqq.

(2) In duobus libellis tum a patre tum a filio conscriptis, *De Jesu Christi morte vera, non simulata*, H. 1805. At in eo labuntur, dum ostendere contendunt, Jesum vixisse quidem adhuc, quum cruci affixus hasta foderetur, vitam aliquam, sed praedebilem proximeque casuram, vulnere vero in pectus illato e vita subito excesisse; cum Joannes (XIX, 30) jam antea scripserit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Consuli possunt de hoc gravissimo argumento resurrectionis inter alios: *Les temoins de la résurrection de J. C., examinés et jugés selon les règles du Barreau*, par Sherlok, trad. de l' anglais; Houtteville, op. cit. tom. IV; Bergier, *Dict. Theol.* art. *Resurr. de J. C.*; *La Religion chrétienne demontrée par la résurr. de J. C.*, par Ditton, trad. de l' anglais; *observations de Gilbert West sur l' histoire et sur les preuves de la résurr. de J. C.*

PROPOSITIO II.

Doctrinae evangelicae excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem invictissime confirmat

325. Divina sane ac supernaturalis illius missio dicenda est, qui Dei nomine doctrinam sive theoreticam sive practicam proponit, quae Deo digna sit, digna homine, digna societate, quae dogmata omni humana sapientia superiora contineat, quae officia omnia legis naturalis complectatur, cui absque ullo vel minimo errore nec quidpiam desit nec supersit, quae simul motiva efficacissima ad ea adimplenda praebeat, quae sic vitia eliminet, ut ipsorum et originem detegat et adjumenta exhibeat ad ea radicitus convellenda, quamque nemo unquam ex philosophis vel excogitavit vel excogitare potuit. Atqui talis est doctrina, quam Christus Dei nomine proposuit; ergo. Sic porro breviter per partes minorem evincimus:

326. 1. Christus Deum exhibet non solum ut ens summum ac perfectissimum, sed insuper ut patrem amantissimum; homines vero tanquam unius parentis filios, qui unicam familiam constituant, fraterno charitatis vinculo colligatos; qui principibus pareant, non ex metu tantum, sed ex conscientia, tanquam Deo ipsi, cujus vices in terris principes gerunt, quibusque et tributa solvere et honorem impertiri tenentur.

327. 2. Dogmata omnia ab ipso tradita eo spectant, ut et sublimiorem de Deo ideam excitent et penitiorem humanae conditionis ingerant cognitionem. Dogma siquidem peccati originalis, quo tota infecta exhibetur humana natura, relationem dicit ad aliud dogma, Incarnationis nempe et Redemptionis. Hoc pariter supponit dogma Trini-

tatis personarum subsistentium in eadem natura divina. Ex quibus et origo humani generis, ejusdemque a primaeva dignitate lapsus, necnon divina bonitas atque justitia in hominem mirifice elucent, ac basim constituunt firmissimam atque validissima incitamenta suppeditant ad homines in officiis continendos promovendosque.

328. 3. Haec vero officia sic Christus complexus est, ut semel Deo supremo ac ultimo hominis fine constituto, hunc instruat ad ipsum super omnia diligendum, ac proximum, quo nomine omnes omnino homines, sive amicos sive inimicos, sive concives sive extraneos, comprehendit, propter Deum diligendum sicut se ipsum. Amor proinde seu charitas est in evangelica doctrina ad instar universalis, ut ita dicam, fluidi, quod omnia et singula societatis membra atque integrum corpus permeat atque pervadit, ei vitam ac motum communicat, illudque nectit et ambit, ut unum quid cum Deo ac cum societate universa quodammodo efficiat. Ex quo foecundissimo principio officia singularia fluunt, quae ipse persequitur et evolvit tum in admirabili illo sermone, quem in monte habuit ad discipulos suos (Matth. V-VII), tum in tot illis sapientia vere coelesti refertis sententiis, quibus ad sanctitatem cujusvis conditionis homines informat.

329. 4. His autem officiis motiva subjecit efficacissima, quibus homines permoventur, tum ad ea executioni mandanda, tum ad se retrahendos a transgressione. Cum enim plerique rudes ac pene barbari homines non satis amore alliciantur ad propria munia obeunda, Christus et praemia amplissima atque aeterna, poenasque item acerbissimas atque aeternas pro meritis uniuscujusque proposuit; tum denique Semetipsum ut absolutissimum virtutum omnium exemplar ad imitandum praebuit, in tot praesertim, quibus undique premimur, angustiis atque

adversitatibus leniter ferendis, quibus nihil efficacius excogitari potest (1).

330. 5. Ad vitia omnia convellenda ipsorum fontem et originem detegit, quae sita est in hominis inordinato sui ipsius amore et ad res sensibiles nimia propensione, quo

(1) Character personalis Christi Jesu est novum argumentum divinae ipsius missionis, quod nos quidem proposuissemus distincta propositione, nisi nos absterruisset conceptus timor nimiae prolixitatis in institutionibus fugiendae. Remittimus propterea auditores nostros ad demonstrationem evangelicam Cl. Duvoisin, *Démonstration Evangélique*, par M. J. B. Duvoisin, Evêque de Nantes, Paris 1826, ch. 3, *Caractère de Jésus-Christ*; nec non ad opus D. Aymé, *Les Fondements de la foi*, Paris, 1775, tom. I, II partie, p. 411. et seqq. Si Deus dederit, de hoc ipso argumento alibi agemus. Hic satis sit in medium afferre vulgatissimum quidem, et sane pulcherrimum locum, in quo J. J. Rousseau Christi divinitatem ex ejus personali charactere confessus est: « Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs, *exclamat*, quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! Quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ; la ressemblance est si frappante que tous les Pères l'ont sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie? Quelle distance de l'un à l'autre? Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son personnage, et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout son esprit, fût autre chose qu'un sophiste. Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'avaient mise en pratique; il ne fit que mettre en leçons leurs exemples . . . Mais où Jésus-Christ avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus furieux fanatisme la plus haute sagesse se fit entendre, et la simplicité des plus heroïques vertus honora le plus vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer; celle de Jésus expirant dans les tourmens, injurié, raillé, maudit de tout un peuple est la plus horrible qu'on puisse craindre. Sacrate, prenant la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jésus, au milieu d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. Dirons-nous que l'histoire de l'évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente.... Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale; et l'évangile a des caractères de vérités si grands, si frappans, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros ». (*Emile*, liv. IV, tom. III).

fit ut et ceteris se praeferat quisque, et a sensibus suis se nimis abripi patiatur. Quare ad φιλαυτίαν, tot malorum scaturiginem, penitus compescendam, opposuit Christus odium perpetuamque abnegationem sui et crucis amorem; ad refraenandam porro illam ad sensibilia propensionem, a terrenis avocat hominem, atque incitat ad coelestia desideria his verbis (Matth. VI, 19 et seqq.): *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*

331. Ne tamen desponderent animum uberrimas validasque gratias promisit, quibus homines adjuti nihil tam arduum atque difficile sit, quo contendere non possint; sacrificium item juge atque perpetuum instituit, et sacramenta, quibus ipsi confirmati corroborentur atque ad arctissimam cum Deo communicationem eleventur, sanctissimo praesertim eucharistiae sacramento, in quo semetipsum in cibum et potum praebet ad eos alendos et nutriendos ad aeternam vitam.

332. Quae quidem omnia, sic leviter adumbrata, coronidis gratia placet duobus aliquantum prolixis testimoniis S. Augustini exponere, quibus sive partem theoreticam sive practicam religionis christianae non minus vere quam eleganter ipse complexus est. Sic vero scribit in libro *De vera religione* (cap. III et seqq.): *Si Plato ipse viveret et me interrogantem non aspernaretur, vel potius, si quis ejus discipulus eo ipso tempore, quo vivebat, eum interrogaret, cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri; cui quaecunque anima inhaesisset, eam beatam fieri atque perfectam; ad quam percipiendam nihil magis impedire quam vitam libidinibus deditam*

et falsas imagines rerum sensibilium quae nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressae varias opiniones erroresque generarent; quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem nec distentam locis nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines cum ipsa vere summeque sit; cetera nasci, occidere, fluere, labi et tamen, in quantum sunt, ab illo aeterno Deo per ejus veritatem fabricata constare; in quibus animae tantum rationali et intellectuali datum est, ut ejus veritatis contemplatione perfruatur atque afficiatur orneturque ex ea aeternamque vitam possit mereri; sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur dedita consuetudini hujus vitae atque sensibus corporis inanibus evanescit imaginibus, irridet eos qui dicunt esse aliquid quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola et intelligentia cerni queat. Cum haec ergo a magistro sibi persuaderentur, si ex eo quaereret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent, aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus, eum divinis honoribus dignum judicaret; responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei virtus atque sapientia ab ipsa rerum natura excerptum, nec hominum magisteriis, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique majestate subveheret, ut omnia contemnendo quae pravi homines cupiunt, et omnia perpetiendo quae horrescunt, et omnia faciendo quae mirantur, ge-

nus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate converteret. De honoribus vero ejus frustra se consuli, cum facile possit existimari, quanti honores debeantur sapientiae Dei, qua gestante et gubernante ille pro vera salute generis humani magnum aliquid proprium et quod supra homines esset, mereretur.

333. *Quae si facta sunt, si litteris monumentisque celebrantur, si ab una regione terrarum, in qua sola unus colebatur Deus, et ubi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri virtutibus atque sermonibus divini amoris incendia concitarunt, si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reliquerunt, et, ne de praeteritis loquar, quae potest quisque non credere, si hodie per gentes populosque praedicatur*: In principio erat verbum, ... et sine ipso factum est nihil, *etc., si ad hoc percipiendum, perfruendum, ut anima sanetur et tantae luci hauriendae mentis acies convalescat, dicitur avaris:* Nolite vobis condere thesauros in terra, *etc.; dicitur luxuriosis:* Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam; *dicitur superbis:* Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur; *dicitur iracundis:* Accepisti alapam, para alteram maxillam; *dicitur discordiosis*: Diligite inimicos vestros; *dicitur superstitiosis*: Regnum Dei intra vos est; *dicitur curiosis:* Nolite quaerere quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt. *Postremo dicitur omnibus*: Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt; quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio saeculi.

334. *Si haec per totum orbem jam populis leguntur et cum veneratione libentissime audiuntur, si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces marty-*

rum, tanto fertilius et uberius usque ad barbaras nationes Ecclesiae pullularunt; si tot juvenum et virginum millia contemnentium nuptias casteque viventium jam nemo miratur; quod cum fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturae, ut tanquam peccatum illud aboleretur; si haec sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit; si tali pollicitationi atque sponsioni per omnes terrarum partes quas homines incolunt, sacra christiana traduntur; si haec quotidie leguntur in Ecclesiis et a sacerdotibus exponuntur; si tundunt pectora qui conantur haec implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis et honoribus hujus mundi et omni hominum genere, uni Deo summo totam vitam dicare volentium desertae quondam insulae ac multarum terrarum solitudo compleatur; si denique per urbes atque oppida, vicos et agros etiam villasque privatas, in tantum persuadetur et appetitur a terrenis aversio et in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una pene voce respondeat, sursum corda se habere ad Dominum; *quid adhuc oscitamus crapulam hesternam et in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur? . . . Qui bonum et appetendum fatentur, cognoscant Deum et cedant Deo per quem populis jam omnibus haec credenda persuasa sunt.*

335. Alter vero ejusdem s. Doctoris locus desumtus est ex lib. I. *De moribus Ecclesiae* (1), in quo ita religionem ipsam alloquitur: *Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tan-*

(1) Cap. xxx, n. 63. Cons. *Tableau synoptique contenant l'exposition de la doctrine renfermée dans les saintes écritures*, par Mr. l'abbé Frère, in *Annalibus* cit. art. 46, 30 Avril, art. *Doctrine chrétienne.*

tum, sed et animi aetas est, exerces et doces; tu foeminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis; tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis; tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis; parentes filiis pia dominatione praeponis; tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore quam sanguinis nectis; tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitatem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis; tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere; tu dominos servis summi Dei, communis domini, consideratione placabiles et ad consulendum quam ad coërcendum propensiores facis; tu cives civibus, tu gentes gentibus, ac prorsus homines hominibus primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis; doces Reges prospicere populis, omnes populos se subdere Regibus.... ostendens, quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas et nulli debeatur injuria.

336. Jam vero religionis systema, in omnibus suis partibus prorsus absolutissimum, quod in admirationem sui rapuit vel ipsos religionis infensissimos hostes (1),

(1) Auctor *Epistolarum persicarum* aperte fatetur moralia evangelii praecepta infinite praestare iis quae a sapientissimis totius antiquitatis philosophis tradita fuerant, atque perfectum esse philosophum qui sit vere Christianus. J.-J. Rousseau: « Scripturarum majestate, *inquit*, fateor in admirationem me trahi. Evangelii sanctitatem intimo quodam animi sensu percipio; videte philosophorum libros cum omni sua pompa, quam exigui illi sint, si cum hoc conferantur. Fierine potest, ut liber sublimis adeo simul et simplex opus humanum sit »? Sed praestat proprio idiomate ejus sensa referre, quae talem eloquentiae vim praeseferunt, ut ea latine exprimi admodum difficile sit: « Je vous avoue, *inquit*, que la majesté des écritures m'étonne, la sainteté de l'Evangile parle à mon coeur. Voyez les livres des philosophes, avec toute leur pompe qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes »? (*Emile*, loc. cit.).

ita connexum est, ut et dogmata a se invicem pen-
t, et officiorum omnium praecipuum fundamentum
ituant; quod omnem virtutem, imo et virtutum omn-
perfectionem et apicem insinuet; quod vitium nul-
levemque defectum non eliminet; quod et motiva
cissima complectatur et validissima media suppedi-
d ea vel fugienda vel prosequenda; quod constitu-
timo fine cetera omnia ad eum finem dirigat, Dei
ɔe gloriam et hominis bonum ac beatitatem; quod
ım simplicitate sua sublimissima omnibus ita accom-
ıtum sit, ut omnes omnino conditiones, status,
tatem vicissitudinum ac multitudinem attingat, non
t non esse a Deo ipso, vel ab eo qui sit edoctus
o: atqui tale est systema evangelicae doctrinae, ut
ctis evicimus; ergo doctrinae evangelicae excellen-
t sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missio-
invictissime confirmat.

vero in *Epist.* III *ex monti-*
ıta, evangelicae moralis pul-
linem, sanctitatem, verita-
profunditatem ita extollit prae
ıa philosophorum, ut hanc sae-
ı:ibus contaminatam dicat, il-
ro unam esse confirmet, quae
per tuta, semper vera, sem-
ica, sibi semper constans.
ıro concludit adeo certam hanc
que *infallibilem* divinae reve-
ı notam, ut alio nullo opus sit
ıerio vel argumento. Quae qui-
ostrema verba caute accipien-
t; iis quippe abutuntur ratio-
e, qui cum omnia supernatura-
ciant miracula, vaticinia, etc,.
uic interno criterio, ut vocant,
insistunt, cetera respuentes,
praestiterunt Döderlein, in
ist. Religions-unterricht, seu
Christianae relig. doctrina, I, 193
et seqq. »; *Ziegler*, » Vernunft- und
schriftmässige Eröterung, dass der
Beweis für die Wahrheit und Göt-
tlichkeit der chr. Relig. mehr aus der
innern Vortrefflichkeit der Lehre,
als aus Wundern und Weissagungen
zu führen ist., seu Dilucidatio ex ra-
tione et scriptura quod demonstratio
veritatis et divinitatis religionis chri-
stianae potius ex interna doctrinae
praestantia quam ex miraculis et pro-
phetiis sit deducenda », in Henke
Mag. I, 20 et seqq. et *Summa theol.*
christ. 37; Jo. Schulthess, *De uno*
planissimo plenissimoque argumen-
to pro divinitate disciplinae ac per-
sonae Jesu (ex Joan. VII, 17), Tur.
1828, p. 11; Locke, *The reasona-*
bleness of christianity as delivred
in the scriptures, London 1696.

DIFFICULTATES

337. I. Objic. cum D. de Pradt. Religio christiana opponitur civilis societatis bono, ut patet 1. ex ipsa ejus perfectione. Christianus est homo perfectus, est ens privilegiatum ac proinde rarissimum. Quod autem verum est in morali, multo magis verificatur respectu religionis, quae ad id tendit ut hominem religiosum sibimet vilem reddat, ut merita ipsi eatenus tantum concedat, quatenus ea non a propria virtute repetit, sed ab iis adjumentis quae illi religio ipsa suppeditat. Ejusmodi religio hominem ultra humanitatem evehit; ita vero est ardua, ut humanam infirmitatem opprimat; vult praeterea ut humanis omnibus nuncius remittatur, quae res locum habere nequit nisi in monachismo seu in separatione a mundo. 2. Id patet ex nimia auctoritate seu imperio sacerdotum in homines, quos tot subjiciunt observantiis cultus, ut ipsos obruant. Haec porro duo opponuntur civili progressui tum industriae tum libertatis; quod cuique patet dummodo protestantismum seu christianismum dimidiatum conferat cum catholicismo seu integro christianismo. Apud protestantes enim industria viget, mores efflorescunt, contra apud catholicos omnia languent. 3. Patet ex influxu longe validiori, quem exercet civilis cultura ad populorum mores corrigendos prae religione, quae potius detrimentum exteriori suo cultu morum integritati affert. 4. Denique id patet ex doctrina catholica circa foenus, quod valde promovet mercaturam, sine quo hac nostra aetate societas existere fere nequit, et quod tamen prorsus eliminatur a religione catholica; ergo (1).

(1) *Oeuvres politiques* de M. de Pradt, ancien Évêque de Malines, *Du Jésuitisme ancien et moderne*, 3. edit. Paris 1828, ch. VI et seqq.; qui tamen protestatur se in cit. capp. spectare religionem christianam ex-

338. Resp. *Neg. antec.* Imo religio et societas amice inter se conspirant ; religio enim christiana est validissimum fundamentum civilis societatis, quo sublato societas pessumdetur necesse est. Experientia omnium saeculorum evincit nunquam magis societatem civilem floruisse, quam cum totam suam vim religio christiana exercere potuit (1).

tra *theologiam*, ac discussione pure humana. En ejus verba, quibus orditur cap. VI, inscriptum « De la modification de l'action du Christianisme par la civilisation : Nous voici hors de la théologie ; nous rentrons dans une discussion purement humaine ; il s'agit de savoir pourquoi un culte éminemment réprimant ne réprime pas autant que d'autres, qui le sont moins. Ici il n'y a plus que de la moralité, de la logique examinant la conformité des principes avec les conséquences, et de la géométrie calculant les diverses proportions des lignes relativement à leurs effets. La justice exige qu'on ne nous transporte pas sur un terrain qui n'est pas celui dont nous avons fait choix ; ici nous ne sommes pas en chaire, seulement nous avons le compas à la main ». Quid sibi vult hoc praeambulo, nisi sub obtentu considerandae religionis christianae (nempe catholicae ut ipse postea exponit), inducere religionem christianam, sub respectu politico spectatam, adversantem societatis bono atque incremento ? Si justitia exigit, ut ipse ait, ne eum trahamus extra quaestionis statum, veritas pariter exigit, ne religio christiana seu catholica deformetur juxta praeconceptas pseudopolitici istius ideas. Deinde prolatis, quae a nobis adducta sunt, concludit : « Si l'on veut me contester ces bases et les taxer d'exagération, je demande, 1. si elles s'écartent en aucun point de la ligne rigoureuse de l'enseignement chrétien ; 2. si ce n'est pas ainsi qu'à son début le christianisme a agi, et si ce n'est pas ainsi qu'il nous est représenté tous les jours ; 3. si le ministère ecclésiastique ne renferme pas toutes les attributions que je viens de montrer ; 4. si l'un des premiers dogmes du Christianisme, puisqu'il est rempli de mystères, n'est pas l'abnégation de la raison aux pieds de la foi ; 5. si le prêtre n'est pas le juge de cette foi ». Ex iis, quae dicentur in solutione difficultatum, patebit partim inexacta et exaggerata, partim falsa esse, quae velut totidem axiomata vellet auctor sibi concedi, ut inde pessimas inferat consecutiones, quasi fieri unquam posset, ut religio divinitus revelata possit esse contraria publico ac politico societatis bono, vel adversari temporali uniuscujusque privati felicitati.

(1) Apposite Cl. de Saint-Victor in suo « Tableau historique et pittoresque de Paris, *Paris*, 1822, *scribit* : Sans la religion tout pouvoir politique ne serait qu'une force aveugle et matérielle, puisque, séparé de la raison divine, il serait dépourvu de toute conscience, et par conséquent de toute justice. On peut même dire que, dans cet état complet de violence et d'abrutissement, il lui serait impossible d'exercer la moindre action sur des intelligences, et de conserver quelques moments d'existence ; d'où il résulte que plus la loi divine à la quelle il est tenu d'obéir, et qui fait sa véritable force, est respectée, plus il a de raison, de conscience et d'équité... C'est dans la religion chrétienne que cette loi a reçu son dernier développement ; c'est donc dans les sociétés chrétien-

339. Ad 1. *D.* Quae perfectio tamen pari gradu omnibus a religione non praescribitur, *C.* eodem gradu *N.* Confundit hic auctor duo quae confundenda non sunt, perfectionem essentialem, quae sita est in mandatorum observatione, quaeque pro potiori parte exigitur ab ipsa religione naturali, et perfectionem, ut ita dicam, accidentalem et accessoriam, qualis in consiliis evangelicis insinuatur. Jam vero prima optime componitur cum omnibus officiis societatis, ut patet; altera vero, quae non est nisi paucorum, etsi cultores suos a societate quadantenus videatur segregare, eidem tamen societati illos proficuos sub alio respectu efficit, quandoquidem ejus bonum haud parum promovent studiorum cultura, juventutis institutione, nosocomiorum cura, precibus, exemplo, aliisque id genus innumeris, quae nonnisi societatis osores dissimulare possunt ac parvipendere (1). At-

nes que l'opposition morale a le plus de force. C'est dans cette société que le pouvoir politique, soumis à des préceptes qui ne l'obligent pas moins que le dernier de ceux qui lui obéissent, est contraint, quelques efforts qu'il fasse pour en sortir, de rentrer à chaque instant dans les limites de l'ordre et de la justice, de pratiquer les vertus qui en dérivent, enfin de se montrer intelligent pour commander à des intelligences ».

(1) « Fateor, inquit Leibnitzius, mihi semper religiosos ordines, piasque confraternitates, ac societates, aliaque hujusmodi laudabilia instituta mire probata fuisse; sunt enim quasi coelestis quaedam militia in terris, si modo, remotis depravationibus et abusibus, secundum instituta fundatorum regantur, et a Summo Pontifice in usum universalis Ecclesiae temperentur. Quid enim praeclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari, interdicere sibi varias illecebras atque ipsam jucunditatem colloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum ac divinae meditationi vacetur; dedicare sese educationi juventutis ad spem doctrinae et virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis in squallore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae charitatis officio deterreri? Quicunque haec ignorant aut spernunt, hi nihil nisi plebeium et vulgare de virtute sapiunt, et hominum obligationem erga Deum solemnium qualicunque obitione et frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur ». Ita quidem auctor protestans *Systematis theologici*, Paris 1819, p. 88; quae si conferantur cum iis, quae scribit Dominus de Pradt, nunc episcopus, nunc pseudopoliticus, patebit eum habere, unde erubescat.

que hinc cetera ruunt, quae ex falso principio deducit adversarius noster.

340. Ad 2. *D.* Si ejusmodi auctoritas et imperium sacerdotum cum recta rerum administratione consistere non possent, *C.* si potius eam promovent *N.* Haec enim non est nisi putida adversarii calumnia. Influxus enim sacerdotalis non afficit nisi rectam morum institutionem, ex qua omnia bona in societatem profluunt, hominesque sub tali influxu sinceri, veraces, justi magis efficiuntur in contractibus, in publica rerum administratione, in propriis officiis rite persolvendis ceterisque omnibus, in quibus societas optime consistit. Quod si abusus aliquis irreperet, ejusmodi abusum religio non approbat. Cultus vero exterior non est nisi medium, quo non solum Deus honoratur, sed etiam promovetur cultus interior, et homines inter se arctiori vinculo constringuntur; quo sublato, ipsa religio in interitum vergit, ut patet ex protestantismo, qui cum nonnisi terrena promoveat, in deismum et rationalismum declinavit. Quidquid porro deistae dicant de honestate protestantium, a veris rerum aestimatoribus compertum est, quam corrupti ac foedati mores generatim apud eos sint. Utinam non ita esset, neque enim christianus gaudere potest de fratrum errantium corruptela! Quod addit de industria et commercio apud populos septentrionales, ut plurimum id non pendet nisi ex indole ac genio populorum et a temporum circumstantiis. Certe catholici in Anglia, Hibernia, Germania, Gallia, nec minus industrii sunt quam protestantes, nec minus seduli; ex hac porro observatione os obstruitur maligno detractori in sua comparatione inter populos septentrionales et meridionales, quam fuse frustra prosequitur. Olim soli fere itali commercium promoverunt; nonnullae etiamnum sunt Italiae partes, in quibus commercium et industria non minus vigent, quam apud septentrionales; sic lusitani catholici saeculi XVI

id fuerunt quod modo angli. Itaque totum pendet ex accidentalibus et externis adjunctis, nullo vero modo a religione, ut ipse autumat.

341. Ad 3. *D.* Ita tamen, ut haec ipsa cultura a religione catholica repetenda sit, *Tr.* secus *N.* Valde ingratos se religioni catholicae exhibent ejus detractores, dum civili culturae morum emendationem tribuunt, quae nonnisi a catholica religione inducta est. Medio aevo, quinam nisi religio catholica ejusque ministri, praesertim vero Romani Pontifices, sedulo adlaborarunt, ut populi ab illa barbarie, quae Europam pene universam dominabatur, eriperentur? Quis magis studia et artes omnes promovit quam catholica religio (1)? Nunc vero haec

(1) Hic juvat in medium afferre, quae auctor certe adversariis non suspectus, abbas Grégoire, de hoc argumento scripsit : « Chez certains hommes la haine contre la Papauté est effervescente à tel point qu'ils voudraient exterminer l'Italie, parce qu'elle reconnaît le Pape, et à peine ils pardonnent au Tibre d'arroser la ville de Rome. Ces insensés rendent le christianisme responsable des torts de quelques-uns de ses ministres. Avec cette manière de raisonner on proscrirait l'or, parce qu'il y a des faux monnoyeurs, le désinteressement, la sobriété, parce qu'il y a des avares et des débauchés. Toutes les vertus seraient complices de ceux qui les outragent. En ouvrant les yeux sur le mal, doit-on les fermer sur le bien? Le Christianisme et ses Pontifes furent, pour ainsi dire, le ciment qui dans le moyen âge empêcha la dissolution de l'Europe. Le clergé ne put la sauver entiérement de la barbarie, mais du moins il y conserva, et seul il y conserva quelques restes de l'ancienne civilisation; le ministre de l'évangile est le lien, qui met en contact les diverses classes de la société; placé entre le riche et le pauvre, il appuie les prières de celui qui a besoin, et amollit le coeur de celui qui peut donner. Le clergé est un corps modérateur entre ceux qui commandent et ceux qui obéissent. A cette époque où des potentats sans frein tourmentaient les peuples, communément les Papes s'interposaient pour réprimer les abus d'autorité, ralliaient les intérets, les volontés, et prévenaient ou éteignaient les troubles. Robert Ward, dans ses savantes recherches sur les lois, attribue le maintien de l'état social à l'ascendant qu'exerçaient les Papes, et aux conciles qui rapprochaient les peuples par l'entremise de leurs Evêques, et même les princes réclamaient l'intervention pontificale. L'histoire de Jersey et Guernesey en fournit un exemple. Par un usage anciennement établi, lorsqu'il y avait guerre entre l'Angleterre et la France, les habitans des deux pays ne devaient ni s'insulter, ni se battre, aussi loin que peut s'etendre en mer la vue des îles. A la sollicitation d'Edouard IV, Sixte IV la dixième année de son règne lança une bulle qui excommuniait *ipso facto* les infracteurs. Un historien protestant, Jean de Müller, croit que sans les Papes nous

dissimulantes religionis hostes impudenter affirmant *civilisationem*, ut vocant, non vero religionem mores corrigere. Addatur, ejusmodi *civilisationem* non mores proprie corrigere, sed vitia mutare, luxum promovere, qui est societatis pernicies, et quamdam externam mollitiem fovere ac probitatis speciem, non vero probitatem ipsam ac bonos mores et virtutes, quae nonnisi a sola religione promoveri possunt et conservari (1).

342. Ad 4. *D.* Immoderatum et injustum foenus, *C.* moderatum et justis titulis cohonestatum *N.* Recentia porro sunt responsa, quae ad diversa quaesita circa lucrum ex mutuo dedit sacra congregatio romana (et circa foenus ecclesia tolerat varias opiniones, ut constat ex editis libris), ex quibus patet, adversarium falsum supponere, dum absolute pronunciat, quodcunque honestum lucrum ex contractu, qui passim *mutui* vocatur, sed reipsa non est, ab ecclesia catholica damnari (2); interest autem ecclesiae non minus quam societatis ea foenora damnari, quae repugnant justitiae et charitati, ex quibus exitium enascitur tot familiarum eorum ingluvie et rapacitate, quos urget *auri sacra fames.*

343. I. Inst. cum eodem auctore aliisque incredulis, qui eum praecesserunt: 1. Christianismus hominis mentem deprimit, ejus rationem confundit, vincula injicit ejus pedibus. Quo igitur abit ejus libertas? 2. Christianus est veluti captivus sui cultus, qui non tendit nisi ad

serions aussi étrangers aux connaissances des anciens que le sont aux arts et aux sciences des Grecs les Turcs qui occupent leur territoire. Tandis que de preux chevaliers se glorifiaient de ne pas savoir écrire, attendu leur qualité de *nobles*, tandis qu'en Angleterre les barons demandaient à Richard II *qu'aucun vilain ne pût envoyer son enfant à l'école*, et qu'ils le forçaient à révoquer les actes d'affranchissement, de toute part s'elevaient des écoles monastiques; elles conservaient le feu sacré et de là s'échappaient des rayons de lumière ». (Histoire des Sectes).

(1) Cons. Card. Gerdil, *Discours de la nature et des effects du luxe*, Edit. Rom. opp. tom. VIII; Roberti, *Diologo filosofico*, et *Discorso cristiano sul lusso.*

(2) Cons. *Decisiones S. Congregat. Rom. et universalis Inquisit. de Usura.*

hominem a terra evellendum, quam exhibet ceu lacrymarum vallem. 3. Verus christianorum pater est Pater caelestis, quem ut adeat, opus est relinquere patrem matremque terrenam, ac dicere fratribus suis: *Non novi vos*. 4. Non est nisi unum verum regnum, illud nempe quod non est hujus mundi; divitiae ad illud non modo non aperiunt aditum, sed occludunt, lacrimae sternunt viam, aegritudines praeparant, simplicitas perducit. 5. Omnis humana doctrina evanescit vel confunditur ab ejusmodi placitis. 6. Nullo non tempore vigilantia in seipsum christiano injungitur, adversarius circa ipsum excubat eumque obsedit, mors semper praesto est ad eum invadendum; oculus divinitatis ubique eum persequitur, penetrat omnes ejus cordis latebras; manus occulta in libro recenset omnia quae praestituto die ei objicientur; supremus judex nunquam a tribunali abscedit; 7. simplex mentis evagatio potest ipsum ad irreparabilem jacturam perducere; quilibet illicitae satisfactionis impetus animum ejus permeans potest insanabile vulnus afferre; 8. humanae vitae laus, quam mundus dignitati paternae ut plurimum tribuit, in caelibatum ac virginitatem transfertur; 9. oblectationes vero, quae plerisque ad bene vivendum sunt necessariae, non sunt nisi iis infirmitatibus tributae, quibus humana natura abundat (1). 10. Ex quibus concluditur, christianam doctrinam hominem abjectum efficere ac ineptum ad officia societatis, ad bella praesertim; e contrario formidabilem huic ipsi reddere ministrum hujusmodi religionis; ergo.

344. Resp. 1. *Neg. cons.* cum pariter omnia hic exposita partim falsa, partim exaggerata, partim denique sint quae ab ipsa naturali lege proficiscantur, et in quocunque religionis systemate admitti debeant.

345. Resp. 2. singillatim, et ad 1. quidem: Falsum

(1) Op. cit. ch. VI.

est, religionem christianam mentem deprimere, rationemque confundere, vel illi vincula injicere. Innumeri docti et sapientes viri, qui quovis saeculo in ecclesiae sinu floruerunt, mendacii arguunt D. de Pradt; nusquam scientiae et liberales artes majus incrementum habuerunt quam in religione christiana atque catholica. Romana urbs uti religionis centrum est, sic centrum fuit omni tempore bonarum artium; ad eam confluunt undique viri septentrionales ad eas addiscendas, inde in Europam saeculis elapsis omnis cultura diffusa est et promanavit (1).

346. Ad 2. Falsum est, christianum esse veluti captivum sui cultus, qui non tendat nisi ad hominem a terra divellendum; quod si aliquo modo christianus captivus est sui cultus, ut auctoris phrasi utamur, seu suae religionis, eo sensu est, quatenus fides exigit rationis submissionem, et haec submissio a ratione ipsa praescribitur. Verum amor est veluti christiani cultus anima; amor autem captivum hominem non efficit, sed liberum ea libertate, qua donavit nos Deus. Evangelium autem nunquam moderatum bonorum usum proscripsit, sed abusum tantummodo ac profusionem, vetatque animi perversitatem, in eo positam, ut fruamur utendis, utamur vero fruendis. Calamitates vero, quae undique nos circumstant, et gemitus, quibus mundus resonat, satis evincunt, an jure terra ista vallis lacrymarum vocanda sit potius quam felicitatis sedes.

347. Ad 3. Falsum est, verum patrem non esse, nisi

(1) Cobbett (Ep. 1) ad eliminandam calumniam toties a protestantibus ac deistis et incredulis impactam ecclesiae catholicae, quod foveat illum, quem vocant *obscurantismum* et ignorantiam, prout denuo praestat Dominus de Pradt (nam isti non faciunt nisi se invicem exscribere), instituta comparatione ex dictionariis historicis virorum illustrium tum doctrina, tum artibus praestantium, quos saeculo XVII et XVIII dederunt Anglia, Italia et Gallia, invenit Angliam etsi radiis reformationis collustratam dedisse 132, Italiam superstitiosam 164, Galliam suis tenebris involutam 676.

caelestem, quem ut adeamus, opus nobis sit relinquere patrem matremque terrenam, etc., si id accipiatur ad exclusionem terrenorum parentum; dum enim Christus prohibet nobis vocare patrem super terram, eo quod nobis unus sit Pater in caelis (Matth. XXIII, 9), non excludit obsequia, quibus terrestres parentes prosequi debemus, cum potius hac de causa acriter objurget scribas et pharisaeos, qui sub falso religionis obtentu haec negligebant (Matth. XV, 3 et seqq.); sed vult, Deum per excellentiam et Patrem dici et haberi, et comparative, cum plura certe debeamus Deo, quam parentibus; adeo ut in conflictu inter Dei offensam et offensionem parentum, Deum ipsis praeferamus; atque hinc patet, quo sensu teneamur patrem et matrem relinquere, fratresque ignorare, cum nempe istorum amor cum amore Dei consistere non potest, quod et ipsa recta ratio dictat. Haec porro nosse debuisset D. de Pradt, utpote episcopus, qui toties pensum officii divini persolvens legit verba s. Gregorii Magni: *Eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et proximos novimus, diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus* (1).

348. Ad 4. *D.* Non est nisi unum regnum aeternum, quod omnes appetere debeant, *C.* ad exclusionem terreni *N.* Sed falsa praeterea sunt, quae addit de divitiis, perinde ac si a consecutione illius regni excluderent. Ex doctrina siquidem Christi, non divitiae, sed abusus divitiarum, ut nuper exposuimus, excludunt a regno caelorum. Quot divites, reges, imperatores in album sanctorum retulit ecclesia? Difficile sane est, illarum illecebris non tangi, attamen divinae gratiae auxilio omnia possibilia fiunt, ut ipsemet Christus docuit. Apposite s. Ambrosius: *Discant divites non in facultatibus crimen*

(1) Homil. 37, in Evang. de Com. unius Martyris.

haerere, sed in iis, qui uti nesciant facultatibus. Nam divitiae, ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis (1). Sic non omnes fletus et aegritudines, neque omnis simplicitas nos in illud intromittunt, sed quae propter justitiam tolerantur atque ab ea procedunt.

349. Ad 5. Falsum est omnem humanam doctrinam evanescere atque confundi ab ejusmodi placitis, dummodo rite intelligantur, atque ad sensum absonum non detorqueantur, prout faciunt adversarii nostri. Tot sancti et docti viri, quot ecclesia recenset, id suis operibus ostenderunt.

350. Ad 6. Quae addit de vigilantia, daemonis insidiis, Dei omniscientia, de ratione operum nostrorum reddenda, verissima sunt; ast quivis, qui atheus non sit, haec ipsa admittere debet, utpote quae hominem cautum et sollicitum reddunt, ne cupiditatibus suis se abripi sinat, sed virtutem sectetur et a vitio declinet. His sublatis, actum est de virtutibus et vitiis vel appetendis vel declinandis.

351. Ad 7. *D.* Si eisdem plene consentiat, *C.* si rejiciat, *N.* Itaque haec exaggerata sunt et doctrinae catholicae contraria; quod si homo illis consensum praebeat, cui dubium esse potest, reum coram Deo eum fieri? quid aliud recta ratio docet?

352. Ad 8. *D.* Id est caelibatus ac virginitas, utpote majus bonum, praefertur statui conjugali ut minus bono, *C.* praefertur, aliquid detrahendo laudi dignitatis paternae *N.* Haec non sunt nisi obsoletae calumniae, quas auctor noster veritus non est mutuari a protestantibus et incredulis. Honorabiles vero nuptias catholicis esse, patet ex eo, quod *magnum sacramentum* sint juxta Apostoli (2) doctrinam. Quod vero virginitas praeferenda

(1) Lib. VIII in Luc. circa finem. (2) Ephes. V, 32.

sit (in se spectata) conjugali statui, ipso rationis lumine agnoverunt ethnici ipsi (1); ceterum Apostolus nuptiis satis aperte caelibatum praefert, et ex eo, imo a Christo id didicit ecclesia.

353. Ad 9. *D.* Id est permittuntur oblectationes utpote bonae et honestae, *C.* ut minus bonae et illicitae, *N.* Inter ceteras virtutes religio recenset etiam εὐτραπελίαν (2).

354. Ad 10. Negamus omnes consecutiones male deductas ex falsis principiis, ac 1. quidem, christianam doctrinam hominem sibi vilem efficere et ineptum ad societatis officia. Religio enim moderatur excessus et damnat; at promovet et incitat ad bona omnia ac virtutes quaslibet sive publicas sive privatas pro uniuscujusque statu et conditione. Praestantissimos viros semper aluit, qui una simul conjunxerunt pietatis officia et officia boni civis et magistratus, qui artes ita coluerunt, ut excellentissimi audiverint communi omnium suffragio. Apostolus otium damnat, omnibus inculcans, *quoniam si quis non vult operari, nec manducet* (II Thess. III, 10), et ad proprii munii officia incumbere rursum omnibus inculcat, dicens: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (I Tim.V, 8). 2. Pariter negatur consequentia quod homines nempe ineptos efficiat ad bella (3);

(1) Cons. Morin *Dissert. sur le célibat*, cujus epitomen dedit Zaccaria S. J. in op. *Storia del celibato sacro*; et qui adversariis suspectus esse non potest, Frid. Kreuzer, « Religions de l'antiquité, considérées principalement dans leurs formes symboliques et mythologiques, ouvrage traduit de l'allemand, refondu en partie, complété et développe, par J. D. Guigniaut, 1825; ex quo patet, eamdem inhaesisse ideam Indis circa caelibatum sacerdotum vel a remotissima antiquitate. Cons. praeterea Comes J. de Maistre, *Du Pape*, cap. III, § 1, ubi documentis antiquis et recentioribus ostendit ideam generalem diffusam inter nationes omnes circa caelibatum religiosum.

(2) V. S. Thom. 2. 2. q. 168, ar. 3. Cons. *Traité des jeux et des divertissemens*, par M. Jean Bapt. Thiers, vol. 1 in-8, Paris 1686.

(3) Quam urget Gibbon velut objectam christianis a Celso apud Origenem, quam quidem difficultatem more suo Gibbon depravat; nam Celsus (apud Orig. lib. VIII, n. 75) solum hortatur christianos, ut *arma*

evangelica enim doctrina christianos milites in officio continet eos removendo ab illo aestu inconsulto, quo sanguis non effunditur, sed projicitur, hostesque ut fratres agnoscere jubet (Conf. Luc. III, 14). Ceterum et hic experientia contrarium evincit; Constantinus, Theodosius, Carolus M., Ludovicus IX, Henricus I imperator, Stephanus Hungariae rex, Princeps Condaeus, Eugenius Sabaudus aliique innumeri non minus pietate quam militari gloria insignes fuerunt. 3. Denique negatur sequela, quod scilicet religio christiana formidabilem constituat suum ministrum, cum non aliam ipsi tribuat potestatem, quam quae in aedificationem est, ad salutem nempe animarum procurandam, qui ad imitationem capitis sui mitis esse debet et humilis corde. Quod si severitatis exempla interdum dare tenetur, id in bonum tendit, et ea nonnisi provocatus et compulsus elicit, ut historias mente minus praejudicata perlustranti patebit, posthabitis calumniis, quibus veteres et novi religionis hostes eam diffamare frustra conati sunt (1).

355. II. Inst. 1. Religionis efficacitas nulla est ad corrigendos mores. 2. Quod vel quale vitium eradicavit apud italos, ac praesertim Romae? 3. Quid contulit ad

pro rege capiant, et si ita postulat, sub illo militent, et cum illo ducant exercitum; minime vero, ut scribit Gibbon, quasi objiceret Celsus, quid de imperio esset, si omnes christiani fierent, etc. Sed bonam fidem in referendis auctoritatibus penes incredulos, cum pugnant adversus religionem, nunquam inveni. Interea circa privatum sensum Origenis et Tertulliani relate ad militiam videatur Hugo Grotius lib. VIII, c. 2, sect. 9. *De jure belli et pacis*, et maurinus editor opp. Orig. ad lib. VIII *Cont. Cels.* ad § 73, n.c.

(1) Nunquam e juvenum mentibus excidere debet monitum comitis de Maistre, qui loquens de ejusmodi auctoribus haec praeclare scripsit: « Jeunesse inconsidérée, quand tu portes les mains sur quelque livre de ces hommes pervers, souviens-toi que la première qualité qui leur manque c'est toujours la probité (*Soirées de Saint-Petersbourg*, tom. 1, pag. 188). In hoc vero censu primum profecto locum obtinet abbas de Pradt, qui nonnisi somniis, calumniis, falsitatibus ac perpetuis paralogismis catholicam religionem ac praesertim Romanam Sedem oppugnare nititur, tum in opere citato, tum in altero cui titulum fecit: *Concordat de l'Amérique avec Rome*, Paris 1828; in quibus veritas non est, multa vel ab ipso Bayle depromere.

moralem emendationem Hispaniarum ? Nonne ejusmodi regiones postremum in societate locum occupant ? Dum e contra in regionibus septentrionalibus quidquid moralis habitudinis habetur , id uni culturae civili (civilizationem vocant) exclusive acceptum referri debet (1) ; ergo.

356. Resp. ad 1. *N.* Imo religionis efficacitas illa est, quae potissimum confert ad mores corrigendos. Si veteres legislatores ad unum omnes religione usi sunt ad animos efferatos emolliendos atque in officio continendos , alia profecto ipsi insedit opinio ac adversario nostro. Quod si tantum potuit religionis umbra , ut ita dicam , quid non poterit veritas ipsa ? Tolle religionis habenas , in pristinam barbariem illico relabentur populi. Ipsa civilis cultura , ut supra notavimus , quam summopere extollit Dominus de Pradt , ab religionis virtute repeti praecipue debet. Sed ut propius ad evangelicam efficacitatem veniamus , si jura belli mitiora , si mitior et cultior ubique politia , si ubique fere aut abrogata servitus , aut humanioribus circumscripta legibus (2), si in connubiis publica quaedam servatur honestas et sanctitas , si theatrorum licentia minus expudorata quam olim , si gladiatorum cruore non amplius amphitheatra madent , nemo , qui in historiis hospes non sit, ignorat ab evangelio id omne provenisse (3). Norunt eruditi omnes , quanta esset et quam publica et effusa istorum omnium depravatio , antequam evangelii splendor elucesceret , ita ut vere affirmare nobis liceat , 1. etiamnum evangelio plurimum

(1) Ibid. ch. VIII.

(2) Cons. Comes de Maistre , *Du Pape* , liv. II , ch. V , ut pateat cujus conditionis fuerint innumeri prope servi apud omnes gentes, ac praesertim in republica romana et in imperio , antequam religio christiana potuerit mitiorem reddere ipsorum infelicissimam sortem , ac demum solvere eorum vincula.

(3) Immortalis semper erit in fastis religionis christianae S. Thelemacus martyr , qui non dubitavit ex ultimis orientis plagis Romam petere , in amphitheatrum prosilire ac sanguinem effundere , ut ejusmodi truculenta spectacula impediret , prout reipsa factum est jussu Honorii imperatoris post necem sancto viro illatam. Consul. Bolland. *Acta sanctorum* , die 1. Januarii.

debere eas ipsas gentes, quae evangelium aut corruperunt deinceps aut abjecerunt; 2. majorem minoremve in iis esse corruptionem, prout magis minusve ab evangelii regula recesserunt aut recedunt (1).

357. Ad 2. Omnia recensita vitia religionis virtus in Italia ac etiam Romae eradicavit. Cum enim Roma centrum religionis christianae sit, ipsius actio ad omnes regiones promanavit (2). Quod si vitia non ubique cessarunt, id non ex hujus actionis defectu, sed ex defectu eorum, qui in suis flagitiis obfirmati, illius actionem religiosam nullam aut pene nullam reddiderunt, seu ipsius influxum impediverunt est repetendum. Si aegrotus praescripta a medico pharmaca negligit, sibi imputet, si valetudinem minime recuperat.

358. Ad 3. Ad emendationem moralem Hispaniarum in sensu ab auctore intento certe nihil contulit, cum ejusmodi emendatio moralis nil aliud sit, nisi turpis et cogitandi et agendi licentia; si vero sermo sit de emendatione morali proprie dicta, omnia sunt repetenda ab efficacia religionis, adeo ut regio illa quovis tempore veros sanctitatis heroas ediderit et omnium virtutum eximios cultores. Quod si et illic et alibi pensum solutum

(1) Merito Feller in *Catech. philos.* Liége 1788, tom. III, cap. 4, § 1, p. 274, affirmat, « qu'un demi-siècle de paganisme présente infiniment plus d'excès énormes qu'on ne trouverait dans toutes les monarchies chrétiennes depuis que le Christianisme régne sur la terre. *Cons. eruditissimus P. Baltus in opere* Jugement des SS. Pères sur la morale de la philosophie payenne, Strasbourg 1719, ch. 13 et seqq. ut quisque intelligat quam depravati mores essent sive publici sive privati in omni societatis ordine, quamdiu religio pagana viguit.

(2) Eloquentissime, ut solet, s. Leo M. romanae urbis conditionem ac vigentem omnium vitiorum ac superstitionum colluviem, cum ad eam s. Petrus se contulit, exponit: « Hic, *inquit*, conculcandae philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates, hic confutandi daemonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum... Silvam istam frementium bestiarum, et turbulentissimae profunditatis oceanum constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis » (Serm. de ss. Apost. Petro et Paulo). Quis porro haec omnia a romana urbe eradicavit nisi sola catholica religio?

*

est humanae infirmitati, rursum dicimus, id non defectui religionis, sed defectui eorum, qui eidem se subduxerunt, adscribendum esse. Quod vero subditur de extremo humanae societatis loco, omnino parvipendimus, cum id semper intelligendum sit in perverso auctoris pseudopolitici sensu.

359. Ad 4. Resp. Nostrum non est odiosam hic instituere comparationem; sed interea certum est, 1. septentrionales et ipsos *homines* esse, ideoque et omnibus infirmitatibus oboxios; 2. non ab externa tantum quadam probitatis specie de morum integritate esse judicandum; 3. qui eas regiones perlustrarunt, ea referre, quae cum supposita probitate nulla ratione cohaerent; 4. Romam atque in Italiam ut plurimum corruptionem ab ejusmodi peregrinatoribus inferri (1). Utinam plerique omnes ex his heterodoxis nunquam regiones nostras inviserent!

(1) Ut specimen habeatur probitatis et culturae civilis septentrionalium protestantium, juvat in medium afferre fragmenta statisticae medicae, quae D. Caspar, Medic. Doctor Berolinensis evulgavit anno 1825. Ex his patet numerum eorum, qui in se manus inferunt, singulis annis augeri. Ab anno 1818 ad annum 1822 numerantur in sola monarchia borussiana 3860 suicidia, id est 7 pro singulis 100,000; Berolini ab anno 1822 ad 1823 1 ex singulis centenis. Rarissima autem sunt haec exempla in Italia; nec latet ratio, quia ea nondum attigit gradus culturae protestantium septentrionalium. Legi praeterea poterunt *Lettres sur la Suisse*, par M. Raoul-Rochette, Paris 1826, in quibus praeclarissime ostenditur praestantia provinciarum catholicarum super protestantes seu reformatas tum in honestate, tum in relationibus politicis; in personali vigore ac robore, in heroismo et indole militari, pace interna, et indole pacifica, spiritu tolerantiae, fidelitate, etc., adeo ut vere dici possit hoc opus et comparationem et formalem refutationem continere practicam omnium calumniarum, quae in cultum catholicum et catholicorum indolem passim intentantur, et praestantiae, quam quidam de industria dare affectant protestantibus super catholicos. Ad italos speciatim quod attinet, consuli possunt *Lettres sur l'Italie*, par M. Pierre de Joux, quae anno 1829 Parisiis duobus voluminibus prodierunt. Merito propterea dicebat Cl. Marchio Maffejus apud Roberti (*La probità nat.* p. 2), duo se collegisse ex longis suis peregrinationibus, tum nempe pluris facere patriam suam, tum magis venerari suam religionem. Post haec supervacaneum censeo in medium afferre quae de Parisiorum corruptione, ex tempore quo illic invaluit incredulitas, produnt publicae ephemerides, ex quibus patet, supputatione facta, ex 22,000, qui singulis annis nascuntur, 7000 spurios esse, id est tertiam fere partem; vix spatio 8 annorum numerantur 2108 suicidia, etc. Quid igitur nobis obtrudit dominus de Pradt prae italorum humanitate

360. II. Obj. 1. Nil novi Christus intulit in mundum, quod non acceperit vel a lege mosaica vel a veteribus Graeciae sapientibus. Ex religionibus ethnicorum mutuatus est mysteria sua, seu dogmata ac ritus; ab indis mysterium Trinitatis, Incarnationis, lapsus hominis, angelorum rebellionis, baptismi, etc.; a sinensibus praeceptum humilitatis christianae, condonationis offensarum, ac dilectionis inimicorum, alia ex Aegypto, alia ex Perside (1). 2. Quare religio christiana de suo non adjecit, nisi intolerantiam religiosam, 3. ex qua tot haeretici flammis consumpti, 4. terrifica Inquisitionis tribunalia, 5. nox s. Bartholomaei, 6. ex qua denique tot religionis bella, quae exitium Europae intulerunt. 7. Hinc imperatores et reges exauctorati a Romanis Pontificibus, 8. omniumque malorum colluvies, quibus ipsi causam dederunt; ergo.

361. Resp. ad 1. Vel *N.* vel *D.* Si sermo sit de lege mosaica, multa accepit explicando et ad perfectionem adducendo, quae nonnisi involuta et imperfecta in ea lege esse poterant, quae umbra erat, figura, typus ac veluti praeparatio quaedam ad Evangelium, *C.* nihil addidit de suo judaeis prorsus incompertum, et multa non vetuit, quae Moses ad duritiem cordis illis permiserat *N.* Addimus, quod sicut mosaicae ita etiam christianae religionis divinitas ex ipsa ejus doctrina jure probatur. Non aliud enim inter ipsas discrimen est, quam quod auroram inter ac meridiem (2). Quod attinet ad Graeciae sa-

civilem septentrionalium culturam? Legatur praeterea egregium opus *L'action du clergé sur le peuple*; ut nihil dicam de anglis, genevensibus, etc., cum res notissima sit quibus moribus protestantes illic universim utantur.

(1) Ita auctor operis *Résumé de l'histoire des traditions morales et religieuses chez divers peuples*, par M. de S***, Paris 1825, tum Felix Bodin in opere *Coup d'oeil sur l'histoire de la civilisation*, Paris 1825, qui plura a Gibbon mutuatus est; aliique innumeri prope diobolarii scriptores, qui eadem semper ad ravim usque recantant, perpetuo sese exscribendo, nulla habita ratione responsionum, quae his falsitatibus et calumniis datae sunt a catholicis scriptoribus non solum, sed ab ipsis ingenuis protestantibus.

(2) Hanc eamdem difficultatem jam proposuerat judaeus Orobius in ami-

pientes, prorsus *N*. Eos enim Christus nunquam audivit. Totum insuper christianae religionis systema ita unum est sibique cohaerens, ut tale nunquam ediderint philosophi, qui distracta principia et sparsa tradebant velut disjecta corporis membra, nullo nexu conjuncta, erroribusque permixta, ut suo loco vidimus. *Ex religionibus ethnicorum*, etc. *Neg*. pariter, eadem ratione. Quae vero mysteria vel dogmata proferunt adversarii, quae tamen toto caelo distant a mysteriis et dogmatibus religionis christianae (1), evincunt nonnulla rudera, ut ita dicam, et fragmenta antiquarum traditionum apud omnes gentes conservata esse plus minusve erroribus foedata, *C*. secus *N*. (2). Ista enim somnia sunt incredulorum nostrorum, qui dum negant in evangelio mysteria tradita esse vel dogmata, haec postea inveniunt apud barbaras gentes atque indidem profluxisse affirmant. Sed incohaerentia ipsorum propria est.

362. Ad 2. *N*. Haec intolerantia enim ex ipsa rei natura oritur. Veritas et error simul cohaerere non possunt. Sed de tolerantia suo loco.

363. Ad 3. Vel *N*. vel *D*. Ab intolerantia civili, *Tr*. ab intolerantia religiosa *N*. Intolerantia enim religiosa optime consistere potest cum tolerantia civili. Tot hebraei in ditione ipsa pontificia commorantes id apertissime evincunt. Quod attinet vero ad intolerantiam civilem, quae extranea omnino est a religione, hoc pendet ab ingenio principum, a civilibus legibus, ab adjunctis, quae mo-

ea collatione cum Limborchio in tertio scripto, quaesito II, n. I.

(1) Cons. Origenes, *Cont. Cels.* lib. VI. et s. August. *De civ. Dei*, lib. VIII, X, XII et XIX.

(2) Cons. *Lettere americane* del conte Carli-Rubi, nec non *Annales de philosophie chrétienne* etc. tom. VIII, anno V, n. 43, 31 Janv. Paris 1834, art. « Voyages et traditions, croyances, superstitions et restes des traditions primitives observées, par M. Dumont d'Urville dans son voyage autour du monde à borde de l'Astrolable dans la nouvelle Zélande et les iles de Jonga ». Cons. praeterea Kreuzer, op. cit. et in *Biblioth. univers. Genev.* tom. XXX, an. X, art. *Mythologie*.

do eam excludunt, modo patiuntur. Ceterum hic adnotasse juvabit, nullos esse magis intolerantes quam sectarios, qui perpetuo vel aperta vi, cum possunt, vel clanculum ac per insidias catholicos ubique fere, quoad potuere, insectati sunt atque insectantur. Si conferantur cum catholicis, qui ab haereticis aut sectariis interfecti sunt, victimae, ut ipsi vocant, haereticorum penitus evanescunt (1).

364. Ad 4. *D.* Quoad errorum inquisitionem, *C.* quoad inflictionem poenarum *N.* Tribunalia enim inquisitionis ad fidem intemeratam servandam in errores inquirunt, ne ceteri inficiantur; sed, processu confecto, reos ad civilia tribunalia dimittunt; haec porro iis legibus ipsos subjiciunt, quae in eos constitutae sunt. Nil proinde commune habet ecclesia cum ejusmodi poenis. Principes vero laici ideo illas poenas in haereticos tulerunt, quia experientia edocti sunt, neminem fidei vel religioni bellum movisse, qui simul machinatus non sit adversus regnum (2). Sed et hic observandum est, tribunalia inqui-

(1) Dominus Prodhomme, in sua *Historia delictorum inter rebelles motus*, jam ab anno 1796 recenset supra ducentena millia victimarum tunc temporis interemptarum; inter quas, quotquot haberi potuerunt sacerdotes et religiosi, truculenter mactati sunt. Cons. praeterea *Historia Jacobinismi* Abbatis Barruel, ex qua patebit, quinam fuerint effectus civilis culturae absque cultu, quam adeo extollit Abbas de Pradt. Quod attinet ad haereticos, omissis innumeris documentis, ex quibus patet, quam immaniter in catholicos saevierint fere quovis loco et quoad potuerunt, satis sit in medium adducere quae in sola Anglia sub Elisabetha adversus catholicos patrarunt. Styrpe, auctor protestans, refert Elisabetham singulis regni sui annis super 500 catholicos interemisse, nec tamen contentam fuisse; regnavit autem annis XLV. Romae anno 1584. prodiit opus Joan. Bapt. Cavalleri, qui lineari pictura expressit supplicia ad cruciandos catholicos adhibita. Cum haec pictarum tabularum collectio in lucem prodiit, Elisabetha vix LI aetatis annum attingebat. Quid factum non est sub Henrico VIII, ejus patre, et deinceps a sequentibus regibus! Attamen de his ne unus quidem ex incredulis hiscit.

(2) Cons. Bergier, *Dict. de Theol.* art. *Inquisition*; Ab. Vayrai, *Etat présent de l'Espagne*, Amsterdam 1719; Feller, *Dict. hist.*, art. *Limborch*, *Isabelle*; De Maistre, *Lettres à un gentilhomme russe sur l'inquisition espagnole*, praesertim p. 89 et seqq. Elisabetha instituit inquisitionem adversus catholicos sub nomine *Commissionis* longe terribiliorem tribunali Hispaniarum. Cobbett, Ep. XI, *A history of the protestant*

sitionis apud haereticos longe severiora esse. Percurrantur, quae Elisabetha regina in catholicos anglos molita est, quae principes protestantes etiamnum moliuntur adversus eos, qui Romam appellant, et pudore suffundi debent, qui haec objicere non desinunt. Sed ista dissimulantur, quia haereticorum et sectariorum sunt, illa amplificantur, quia catholicorum.

365. Ad 5. *D.* Si a religione caedes illa nocturna s. Bartholomaei fuerit vel imperata vel permissa, *C.* si a politicis rationibus *N.* Notandum porro est hic, 1. exaggeratam illam caedem a plerisque esse; 2. calvinistas non nisi apud catholicos vel parochos vel episcopos effugium invenisse ab illo populari furore; 3. ortam illam esse ob perpetuos haereticorum tumultus adversus tranquillitatem regni, nullo vero modo ob ipsorum errores. Attamen nunquam desinunt, his dissimulatis, illam sive haeretici sive increduli nobis ingerere, cum religio catholica ab ea semper abhorruerit (1).

reformation, etc.: *Inquisitio Hispaniarum*, inquit, *tot caedes non paravit a sua institutione ad hanc usque diem, quot singulis annis regni sui ferox ista regina protestans commisit;* quae proinde merito, in *Biblioth. univ.* tom. XXVII, Tiberius faemininus vocata est. Quid actum non est in Dania atque Suevia adversus catholicos! Quo furore in Hibernia arminianos protestantes anglicani persecuti non sunt? Atque eadem ratione protestantes et increduli, quoties clavum gubernii obtinuerunt, plus minus eadem ratione ubique locorum sese gesserunt. Attamen sola commemoratur Inquisitio hispanica vel lusitana, quae tamen non fuerunt nisi institutiones peculiares politicae potius quam religiosae. Sed de moderatione hispanicae Inquisitionis praestat audire auctorem minime suspectum atque Inquisitionis inimicum, qui, cum officio legati gallici ibi functus esset, haec scripsit: « L'inquisition pourrait être citée, de nos jours (sub Carolo II Hisp. Rege), comme un modèle d'équité.... plus de neuf ans de séjour et d'observations m'ont prouvé qu'avec quelque circonspection dans ses propos et sa conduite relativement à la religion, on peut facilement lui échapper, et vivre aussi tranquillement en Espagne qu'en aucun autre pays de l'Europe (Tableau de l'Espagne, tom. I, p. 388). *Vid. Frayssinous,* Conférence sur la religion vengée du reproche de fanatisme.

(1) Apposite observat Cobbet, Ep. X, caedem s. Bartholomaei non aliam originem habuisse, nisi vindictam, quam Guisaei ducis filius sumsit a De Colygny ejusque asseclis, quorum opera proditorie interfectus fuerat ejus pater Franciscus Lotharingiae dux Guisae, et traditae anglis civitates *Dieppe* et *Le Havre* sub Elisabetha,

366. Ad 6. *N.* Apposite de ejusmodi bellis J. J. Rousseau ad archiepiscopum parisiensem scribebat : *Si superiora bella quae religionis dicuntur , expendas ,* cujus instinctu calvinistae tot actus perduellionis in Galliis molichantur. Adeo verum est, religionem alienam omnino esse ab ejusmodi tumultibus. Attamen vix legas auctorem incredulum vel haereticum, qui eam caedem religioni catholicae non objiciat. Mirum quot paralogismos superstruant! Interea simplices capiuntur. Cons. *Tableaux historique et pittoresque de Paris*, par J. B. de Saint-Victor, tom. III. p. 1, p. 179 et seqq., ubi ex martyrologio Calvini, anni 1582, ostendit non inveniri nisi 776 victimas hujus caedis adeo magnificatae, et totum factum istud in suo lumine collocat. Recte in rem nostram scribit Cl. Manzoni : « Ripeteremo dunque quel principio, che ad una dottrina si deve chieder conto delle sue conseguenze legittime, e non di quelle, che le passioni ne possono dedurre, ed applicandolo alla religione, osserveremo, che anche in questo essa è al dissopra di tutte le teorie umane per quei caratteri inimitabili, che la distinguono. Essa esclude ogni conseguenza dannosa e la esclude con quella stessa autorità, che rende sacri i suoi principj, il che essa sola può fare; se andando di ragionamento in ragionamento si arriva ad una ingiustizia, si può essere certi di aver mal ragionato, e l' uomo sincero trova nella religione stessa l' avviso, che egli è uscito di strada, perchè dove apparisce il male, ivi si trova una proibizione ed una minaccia. Non è quindi ragionevole dare la colpa alle verità rivelate, che gli uomini si sieno odiati e distrutti, ma deve dirsi invece : la disposizione degli uomini ad odiarsi ed a nocersi a vicenda è tale pur troppo, che essi ne hanno preso pretesto sino delle verità di una religione, che dà a loro la regola di amarsi, come una regola senza eccezione... la religione cattolica non ha mai agito, nè poteva agire come causa diretta e naturale di dissenzione : ma tutto è arme nella mano di un furioso ; queste non sono scoppiate fra uomini dapprima concordi ed umani, ma sempre in tempi feroci e brutali, in tempi in cui tutte le passioni ostili erano accese... ; ogni volta che si trova nella storia un esempio d' influenza benigna della religione, non si può a meno di non riconoscere una causa che produce il suo effetto proprio. Uno di questi esempj è la *tregua di Dio*, è una voce di concordia e di pietà, che sola s' innalza fra i gridi della provocazione e della vendetta ; è la voce del vangelo e suonò per la bocca dei Vescovi e dei Preti. Ma per spiegare le vessazioni commesse col pretesto della religione, bisogna supporre uno stato d'ignoranza o di mala fede, un inasprimento degli animi, dei moti di aversione preesistenti, dei fini nascosti, e un grado di passione, che alteri l'intelletto al punto di farlo acconsentire a ciò che è proscritto da quella legge, che si propone per norma. S. Ambrogio spezza e vende i vasi sacri per riscattare gli schiavi illirici per la più parte ariani; s. Martino di Tours va a Treveri per intercedere presso l' imperatore in favore dei priscillianisti, e considera come scomunicato Itacio e gli altri Vescovi, che l'avevano messo a servire contro di quelli : s. Agostino supplica il proconsole dell' Affrica per i donatisti, dai quali ognuno sa, che travaglio avesse la chiesa : Noi preghiamo voi, dic' egli, perchè non sieno uccisi ; noi preghiamo Dio, perchè si ravveggano. Ecco i veri cattolici ; e la storia ecclesiastica abbonda di questi esempj » (Sulla morale cattolica, pag. 99 et seqq. edit. Rom. 1826).

ne unum quidem invenies, cujus origo et causa non fuerit in aula principum, quorum intererat, illa bella geri. Machinationes bellorum in secretioribus adytis struebantur; dein proceres commovebant Dei nomine populum et classicum canebant (1).

367. Ad 7. *D.* Quia illi imperatores et reges jus et initum foedus, prout illius temporis adjuncta poscebant, pessime violarunt, *C.* alias *N.* Jam vero Pontifices qui restaurarunt imperium in occidente, sub peculiari conditione et clausula imperatores constituerunt, ut defensores se praeberent ecclesiae romanae; cum igitur ex defensoribus facti fuerint acerrimi hostes et impugnatores, hinc utpote pacti violatores exauctorati sunt, quae quidem ratio aeque militat pro temporibus quibus jus electorale introductum fuit. Non a potentia propterea sibi attributa a Romanis Pontificibus, sed ab ipsa rei natura repetenda est ejusmodi exauctoratio. Nec praetereundum est Pontifices interdum ex recepta communi sententia suorum temporum egisse (2). Opportuna praeterea est animadversio recentis auctoris: *De iis ecclesiae praesulibus longe aliud judicium feras, si qua vixerunt aetate considerentur. Etenim plura sunt, quae publicam animadversionem merito concitarent aetate hac nostra, quae tamen alio sub caelo atque in diverso rerum ordine videri possint consentanea communi societatis bono; extremis porro malis extrema remedia identidem admovere prudentiae est, nec tam facile reprobanda sunt illa, quibus homines meliores fiunt; ferrea autem saecula ferreo quodammodo regimine contineri debuisse nemo inficiabitur, qui paulisper humani generis historiam perscrutetur* (3).

(1) Cons. *Paradoxes interessans*, p. 875-486; Frayssinous, *Conférence* etc. *des guerres de religion.*

(2) Cons. *Muzzarelli*, in opusc. *s. Gregorio* VII; cons. etiam ipse protestans Leibnitzius opp. tom. IV, p. 3; Cesarini Zurstenerii, Tract. *De jure suprematus*, integrum caput XXXI.

(3) Ita auctor op. *Des guerres sa-*

368. Ad 8. *N.* Quae enim dissidia interdum exorta sunt ex duarum potestatum conflictu, aliis externis causis impellentibus quam religioni adscribi debent, et religioni falso sunt imputata ad invidiam ipsi creandam in iis rebus, in quibus religionis velamen atque praetextum subdolo consilio vafri homines atque ambitiosi quaerebant. At in aestimandis exponendisque factis ratio critica docet, atque sapientes monent rei praetextum a vera rei causa efficiente et impellente probe distinguendum esse ac secernendum. Saepe enim exterius v. g. belli aut facinoris praetextum omnibus patet, vera autem et intimior causa plerosque latet. Quanquam, si ea quae objiciuntur vera essent, quid tandem evincerent? Hoc unum, christianam videlicet societatem ex hominibus coalescere, qui optima quacunque re interdum abutuntur. Haec igitur et similia ab humana vel infirmitate vel pravitate proficiscuntur, minime vero a religione ipsa christiana, a qua interdicuntur omnino et reprobantur. Maligni praeterea est, omnia mala prosequi et exaggerare, et innumera bona alicujus institutionis, quae in immensum defectus illos ipsi extraneos superant, silentio praeterire (1).

crées par rapport à l'utilité publique, Consul. etiam comes J. de Maistre in op. *Du pape*, lib. II, cap. 7.

(1) Vel ipse Montesquieu, qui certe suspectus nemini esse debet, hoc ipsum jam adverterat, scribens: « C'est mal raisonner contre la religion, que de faire dans un grand ouvrage l'énumération des maux qu'elle a produits, si l'on ne fait celle des biens qu'elle a faits; si je voulais raconter tous les maux qu'ont causés la monarchie, les lois civiles, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables (Esprit des lois, liv. XXIV, ch. 2). Sans sortir de notre France, *inquit Bergier*, je soutiens que la seule institution des hôpitaux pour les enfans trouvés, et les soins qu'inspire aux parens l'idée du baptême, conserve toutes les années plus de six mille français... La cruauté des Chinois laisse périr toutes les années, plus de trente mille enfans de compte fait, et les philosophes nous vanteut les mocurs chinoises. La barbarie des Romains laissait mourir de faim et de maladie tous les ans un plus grand nombre d'esclaves, et les philosophes n'en disent rien (Traité hist. et dogm. de la vraie religion; » tom. X, p. 487). Multiplicari possent in infinitum, ut ita dicam, monumenta ex quibus colligi possent ingentia beneficia, quae in societatem contulit religio christiana, quae tamen increduli dissimulant, ac interea microscopio latebras omnes inquirunt, ut inveniant quae reprehendant, et miseris paralogis-

PROPOSITIO III.

Admirabilis christianae religionis propagatio in omnibus suis adjunctis spectata ineluctabile pariter suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum

369. Christi vaticinium de futura suae religionis per universum orbem propagatione superius dedimus; jam vero ejus adimplementum nulli humanae seu naturali causae, sed uni divinae virtuti adscribendum esse sic ostendere aggredimur.

370. Certum est, christianam religionem vix trium saeculorum spatio per universum orbem ubique fuisse diffusam et propagatam; atqui hujus celerrimae diffusionis causa, omnibus adjunctis perpensis, nulla humana vel naturalis adsignari potest; ergo tam subita atque tam lata christianae religionis propagatio a divina ac supernaturali aliqua virtute repeti debet, seu quod idem est, ejusmodi propagatio ineluctabile suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum.

371. Major, quae res facti est, ex indubiis monumentis constat. Jam enim ab ipsis ecclesiae primordiis scribebat Apostolus ad Romanos (XV, 19), quod repleverit evangelium Christi ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum, et quod romanorum fides annuntiaretur in universo mundo. Plinius junior Asiae proconsul sub finem saeculi I sic ad Trajanum scribit (1): *Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur; non civitates tantum, sed vicos etiam atque*

mis religioni adscribunt ea, quae religio proscribit ac damnat.

(1) Lib. x, Ep. 97.

agros christianae superstitionis contagio pervagata est; prope jam desolata templa deorum, et solemnia diu intermissa. Et Seneca (1) : *Quum interim usque eo consuetudo convaluit sceleratissimae gentis, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt.* Hinc merito Tertullianus (2) sic romanos alloqui poterat saeculo III : *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castra ipsa, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa* (3).

372. Ad minorem quod attinet, sic eam ostendimus : Agitur enim de propagatione religionis *novae*, quae dogmata proponebat humanae rationi impervia, atque receptis notionibus contraria, cujusmodi sunt mysteria Trinitatis ac Dei hominis facti et turpiter cruci affixi, ex invisa judaica natione orti, carnis ressurrectionis, etc.; agitur de religione, quae austera praecepta imponebat, qualia sunt abnegatio sui, animi demissio, inanis gloriae contemptus; quae bellum omnibus cupiditatibus ac flagitiis indicebat; quae cultores suos communi ceterorum infamiae et privatae execrationi objiciebat (utpote qui traducerentur veluti homines *contemptissimae inertiae, per flagitia invisi, humani generis odio convicti, sontes et novissima exempla meriti* (4), ut reipu-

(1) Apud s. August. *De civ. Dei*, lib. VI, c. XI, n. 36, et inter fragmenta ex libris Senecae, t. IV, opp. edit. Taur. 1829, ex recensione Buhkopf, qui in nota ad hunc locum, relatis versibus Rutilii :

Atque utinam numquam Judaea subacta fuisset
Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit,

addit : *ubi etsi judaei nominantur, certum chritianos maxime intelligi, sicut et in Seneca ipso.*

(2) Apolog. c. 37.

(3) Plura vide apud Cl. Ansaldi, ordinis Praed. Dissert. *Multitudo maxima eorum, qui prioribus ecclesiae saeculis christianam religionem professi sunt, ostensa et vindicata*; item Mamachium, ejusd. ord. tom. I, *Orig. et antiquit. christianarum*, edit. rom. 1749, pag. 343 et seqq., ubi non solum testimoniis ethnicorum ostendit ingentem fuisse christianorum numerum a Neronis ad Trajani aetatem, sed praeterea argumenta solvit, quibus Vitringa conatus est eorum numerum extenuare.

(4) Vide Tacit. *Annal.* tom. IV,

blicae eversores, ita ut quidquid demum infortunii aut calamitatis contigisset iisdem continuo tribueretur (1)), ac denique certissimo mortis periculo et perpetuis privationibus eos exponebat (2); agitur de propagatione ejusmodi religionis inter gentes flagitiosissimas et in omne vitiorum genus effusas, quin philosophorum superbia, principum ira, immanitas sacerdotum, qui omni qua poterant industria ejus propagationi sese objicebant; ingruens sibi malum avertere possent; agitur demum de talis religionis propagatione tot inter difficultates peracta per duodecim viros piscatores, ineptos, rudes, judaeos (3). Cum itaque ex una parte omnis generis obstacula validissime huic propagationi obsisterent, ex altera vero religio subsidiis omnibus naturalibus ad ea superanda idoneis, penitus esset destituta, impossibilis erat hujus religionis propagatio, nisi invisibilis ac supernaturalis virtus ei adstitisset; nam ubi vis motrix est minima ac pene nulla, et oppositio seu resistentia est maxima, effectus obtineri nequit, nisi occulta aliqua virtus praesto sit, quae certe in casu nostro esse non potuit nisi supernaturalis atque divina.

373. Jam vero haec propagatio vel contigit propter miracula, vel sine miraculis; si primum, divina jam est religio, quae obsignata fuit certissima veritatis ac divinitatis nota, cujusmodi miracula esse ostendimus; si alterum dicitur, propagatio hujus religionis est omnium primum maximumque miraculum. Sic impios ac infideles sui temporis premebat s. Augustinus (4).

cum notis Valeriani.

(1) Vid. Tertull. *Apolog.* c. IV.

(2) Gibbon ipse graphice describit miserandam Christianorum conditionem tribus illis prioribus saeculis in *Historia de casu imperii romani*, c. XV.

(3) Eloquentissime, ut solet, hoc argumentum evolvit S. Joan. Chrysost. Orat. V *Contra gentiles*, Hom. *Quod Christus est Deus*. Illud etiam eleganter illustrat Segneri noster in nunquam satis commendato opere *L'incredulo senza scusa*, p. 2, c. 9.

(4) *De civ. Dei*, lib. XXII. Feliciter hoc Augustini argumentum Dantes expressit in suo *Paradiso*, Cant. XXIV, his versibus, 106 et seqq.:

DIFFICULTATES

.. Objicitur primo cum Gibbon (1) aliisque incredulis: onjunctione ac veluti concursu plurium causarum

l mondo si rivolse al Cristia-
esmo,
'io, senza miracoli: quest'uno
l, che gli altri non sono il
nnesmo.

elle autem illud evolvit Card. cinus in opere *Arte della per-* *cristiana*, lib. I, c. XVI, bis: « Per conoscere che la sione del mondo fatta senza li sarebbe stato maggior mi-, facciasi ragione, che i mi-li nostra fede come superano istenza il poter della creata na-cosi superano nella credenza der della creata natura; onde e la natura fa, e ciò che ella basta a renderli prudentemen-libili. Solo il miracolo, sicco-timonianza di Dio, che non cader, nè trarre in errore, tuisce meritevoli di credenza. miracolo può essere di due ma-o esteriore ed aperto al sen-m'è illuminar ciechi, risusci-funti, e ciò intende s. Agos-l nome universal di miracoli rima parte del suo disgiunto; iore, movendo l'intelletto, e ntà a ciò che lor sarebbe im-le per natura, e questo è quel ipendo miracolo, il qual affer-Agostino, che sarebbe acca-e il mondo senza miracoli del-na sorte si fosse convertito a. E dirittamente l'afferma; poi-a le suddette due qualità di mi-maggior miracolo è quello per io si mostra signore assoluto maggior natura; ma superio-tutte le corporali nature è l'in-uale; adunque maggior mira-che il ridurre un occhio ac-o a condizion di vista, e un corpo defunto a condizion di vita, è il sospingere l'intelletto in atti eccedenti l'operar suo naturale. Or questo sarebbe avvenuto se innumerabili uomini sapientissimi, senza argomento di miracolo esteriore, avesser prestata fede a misterj tanto più alti di ciò, che detta il conoscimento natìo. E maggiormente perchè opponevasi a questa fede l'appetito inferiore, che molto può nella credenza... poichè tal fede obbligava i credenti a condannar se stessi per delinquenti e rei di eterno supplizio, se non abbandonavano quei piaceri, ove il comun senso e la corrotta natura violentemente ci tira. Eppur gli articoli di questa fede s' infissero lor sì profondamente nel cuore, che d'altra materia non vergaron le carte, non cibarono i pensieri, non innamoraron gli affetti; sì che per sostenimento di essa alcuni tali sapientissimi uomini sofferser la morte, come san Giustino, sant'Ireneo, e san Cipriano; altri rinunziaron gli onori e le dignità, come san Paolino; altri si ritirarono a vita austera negli eremi, come san Girolamo e Arsenio; altri dieder ripudio a tutti i diletti del senso, in cui per addietro stavano profondamente sommersi, e ad ogni letteratura profana in cui trionfavano, come sant'Agostino. Ma più comprendendo in una parola che in molte, basti dir che a questa fede si convertì senza forza e di pura voglia tutto l'imperio romano, in cui stava raccolto il fior dell'ingegno, e della sapienza terrena, e che era prima così nell'intelletto, come nella volontà occupato da opinioni, ed affezioni direttamente contrarie.

(1) Gibbon, loc. cit.

naturalium ratio sufficiens habetur propagationis religionis christianae. Eo contulit 1. tot populorum conjunctio sub una imperii romani auctoritate, quo factum est, ut fama longe lateque propagaretur novae istius religionis; 2. indoles philosophiae et dispositionis in plerisque philosophorum sectis illius aetatis, quae in mysticismum declinaverat, et in amorem solitudinis ac meditationis, quaeque rerum externarum contemptum ingerebat ac scepticismum circa paganam religionem (1); 3. bella et depopulationes provinciarum per barbaros, sub Gallieno imperatore praesertim, teste ipso Sozomeno (2), cui adstipulantur Theodoretus et Philostorgius; quibus factum est, ut inter barbaros numerus christianorum augeretur. Ex causis vero internis contulerunt, 4. ipsa christianorum disciplina et vivendi ratio; ex quo enim evangelium praedicari coepit, frequentissimae fuerunt oblationes, primitiae, sportulae, agapae, convivia, mensae communes (3). In-

(1) Haec difficultas jam proposita fuerat a Montesquieu, *Esprit des lois*, liv. XXIII, ch. 21; et a Deslandes, *Hist. crit. philosophiae*, lib. VII, c. 34. Eclecticismus, aiunt ipsi, opera Potamonis sub Augusto inductus fuerat. Quo argumento usi sunt Patres, ut facilius evincerent philosophiam, eo quod religio seu philosophia christiana selecta et praestantiora dogmata omnium sectarum in se contineret. Addunt praeterea, ea aetate qua religio christiana praedicari coepit, a pluribus philosophorum sectis inductam nescio quam aversionem ab imperio romano, quin imo et ab omnibus jam eversae reipublicae negotiis ἀπαθείαν, exinde perfectionis veluti ideam tum fere apud omnes contemplationi, meditationi ac solitudini affixam, quae semitam dogmatibus ac disciplinae christianorum aperiret, prout innuunt Justinus et Clemens Alex., dum passim tradunt per philosophiam Verbum jam populos praeparasse, praesertim vero Euseb. *Hist. eccl.* lib III. c. 37: « Siquidem plerique, *inquit*, ex illis temporis discipulis, quorum animos ardentioris philosophiae desiderio Verbum incenderat, Servatoris nostri praeceptum jam ante impleverant (Σωτήριον πρότερον ἀπεπλήρουν παρακέλευσιν) divisis inter egentes facultatibus suis ». Ibi notat Willelmus Lowt Eusebium hic eos fortasse respicere, qui severioris vitae instituto et rerum mundanarum contempta acti jam fuerant; quare praeceptum Christi de divisione bonorum pauperibus facienda *jam antea*, scilicet antequam religioni divinae nomen darent, adimpleverant. Sed res incerta ex Eusebio.

(2) *Hist. eccles.*, lib. II, cap. 6.

(3) Hanc difficultatem urget Thomas Hobbes in satyra, quam *Historiam ecclesiasticam* inscripsit, illis versibus:

Traxit, et ut dixi, multos aequatio vitae

lucta deinceps sunt xenodochia aliaque his similia instituta, quae plures ad sectam christianam traxerunt, teste Juliano imperatore (1). 5. Facilitas, qua christiani inter suos admittebant omne perditorum mortalium genus, spemque praebebant criminum veniae facile impetrandae. Quare Julianus sic christianam religionem irridens: *Quisquis mulierum corruptor*, inquit, *quisquis homicida, quisquis piaculo et execrando scelere sese obstrinxit, fidenter adito; etenim simul atque hac aqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam; quod si iisdem sese flagitiis rursus contaminaverit, efficiam, ut tonso capite et pectore percusso expietur* (2). 6. Fama miraculorum, quorum potestatem edendorum sibi attribuebant christiani, quamque summopere depraedicabant, plures decepit. Sive igitur spectemus humanarum causarum concursum, sive ipsius religionis christianae indolem, patet naturali omnino ratione eam propagari potuisse.

375. Resp. *Neg. antecedens* sive collectivè sive distributive sumptum, cum et impares effectui isti explicando sint causae, quae ex rerum humanarum concursu petuntur; calumniosae vero, quae ex indole et disciplina christianae religionis. Ac primo quidem impares sunt ejusmodi causae quae, licet collective sumantur, solum evincunt, res humanas divina providentia disponente concurrisse ad facilius *notitiam* evangelii propagandam, non autem movisse homines ad *credendum* et ad *amplectendam religionem* ea animi persuasione, ut pro ipsa parati essent ad bona, parentes, patriam, vitamque ipsam amittendam. Calumniosae vero sunt, quas ipsi ex indole

Mensaque communis, queis erat una fides;
Doctis, indoctis, fidis simul et simulatis
Hoc paupertatis dulce levamen erat.

Sic etiam Felix Bodinus, op. cit.

(1) In *Epist.* XLIX. ad Arsacium Pontificem Galatiae, tum in fragmentis orationum circa finem, editionis Petavii.

(2) Apud Gibbon, loc. cit.

religionis derivant, ut ex dicendis patebit. Sed jam singillatim eas disjiciamus.

376. Ad 1. *D.* Juvit ad *notitiam* evangelii disseminandam, *C.* ad movendos animos, ut ipsam amplecterentur *N.* Addatur plurimum ejusmodi imperii romani amplitudinem conferre potuisse ad ipsam religionem christianam facilius convellendam ex tacita ipsius Gibbon confessione (1).

377. Ad 2. *D. Poterat haec indoles*, etc. disponere *aliquot* eosque rarissimos ad amplectendam christianam religionem quoad *aliquas veritates morales*, et quidem in pari casu, *Tr.* omnes indiscriminatim, spectatis praesertim rerum adiunctis quae in probationibus recensuimus; et quoad omnes veritates *N.* Addimus philosophos, si fortasse aliquos excipias platonicos, teste s. Augustino (2), infensissimos prae ceteris adversarios fuisse, quos ecclesia nacta sit; stoici siquidem et epicurei, qui primis illis ecclesiae saeculis in imperio romano principem inter ipsos locum obtinebant, summopere abhorrebant a christianorum institutis.

378. Ad 3. Eadem esto distinctio ac in resp. ad 1. nam eadem ratio militat. Addatur inter captivos plures sacerdotes ethnicos fuisse: quare ipsi idem non praestiterunt? Itaque omnes causae recensitae ab adversariis valent quidem in ratione *medii*, quo usa est divina providentia, non autem in ratione *causae* proprie dictae.

379. Ad 4. *D.* Et haec commendant sanctitatem christianae religionis et primorum christianorum, *C.* explicant causam propagationis vel *N.* vel *subdist.* Quoad aliquos, si insuper non debuissent sese exponere irae suorum, mortis evidenti periculo et in infinitas propemodum ac-

(1) Cons. Versio italica edita Mediolani cum specimine confutationis Spedalieri et anonymi c. III (tom. I, pag. 143, edit. Pisan.) Conf. Spedalieri *contra Gibbon*, fere tota sectione VI, par. I, ac praesertim c. III, pag. 262, edit. Placentinae.

(2) *De Verit. relig.* c. VII.

nas se conjicere, *Tr.* omnes vel etiam plerosque in
is rerum adjunctis *N.* (1). Addatur xenodochia, pto-
, gerontotrophia, etc. nonnisi sero instituta in eccle-
fuisse, postquam nempe pacem et securitatem ipsa
pta est.

30. Ad 5. *D.* Quatenus nempe christiana religio vel
vel magna ex parte coaluerit ex scelestorum homi-
. faece atque colluvie, *N.* secus *subdist.* Et hos, quos
ittebat religio in sinum suum, hac lege admittebat,
eterem hominem exuti novum induerent juxta seve-
vangelii praecepta, *C.* quacunque ratione *N.* Nec prae-
ittendum est eo magis alienos homines esse ab am-
tenda christiana religione, quo magis moribus per-
sunt atque corde corrupti; quod si plures ejusmodi
litionis homines ad christiana castra transierunt, in
nirifice elucet virtus divinae gratiae, qua adeo per-
i sunt, ut christianam fidem professi mira statim mo-
sanctimonia fulserint, teste Plinio (2) ac ipso Julia-

Sportulae, etc. non dabantur
genis, viduis, pupillis, etc. En
Tertulliani, *Apolog.* c. XXXIX:
e quasi deposita pietatis sunt;
nde non epulis, nec potaculis,
gratis voratrinis dispensantur,
genis alendis humandisque, et
i ac puellis, re ac parentibus
atis, jamque domesticis senibus,
naufragis, et si qui in metal-
t si qui in insulis, vel in cu-
, dumtaxat ex causa Dei se-
alumni confessionis suae fiunt ».
ferme repetit s. Cyprianus,
38, edit. Pamelii, quae est
loedonium et Herculanum col-
, et ad Rogatianum et Numi-
presbyteros: « Cumque ego
ro me vicarios miserim, ut ex-
retis necessitates fratrum no-
ma sumptibus, si qui etiam vel-
rtes suas exercere, additamen-
uantum satis esset, desideria eo-
uvaretis, simul etiam et aetates
eorum, et conditiones et merita dis-
cerneretis etc. ». — Ex quibus de-
ducunt eruditi, matriculam necessi-
tatum continuisse nomina egentium,
aetatem, etc. aliquando nomina ex-
puncta, aliquando addita quae opus
essent ad alendam familiam, cum
suis artibus quod esset satis sibi com-
parare non poterant. Hoc studium nun-
quam defuit in ecclesia catholica. In-
numera occurrunt exempla omnium
saeculorum. Ethnicorum pauperes in-
terdum alebantur ab ecclesia.

(2) Lib. X, epist. XCVII, scribit:
« Affirmabant autem (christiani con-
quisiti) hanc fuisse summam vel cul-
pae suae vel erroris, quod essent so-
liti stato die ante lucem convenire,
carmenque Christo quasi Deo dicere
secum invicem; seque sacramento
non in scelus obstringere, sed ne fur-
ta, ne latrocinia, ne adulteria com-
mitterent, ne fidem fallerent, ne de-
positum abnegarent ». Addatur Ter-

no imperatore, qui ad Arsacium Galatiae Pontificem scribens, ut per ipsum ethnicos ad bene vivendum inflammaret, exemplum proposuerit *Christianorum benignitatem in peregrinos*, *curam ab illis adhibitam in mortuis sepeliendis et sanctimoniam vitae* (1).

381. Ad 6. *D.* Una cum veritate miraculorum praeteritorum, quae Christus et apostoli patrarunt, atque praesentium, quae passim nempe a christianis peragebantur, *C.* fama tantum absque eorum veritate *N.* Postremum enim hoc supponere tum absurdum tum ridiculum foret. Addo minus etiam talem conjecturam valere, quod eamdem potestatem sibi tribuerint ethnici (2).

382. II. Obj. Nemo ab initio religionem christianam amplexus est, nisi populus; est autem pervulgatum illud Senecae adagium: *Argumentum pessimi turba est*; ergo.

383. Resp. 1. *N. M.* Plures enim nos recensuimus ex judaeis et ethnicis, qui christianam religionem professi sunt, doctrina, nobilitate, opibus florentes. Illis addimus Polycarpum, Ignatium, Irenaeum, Justinum, Clementem, Ammonium, Origenem, Aristidem, Apollinarem, Athenagoram, Quadratum, Apollonium, etc., ut posteriores omittamus; addimus Glabrionem, qui sub Traja-

tullianus qui provocabat ethnicos, ut proferrent aliquem in carceribus detentum, vel extremo supplicio affectum aut conquisitum alia de causa praeter illam fidei.—Cons. Mamachi. *De orig.*, tom. 1; Fleury, *Moeurs des Israélites et des Chrétiens*, p. 2; Bossuet, *Discours sur l'hist. univ.*, p. 2, ch. 19; Spedalieri, op. cit., sect. IV, c. 1; et ex antiquis s. Augustinus, *De moribus ecclesiae catholicae.*

(1) Ep. XLIX, edit. Spanhem. En ipsius verba.: Τί οὖν ἡμεῖς οἰόμεθα ταῦτα ἀρκεῖν, οὐδέ ἀποβλέπομεν, ὃ μάλιστα τὴν ἀθεότητα συνηύξησεν ἡ περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπία καὶ ἡ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθεια καὶ ἡ πεπλασμένη σεμνότης κατὰ τὸν βίον. Integra ferme epistola non continet nisi christianorum elogium.

(2) Cons. Spedalieri, *contra Gibbon*, sect. III, c. 2, 3, 8. *Origenes contra Celsum*, lib. 1, affirmat, tot fuisse portenta a Christi sectatoribus patrata, *quae non tam trahebant ad Christum quam coactos etiam et invitos rapiebant*, ὅτι πολλοὶ ὡσπερεὶ ἀκόντες προσεληλύθασι χριστιανισμῷ. Notae sunt provocationes publicae Tertulliani, Cypriani aliorumque Patrum.

nagistratum gesserat, Flavium Clementem virum con-
rem Domitiani consobrinum, ejusque uxorem Flaviam
nitillam Augusti sanguine natam; addimus eos quos
ullianus recenset ex palatio, foro, senatu; quos *om-*
ordinis recenset Plinius. Nonne adversarii nostri obji-
t plures philosophos ex indole philosophiae, quam pro-
antur, ad christianam religionem venisse (1)?

34. Resp. 2. *D. M.* Et humilis plurimorum fidelium
litio est antiqui vaticinii adimplementum de iis, qui
iturum Messiam crediturí sub initio erant, *C.* aliquid
ris detrahit argumento nostro N. Conf. Is. LXI, 1
Luc. IV, 17 et seqq.

35. Ad Prob. *Argumentum pessimi turba est*, *D.*
agitur de speculativis quibusdam veritatibus, circa
turba indifferenter se habere potest, *Tr.* cum agitur
eserenda religione, quam cum lacte suxerat, atque
ova amplectenda, invisa, cupiditatibus inimica, cum
ne, parentum, bonorum omnium vitaeque ipsius
imine *N.* In negotio enim religionis sive verae sive
e, multo illi tenacius adhaeret turba, populus,

Apposite Hieronymus, *Prae-*
Catal. Script. Eccl.: Discant
, inquit, *Celsus*, *Porphyrius*
idnus, *rabidi adversus Chri-*
canes, *discant eorum sectato-*
qui putant ecclesiam nullos
phos et eloquentes, nullos ha-
doctores), *quanti et quales*
am fundaverint, *extruxerint*;
inant fidem nostram rusticae
simplicitatis arguere. Non-
n publica existebat in urbe Ale-
iae schola a primis ecclesiae
is instituta, in qua viri doctis-
ammonius, Pantaenus, Clemens
, Origenes, etc. floruerunt,
quam vel ipsi ethnici turmatim
ebant? En quid de ejusmodi
scribat Eusebius, *Hist. Eccl.*
, c. 10, ubi loquens de Pan-
; Ἐξ ἀρχαίου ἔθους, inquit,
διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ' αὐτοῖς συνεστῶτος, ὃ καὶ εἰς ἡμᾶς παρατείνεται, καὶ πρὸς τῶν ἐν λόγῳ καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα σπουδῇ δυνατῶν συγκροτεῖσθαι παρειλήφαμεν, id est, « Jam inde a priscis temporibus, sacrarum litterarum schola in ea civitate fuerat; quae quidem nostra adhuc aetate perseverat, et ab hominibus tum eloquentia tum divinarum litterarum studio instructissimis obtineri dicitur ». *Porro*, sub Severo (inquit anonymus chronographus) floruit Pantaenus, quem secutus est in schola (alexandrina) Clemens Stromateus, hunc Origenes. Cf. Cave, *Hist.* vol. II, p. 37, ad annum Christi 181; ergo jam inde a saeculo II celeberrima illa schola florebat.

plebs, quam sapientes et nobiles; hinc si turba religionem christianam amplexa est, ad id praestandum nonnisi aut argumentorum evidentiam, aut divinae gratiae omnipotentem virtutem, aut utramque simul fortiter suaviterque ipsam impulisse dicendum est.

386. III. Obj. Christiana religio acceptum referre debet incrementum suum magna saltem ex parte persecutionibus imperatorum christianorum; ergo.

387. Resp. *N. A.* Nam religio christiana jam longe lateque per universum orbem propagata erat, eamque profitebatur major forsan incolarum romani imperii pars, ante Constantini conversionem (1). Imperatores christiani collabentem jam undique idololatricam superstitionem vel

(1) Cons. Spedalieri in *Analisi dell' esame critico di Freret*, cap. VII, art. 3. et seqq. Etsi Constantius imperator arianus sub poena capitali prohibuerit exercitium idololatriae, nulla supersunt monumenta, ex quibus constat, illas leges fuisse executioni mandatas; imo s. Augustinus aperte scribit: *Quis unquam detectus non negavit, vel saltem timore poenae tantum scelus se nunquam patraturum promisit?* Ipse Gibbon fatetur irritos conatus illos fuisse. Julianus imperator idololatriam propugnavit post Constantii obitum, et rursum juxta Freret religio pagana dominari quodammodo coepit. Sed hic duo sunt notanda Freret mendacia; 1. quod negaverit Julianum christianos fuisse persecutum; hoc enim falsum est; nam dupliciter saeviit in christianos, indirecte per discordiae inter Praelatos semina quae ipse jecerat; directe per vim, exilia, bonorum direptionem, cruciatus, mortem. In martyrologio romano plura occurrunt nomina eorum, qui sub Juliano passi sunt. S. Gregorius Naz. ejus crudelitates palam ipsi exprobravit. Fictos saepe praetextus quaerebat eadem ratione, ac postea factum est sub Elisabetha anglorum regina, aliisque passim. Alterum mendacium Freret est, quod denuo sub Juliano religio pagana amissam recuperare coeperit dignitatem. Julianus in epistola ad Artemonem conqueritur, *quod nemo inveniretur qui redire vellet ad derelictum numinum cultum*, ac rursum scribens ad Libanium sophistam, conqueritur, quod sermones habiti ad incolas Bereae, ut ipsos inducerent ad denuo amplectendam religionem majorum, nullos pepererint fructus. Quod si nonnulli rursum ad idololatriam redierunt, ut referunt ss. Gregorius, Basilius, etc., ii ipsi fuerunt qui christianam religionem professi erant sub Constantino, arianam sub Constantio, et paganam sub Juliano, eadem ratione qua in Anglia Kranmer et Paulet, Caecilius aliique fuerunt semi-catholici sub Henrico VIII, protestantes sub Eduardo VI, catholici sub Maria, denique rursum protestantes et calvinistae sub Elisabetha. Paulet sub quinque Regibus quater mutavit religionem. Ceterum Jovinianus successor Juliani paganos persecutus non est, Valentinianus eos protexit, Valens pepercit ethnicis, saeviit in catholicos. Sub Theodosio, Arcadio et Honorio vix reliquiae inveniri poterant paganismi in toto imperio romano. Nam a saeculo V labente jam vix fit mentio de paganis.

proprio fato permiserunt, vel nullo ferme negotio funditus sustulerunt.

388. IV. Obj. Paganismus, mahumetanismus, protestantismus brevi longe lateque propagati sunt: ergo celeritas propagationis christianae nihil habet supernaturalis aut divini; in insito siquidem humani cordis novitatis amore et exemplo principum habetur ratio sufficiens propagationis cujuscunque religionis, ideoque et christianae (1).

389. Resp. *D. cons.* Celeritas *per se*, etc. *C. cum omnibus suis* adjunctis *N.* In hoc enim praecise totum consistit propositi argumenti robur, non autem in materiali, ut ita dicam, propagatione in se spectata. Hinc *Neg.* paritatem. Quid mirum si pagana superstitio tam late propagata sit, innixa cupiditatibus ac vitiatae propensionibus naturae, et simul freta auctoritate, potentia ac legibus principum? Si tamen paganismus una religio dicendus est, et non potius unum nomen. Sic nihil mirum est, si islamismus, utpote secta cupiditatibus blandiens ac praeconceptis magna ex parte opinionibus conflata, inter arma et caedes, tam celeriter creverit; praesertim cum ob diuturnas simultates et bella, ad internecionem pene usque pertracta, inter romanos et persas, utriusque imperii vires consumptae essent. Quod demum attinet ad protestantismum, nemo est qui ignoret, animos jam a longo tempore diversis concurrentibus causis ad illam veluti praeparatos atque dispositos. Agebatur praeterea de reformatione, quae ad majorem in moribus ac disciplina licentiam homines alliciebat, quae furtis, expoliationi bonorum ecclesiasticorum, quibus et principes et privati non pauci inhiabant, aditum aperiebat, quamque poli-

(1) Sic etiam post alios multos incredulos Wegscheider hac de causa rejicit argumentum pro divinitate religionis christianae desumptum ex ejus propagatione dum ait: « Neque fausta ecclesiae propagatio et conservatio, quod eadem et islamiticae religioni contigit, inter documenta veritatis atque originis divinae referri potest » (op. cit. p. 1, c. 2, §. 51, not. 1). Ita etiam Felix Bodinus loc. cit.

tica rationum momenta promovebant (1). Addo ingens esse discrimen inter introductionem novae religionis, veteri receptaeque omni ex parte contrariae, et corruptionem alicujus religionis sub falsis praetextibus, qualis reformatio lutherana fuit. Sed praeterea distinguendum est inter lutheranismum proprie dictum et protestantismum; primus enim saltem valde propagatus non est, sed brevibus limitibus circumscriptus et cito in plures sectas divisus; alter vero, cum non sit nisi negativus, nil aliud significat, nisi *magnam defectionem*, non autem *diffusionem* proprie dictam.

390. Ad Prob. de insito humani cordis novitatis amore, *N*. Etenim nihil magis obstat propagationi religionis, quam ejusdem novitas; haec profecto perpetua fuit ethnicorum exceptio adversus religionem christianam, ac maximum obstaculum, quod ipsa superare debuerit. Exemplum principum, si quid probaret, evinceret, idololatras primis ecclesiae saeculis a religione christiana summopere abhorrere debuisse (2).

PROPOSITIO IV.

Conservatio Christianae Religionis in omnibus suis adjunctis spectata non minus certum divinae ac supernaturalis Christi missionis suppeditat argumentum

391. Christus Dominus non solum religionis suae propagationem sed et conservationem vaticinatus est usque ad consummationem saeculi (Matth. XXVIII, 20), ac

(1) Cons. Bossuet, *Hist. des variations*, liv. I; Bernini, *Storia di tutte l'eresie*, tom. IV, edit. Rom. 1709; Zaccaria, *Antifebronio*, tom. I, lib. I; Cobbet, epist. I. Certe vel ipse Hume, qui nihil credebat et neminem reverebatur, aperte fatetur, « Que le véritable fondement de la réforme fut l'envie de voler l'argenterie et tous les ornemens des autels (Histoire d'Elisabeth, trad. de l'anglais, ch. 30, an. 1568).

(2) Cons. Spedalieri, op. cit. *Analisi dell' esame critico di Freret*, tom. I, c. 7, art. 8, p. 250.

portas inferi nunquam praevalituras adversus ecclesiam, quam aedificaturus erat super Petrum (ibid. XVI, 18). Si adimplementum suum sortitum est vaticinium, patet non minus certum a nobis desumi argumentum ad divinam Christi missionem evincendam ab ipsius religionis conservatione quam ab ejusdem propagatione. Ad tollendam vero omnem aequivocationem, praemittimus, nos hic non aliam communionem sub christianae religionis nomine designare praeter *catholicam*, in cujus solius conservatione divinae virtutis efficacia elucet, ut jam ostendimus.

392. Religionis christianae conservatio non minus certum argumentum suppeditat divinae ac supernaturalis originis suae quam ipsius propagatio, si eadem adjuncta concurrant tum ex parte difficultatum, tum ex parte eorumdem defectuum naturalium causarum in iis superandis ad ipsius conservationem, quae concurrerint adversus ejus propagationem. Atqui ita est, etc.

393. Et sane, praecipuum impedimentum seu obstaculum, quod oppositum est christianae religionis propagationi, praeter dogmatum arduitatem, est bellum quod indixit omnibus cupiditatibus; jam vero hoc ipsum ejus conservationi semper obstitit; quo factum est, ut pugnare perpetuo debuerit adversus duplicem, ut ita dicam, hostium aciem, externam nempe atque internam. Externi ecclesiae catholicae seu religionis christianae hostes tribus prioribus saeculis fuerunt ethnici, qui in ipsam omnem saevitiem exercuerunt, quae postea recruduit sub apostata Juliano, qui crudelitati astutiam adjunxit; quibus addendi sunt subsequentibus saeculis persarum et islamitarum conatus. Interni praeterea hostes, qui ecclesiam catholicam omni molimine oppugnare aggressi sunt, innumerae prope fuerunt haereticorum sectae, quae vel ab ipsis christianae religionis incunabulis et quovis deinceps saeculo exortae sunt usque ad protestantismum ejusque

propagines, anabaptistas, socinianos, quackeros, unitarios, biblicos, rationalistas. Quibus sese adjecerunt schismaticorum turbae novatianorum, donatistarum, graecorum, ruthenorum, anglicanorum, quarum aliquae numerosissimae quandoque fuerunt, ac imperatorum, regum ac principum favore ac potentia fretae formidabiles fuerunt vel etiam sunt. Ad internos quoque ecclesiae catholicae hostes spectant tot vel aperti vel occulti apostatae, tot perduelles filii, qui maestissimae matri nec minus atrox nec minus diuturnum bellum intentarunt, ut jansenistae, deistae, athei, pseudo-politici, tot occultae sectae, quae facile numerari profecto non possunt (1).

394. Hi porro sive seorsim, sive conjunctis viribus, eam oppugnarunt tum aperta vi, dirissimis scilicet in eam ejusque ministros excitatis persecutionibus, tum calamo ac publicis typis undique argumenta conquirentes non solum ex scriptura vel ecclesiasticis monumentis, sed et ex historia, antiquitate, chronologia, physica, mathesi, astronomia, therapeutica, geologia, sculptura, pictura, poësi, etc., adeo ut vix humanae scientiae vel artium liberalium pars aliqua sit, qua abusi non fuerint et ex qua identidem arma non desumpserint, ut ecclesiae extremam perniciem inferrent.

395. Hae praeterea sectae omnes, cujuscumque demum denominationis, licet inter se oppositae, semper colligatae fuerunt, quamdiu actum est de impugnanda catholica religione, et intimo insuper nexu conjunctae cum internis hostibus fuerunt et sunt ad finem hunc obtinendum, adeo ut destructio religionis catholicae sit velut unum omnium velut objectum attributionis, quod sibi proposuerint atque

(1) In Gallia, Anglia, Hispania, Germania, Italia innumerae prope insurrexerunt occultae societates, quae diversa nomina subinde sumpserunt, Fratrum, Illuminatorum, Muratoriorum, Carbonariorum, etc. quae omnes eo tendebant, prout tendunt ad christiani nominis excidium. Non parcunt viribus, pecuniae, calumniis, hypocrisi, dummodo finem suum obtineant.

proponant. Adversus hanc unam ethnici, adversus hanc haeretici, schismatici, increduli omnes et pessimi quique; in hanc dicteria congerunt, in hanc calumnias struunt, hanc unam ex politicis principiis invisam vel saltem suspectam principibus viris reddere conantur. Adversus hanc foedera et societates ineunt, quibus sese singuli jurejurando obstringunt, ut nullis parcant sumptibus, nullis incommodis, itineribus, nullis mediis ad finem assequendum (1).

396. E contra christiana religio seu ecclesia catholica, ab humilibus exorta principiis, passim sibi relicta, saepe filios suos, qui auxilium illi ferre potuissent, indifferentes, saepe etiam adversos experta est, qui latens bellum in praecipuam ejus sedem ac in sua veluti castra inferebant, interdicendo communicationem omnem ac dependentiam ab ea, quae omni humano ut plurimum est destituta praesidio (2).

397. Attamen vix paganismus vel sectae externis praesidiis caruerunt, vel levem aliquam adversitatem passae sunt, cum citius vel serius evanuerunt, nec nisi nomina sua in infami ecclesiae hostium albo reliquerunt; aliae

(1) In sola Gallia ab anno 1817 ad annum 1824, omissis 600,000 voluminibus bibliothecae saeculi XVIII, jam numerabantur 2,741,400 volumina impressa operum Voltaire, Rousseau, Helvetii, Diderot, etc.; anno 1827 numerabantur 5,000,000.

(2) Satis est hic speciminis gratia commemorare, febronianos omnes, eosque, qui congressus, seu potius conjurationis vulgo *D'Ems* nuncupatae, placita sectantur, atque etiamnum in praxim deducere satagunt, aliosque ejusdem furfuris homines. Dignum plane est quod legatur opus *Memorie storiche di Monsignor Bartolomeo Pacca, ora Cardinale di santa chiesa, sul di lui soggiorno in Germania dall'anno* 1786 al 1794, Roma 1832, in quo veridicae quamplures notitiae congestae habentur. Et tamen qui haec praestant catholici sunt. Quid fiet a protestantibus! Perpendatur edictum Magni ducis Hassiae relate ad exercitium religionis catholicae in suis provinciis editum 30 Januarii anno 1830, Darmstad, nec non Ducis Badensis, etc. Si sermo sit de genevensibus, legatur Dominus Nachon, qui in sua *Lettre sur la tolérance de Genève*, Lyon et Paris 1823, per documentorum seriem ab anno 1553 usque ad annum 1823 ostendit, ipsos nunquam destitisse a systemate persecutionis adversus catholicos; facile esset hanc documentorum seriem protrahere usque ad hunc annum, ut pateat, quomodo ipsi sibi cohaereant, ac quomodo verba cum operibus consentiant. Bergier provocat reformatos, ut vel unum locum indicent, quem quandoque obtinuerint, et in quo catholicos persecuti non sint.

nullis etiam regum conatibus potuerunt sustentari; aliae in tot sunt frustula divisae ac ita a primordiis suis diversae, ut vitam seu existentiam vix aliquam habeant, si excipiatur politica et externa, quae solo odio communi, supra (393-395) exposito, alitur ac sustentatur, steriles omnino sunt ac infoecundae.

398. Ecclesia vero catholica, licet internum atque externum permanens bellum sustinere debuerit ac debeat, licet experimentis omnibus gladii, calumniae, barbariei, scientiae, picturae, sculpturae, typographiae, confoederationum fuerit subjecta, licet per vicissitudines saeculorum modo prosperas modo adversas transire debuerit, quotidie cernit ex inimicis suis cadere a latere suo mille et decem millia a dextris suis, et novis insurgentibus veteres deficere, semper sibi constans, semper victrix, ex sua virtute fortis, semper una, semper foecunda ac majestate plena ad instar regalis fluvii, qui quo magis ab origine abscedit, aquis eo copiosioribus redundat, dum gentes ad fidem conversae ad eam undique confluunt, dum sinum aperit ad colligendas dispersiones Israelis, id est, eorum omnium, qui sincere atque ex corde veritatem inquirunt ex diversis sectis, vel qui ex filiis suis ad meliorem frugem se recipiunt, pristinos errores et fallacias ejurando. Veluti civitas super montem posita in signum semper est populorum, qui oculos in eam attollunt, et ipsa laetabunda et gaudens miro semper ac novo charitatis affectu ad se venientes vel revertentes complectitur, et fructum ac consolationem percipit tot lacrymarum, quas pro eis fudit. Velut sol fulgens in medio nebulae usque ad extremum terrae micantes semper radios suos emittit et nuntios pacis ad eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ut lumine fulgoris sui perciti ad eam se recipiant et videant ac vivant.

399. Jam vero diversis imo plane contrariis his effectibus causa tribuenda est. Hic agitur de factis, quae in

dubium revocari nequeunt ; sectae ac superstitiones omnes licet omnibus humanis praesidiis suffultae , computrescunt et pereunt ; christiana religio seu catholica ecclesia , omni saepe humana ope destituta , imo adversitatibus omnibus pressa , semper viget , semper virescit et proficit. Profecto nisi desipere velimus , nil aliud superest , nisi ut dicamus , illas utpote humana opera perire , ut homines ipsi humanis omnibus vicissitudinibus subjacent ac demum intereunt ; haec vero utpote divinae originis divina adsistentia ac vita vivit , donec expletis saeculis ac mundi cursu canticum incipiat aeternitatis.

400. Hujus Dei adsistentiae erga ecclesiam suam perenne pignus atque argumentum sunt dona supernaturalia atque charismata , quibus semper abundant non pauci ex filiis ejus ; prophetiae et miracula , quae nunquam in ecclesia esse desierunt ; virtutes omnes , quae heroicitatis , uti dicitur , gradum attingunt. Non ignoramus incredulos , protestantes , biblicos , rationalistas falsa scientia tumentes haec spernere atque irridere , nec mirum , quum vaticinia ipsa ac miracula biblica rejiciant ; haec tamen irrisio , hic contemptus facta testatissima ac juridica non destruunt. Ecclesia quovis saeculo examine severiori instituto , tum de virtutibus in gradu heroico , tum de miraculis aliisque donis supernaturalibus , plures refert in Beatorum ac Sanctorum album. Istorum gesta et acta ab ecclesia probata sincero animo ipsi legant et expendant cum suis documentis , et tunc , omnibus vanis subtilitatibus et paralogismis praetermissis , non minus de eorum veritate certiores fient , quam de peculiari Dei providentia erga ecclesiam suam , seu erga religionem a se institutam (1).

401. Ut igitur gravissimum hoc argumentum ad scho-

(1) Cons. *Discours sur la divinité de la religion chrétienne , que l'église qui forme des saints est la seule église de J.-C.* par le cardinal Gerdil , opp. edit. roman. tom. XX.

lasticam methodum exigamus, ita concludimus: Conservatio religionis christianae non minus certum suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum quam ejus propagatio, si, omnibus adjunctis perpensis, nulli naturali causae adscribi possit; atqui talis est christianae religionis conservatio ex dictis et demonstratis; ergo.

DIFFICULTATES

402. I. Obj. 1. Religio catholica systemati auctoritatis unitatem atque perpetuitatem suam refert acceptam, 2. non secus ac islamismus et judaismus. 3. Quod si sectae, quae ab ecclesia catholica exortae sunt, omnes perierunt, ratio est, quia proscriptae fuerunt a mundo exculto, et a potestate temporali persecutionem passae sunt. 4. Protestantismus et jansenismus steterunt; ille quia invenit praesidium in potestate temporali, hic quia ea aetate exortus est, cum non amplius haereses destruebantur ferro et igne (1). 5. Naturali igitur causae tum christianae religionis conservatio, tum sectarum destructio adscribi debet. 6. Nec obstant miracula aliaque dona, quae supernaturalia dicuntur, tum quia haec nullam fidem merentur, tum quia fanatismum promovent et indigna sunt ratione bene exculta; ergo.

403. Resp. ad 1. *D.* Quod tamen systema ab ipso christianae religionis auctore Christo originem ducit, *C.* et praeterea soli systemati huic religionis conservatio adscribi debet *N.* Utique principium auctoritatis est fundamentum christianae religionis, aiente Christo: *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII, 17); *Qui vos audit, me audit* (Luc. X, 16), quod et alia ejusmodi testimonia apertissime evincunt, et nos suo loco ostendemus; at absurdum est, uni huic

(1) Ita Sismondi, *Revue encyclopédique*, Paris, Mars, 1826, art. *Des opinions religieuses*, p. 622.

systemati ecclesiae conservationem adscribere, nulla habita ratione specialis divinae erga eam providentiae et adsistentiae. Alioquin omnes antiquae sectae quae, excepto uno alterove puncto sive fidei articulo, in quo errarunt, systema auctoritatis integrum retinuerunt, cujusmodi v. g. fuerunt ariani, quique universum fere orbem obtinuerant, debuissent conservari, quod tamen factum non est; contra protestantismus ex opposito principio statim destrui debuisset, quum omnem auctoritatem rejiciat. Itaque perpensis tum principio auctoritatis tum ceteris omnibus, quae in probationibus attulimus, conservatio extrinseca ecclesiae non nisi divinae adsistentiae tribui debet vel potest.

404. Ad 2. *Neg.* paritat. Ac primo quidem quod spectat ad islamismum, ipse quemadmodum sola armorum vi propagatus, sic eadem virtute conservatus est; porro ejus felicitas crescit aut imminuitur eodem gradu, quo ejus externa crescit aut minuitur potestas. Nulla enim intrinseca virtute consistit et conservatus est, perinde ac imperium sinense, quod a tot saeculis perdurat. Accedit quod neque intrinseca neque extrinseca illa experimenta islamismus passus est, quibus perpetuo subjecta fuit ecclesia catholica, ut ex dictis patet. Judaismus vero est in alio providentiae ordine constitutus, atque ex prophetarum et Apostoli vaticiniis sic debet perseverare usque dum compleantur tempora nationum (Rom. XI, 25); ipsiusque conservatio est publicum ac perpetuum testimonium tum judaeorum perfidiae tum divinitatis religionis christianae. Sed de hoc argumento in Tractatu de Incarnatione.

405. Ad 3. *D.* Quia scilicet a Deo non erant, *C.* secus *N.* Alioquin si a Deo fuissent, illis omnibus non obstantibus, conservatae fuissent, ut conservata est ecclesia catholica, quae longe acerbiora bella in se sustinuit, quam sustinuerint sectae illae.

406. Ad 4. *D.* Quoad nomen, *C.* quoad rem vel *N.*

vel *subdist.* Subsistentia civili, *C.* religiosa *N.* Adeo enim protestantismus, ut suo loco ostendemus, deflexit ab origine sua, ut protestantismus hodiernus idem cum antiquo dici nullo modo possit. Praeterea addendum, ejus existentiam esse potius politicam et civilem quam religiosam, quatenus nempe nationes et principatum politicum constituit. Quod si, fatente Sismondi, ideo protestantismus non periit, quia confugit ad praesidium potestatis temporalis, ergo hoc sublato certissime, ut ceterae sectae omnes, ita et ipse in interitum ibit. Addatur protestantismum seu protestantismi naturam esse negativam, ac potius incredulitatem denotare, quam professionem alicujus positivae doctrinae; hinc perdurat ut perdurat defectio aliqua generalis sive apostasia, donec homines resipiscant a tali defectione. De jansenismo non supersunt nisi exiguae quaedam reliquiae, quae occultis artibus venenum suum propinare pergunt.

407. Ad 5. *Neg. cons.* Etenim si ab homine fuisset ecclesia catholica seu christiana religio, millies periisset, concurrentibus causis omnibus superius recensitis; sed ideo subsistit et floret, quia fundata est super firmam petram, adversus quam portae inferi non praevalebunt, licet perpetuum sit contradictionis signum.

408. Ad 6. *N.* Ad 1. Prob. *Quia nullam fidem merentur*, *D.* Apud incredulos, qui lucem in meridie negant nec dignantur fundamenta expendere, *Tr.* apud cordatos viros, qui sincere quaerunt veritatem *N.* Tria hic consideranda sunt: 1. Nos non loqui, ut superius innuimus, nisi de miraculis aliisque donis supernaturalibus a sede apostolica examinatis et probatis; reliquis enim non aliam fidem praebemus, quam illam, quae tribui debet monumentis, quibus innituntur, quaeque passim circumferuntur (1). 2. Non posse iis omnibus fidem

(1) Atque hinc patet illorum paralogismus, qui, ut fidem detrahant

ari, quin fundamenta subvertantur omnis moralis
dinis; quum plura miracula referantur a testibus
u vel de auditu immediate et quidem omni fide
, quaeque negari nec potuerunt ab ipsis prote-
ıus (1). 3. Licet fides nostra his non fundetur, atta-
ıegari non potest illa tum testimonium esse divinae
ntiae erga ecclesiam in cujus gratiam patrantur,
dem nostram plurimum jucunditatis ac soliditatis
ercipere, dum in communione fidei invenimur cum
ute et sanctitate eximia pollentibus, quique a Deo
odi donis exornantur; quod nullae sectae habere
t, et peculiare est unius ecclesiae catholicae.
2. prob. *Fanatismum promovent*, etc. vel *N.* cum
natismus non promoveatur in ecclesia catholica, li-
s donis instructa; vel *D.* Ex parte quorumdam pri-
ım, *Tr.* ecclesiae ipsius *N.* Si aliqui pane, vi-
tc. abutuntur, num ideo mala dici debent ac rejici
, vinum, aliaque alimenta? Plures pecunias falsas

iraculis, ex obscuris ac in-
fidei auctoribus, ex legen-
iquatis corrogant miracula ac
mes prodigiosas, suppositi-
ad ingenium confictas, ut
vidiam creent catholicis, eos
credulos traducant in miracu-
ittendis, quasi non extiterint
extent inter catholicos primi
i critici, qui bene discrimi-
aleant veras a fictis narratio-
Haec tamen est passim recen-
ud incredulos et protestantes
tholicis agendi ratio.
Cons. *Vie de s. François Xa-*
par le P. Bouhours, liv. IV,
inem. Sic enim scribit Philip-
ldeus in *Hist. Indica*: « Si
us fuisset nostrae religionis
stanticae), etiam apud nos ut
Paulus cum veritate esset ae-
dus, et colendus velut alter
. Quanquam autem religionis
a nostra diversae, aio, bonos
ejus zelo, vigilanti cura et mo-
rum sanctitate excitari debere ad ca-
vendam in faciendo Dei opere negli-
gentiam ». Richardus Hakluit prae-
co anglicanus, qui quidem calvinia-
nus fuit, de eodem Xaverio: « Hi-
storiae modernae Indiae, *inquit*, ple-
nae sunt praestantium virtutum et
operum vim omnem naturae exceden-
tium, quae vir ille sanctus patravit.
Tavernier calvinianus: Equidem in
Sinas non penetravit; vero tamen est
simile, doctrinam christianam quam
in insulam Niphon induxit, inde ma-
nasse in vicinas regiones, et propa-
gatam fuisse studio et cura sancti hu-
jus viri, quem recte sanctum Pau-
lum et verum Indiarum Apostolum
nominare possis ». Vel ipse denique
Joan. Laur. Moshemius, qui nulli
ferme pepercit ex sanctissimis viris
qui ecclesiam catholicam illustrarunt,
in *Instit. hist. christ.* tom. II, p.
8, ipsum *non vulgaris ingenii fortissimique animi virum* appellat.

supposuerunt, quin tamen pecuniae e commercio sublatae sint.

409. Inst. Si religio christiana divina virtute subsistit, cur igitur principum potestate innititur, cur tot tribunalia instituit, cur concilia celebrat, aliaque innumera praesidia quaerit ad se tutandam?

410. Resp. Quia virtus et providentia divina humana media non excludit ad finem suum obtinendum. Deus promisit nobis panem quotidianum, quem tamen non desides et otiosi expectare sed quotidie ab ipso petere debemus. Ceterum de principum protectione, de tribunalibus satis diximus, ne eadem recoquere debeamus. Haec tamen hisque similia media inutilia forent, si Deus causam suam minime defenderet, ut patet ex defectione sectarum, etsi plures fuerint omnibus his mediis abunde instructae.

PROPOSITIO V.

Christianorum martyrum testimonium, omnibus ejus adjunctis perpensis, validissimum etiam est divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum

411. Christus non solum religionis suae propagationem et incrementum ejusdemque perpetuam conservationem vaticinatus est, sed praedixit praeterea imminentes, futuras ac continuas persecutiones, nec non discipulorum suorum constantiam, fortitudinem atque victoriam: *Si mundus vos odit*, inquiebat, *scitote quia me priorem vobis odio habuit* (Joan. XV, 18); *Absque synagoga facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo* (Joan. XVI, 2); *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (Ibid. 33); *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et*

usque ad ultimum terrae (Act. I, 8); *Vos autem testes estis horum* (Luc. XXIV, 48); *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum .... cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. X, 16 et seqq.); *Ne ergo timueritis eos* (Ibid. 26).

412. Haec autem attulimus non solum ut pateat persecutionum praedictio, sed insuper tum divina adsistentia quae martyribus promittitur, tum constantia et victoria secutura, nec non martyrii objectum, quod non praecise consistit in asserendis iis quae intra mentem sunt posita, sed aliquid externum quod nempe sub sensibus cadat, cujusmodi sunt facta quae habentur vel de visu vel de auditu; de iis enim tantum aliquis potest testimonium ferre. Ex qua animadversione palam fit, solam religionem christianam, imo solam ecclesiam catholicam potuisse ac posse martyres habere. Ut enim in altera hujus lucubrationis parte ostendemus, sola ecclesia catholica a Christo instituta et fundata potuit esse testis ocularis et auricularis, ob nunquam interruptam testium successionem, de iis quae Christus et gessit et docuit, et apostoli tradiderunt.

413. Animadvertimus insuper, prout in superioribus propositionibus observatum est, vim hujus argumenti non in solo martyrio divisim sumpto positam esse, seu in sola poena vel morte, sed in causa et in complexione adjunctorum quae martyrium comitantur ac muniunt, quae sex praecipue recensentur: 1. Maryrum multitudo ac varia conditio; 2. tormentorum saevitia atque diuturnitas; 3. animi robur, constantia, fortitudo, quandoque et lae-

titia ; 4. spontanea multorum oblatio ; 5. frequentia et publica miracula ; 6. effectus. Quae omnia nonnisi in christianorum martyrium concurrunt.

414. Ac 1. quidem multitudo christianorum martyrum colligitur ex legibus indirectis ac directis, quae in imperio romano vigebant, per quas ad arbitrium praesidum poterant vexari christiani. Tales fuerunt leges, quarum meminit Cicero (1), quibus peregrina quaecunque vetita erat religio, quas quidem leges nec Caesares ipsos potuisse convellere, utpote unanimi consensu confirmatas, tradunt Origenes et Tertullianus (2). Tales praeterea fuere latae adversus atheos atque maleficos, in quorum censum christiani passim veniebant (3). Talis fuit lex neroniana, cujus meminit Suetonius (4), qui commemorans ea, quae censet laudabiliter a Nerone constituta, haec habet : *Afflicti suppliciis christiani, genus huma-*

(1) Cic. *De nat. deor.* lib. III, c. 19 ; atque in sua republica cohaerenter ad leges romanas hanc legem esse voluit: « Separatim nemo habessit deos : neve novos, sed nec advenas, nisi publice adscitos, colunto ». Saepe etiam Livius harum legum meminit praesertim lib. IX, n. 30 ; lib. XXV, n. 1 ; lib. XXXIX, n. 16. Cons. *Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire*, par M. l'abbé Guénée, édit. Lyon, 1822, tom. 1, lett. 3.

(2) Orig. lib. 1. *Contra Celsum* ; Tertul. *Apologiae* loc. cit.

(3) Ut patet ex apologiis nostrorum, qui semper cogebantur ab utraque atheismi et maleficii criminatione nostros purgare. Hoc vero maxime attendendum est, cum ex eo ratio reddatur, quare lenta quandoque, sed continua, simul modo in una, modo in alia provincia exarserit persecutio usque ad Constantinum, et cur videamus plures pertulisse martyrium etiam sub iis Imperatoribus qui favebant rebus christianorum, vel saltem eos non persequebantur, v. g. sub Commodo, Alexandro, Severo, utroque Philippo, etc.

(4) De qua lege etiam aliqua scribunt Tertull. in *Apol.* c. IV ; Sulpicius Sev. *Sacrae Historiae*, lib. II, ubi memorat *leges datas* a Nerone, atque *edicta proposita* ; et Orosius, lib. VII, c. 5. Huc referuntur pariter rescripta Trajani et Hadriani, quibus prohibebatur quidem, ne christiani *inquirerentur*, sed tamen *punirentur*, si accusati juridice constaret de ipsorum professione, in eaque persisterent. En verba Trajani : « Conquirendi non sunt (christiani); si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut qui negaverit se christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret » (*Epist.* 98 inter Plinianas, lib. X). Quo factum est ut amplissimus aditus malignis, invidis, etc. aperiretur saeviendi in christianos.

num superstitionis novae ac maleficae, quae nunquam abrogata est. Tales denique leges subsequentium imperatorum, quae tot tamque variae erant, ut Domitius jurisconsultus septimum de his confecerit librum *Officii proconsulis* (1), et Ulpianus unum ex titulis codicis legum imperialium. Colligitur insuper ingens martyrum multitudo ex apologiis Quadrati, Aristidis, Justini, Tertulliani, Athenagorae, quae vix legi possunt, quin animus commoveatur ob immanitatem cui passim christiani subjiciebantur; colligitur etiam ex iis, quae Serenius Granianus, Tiberianus et Plinius scribunt ad imperatores: *Non est justum christianos nullius criminis reos absque judicio puniri* (2); tum ex irregularibus quaestionibus, clamoribus ac tumultibus repentinis, quos compescere identidem vel ipsi imperatores debuerunt; ex cryptis, hypogeis, aliisque subterraneis locis, in quibus delitescere cogebantur christiani, ut sibi perfugium quaererent (3); denique evincitur ex scriptoribus ethnicis et christianis: certe ex Tacito (4) fuit *multitudo ingens* eorum qui sub Nerone crudeli martyrio necati sunt; *plurimos sub Domitiano christianos fecisse martyrium* patet ex Brutio apud Eusebium (5), quod confirmatur a Xyphilino Dionis continuatore, seu potius epitomatore. Cum vero Plinius sub Trajano quosdam christianos e vita sustulisset, *ipsa tamen multitudine perturbatus*, quid de cetero ageret consuluit Trajanum tunc imperatorem, ut scribit Tertullianus (6), atque ut de reliquis imperatoribus

(1) Apud Lactantium, *Instit.* lib. v, cap. xi.

(2) Plin. epist. cit.; et tamen erant humaniores proconsules et sub humanioribus imperatoribus Trajano, Hadriano, etc. vid. tum *Apol.* i, s. Justini n. 68, 69, tum Euseb. *Hist. eccl.* lib. iv, c. 8. Cons. Alexii Symmachi Mazochii *Disquisitiones in acta martyrii s. Justini philosophi et sociorum*; atque ejusdem *Comment. in vet. marmor. s. Neapolit. eccl. kalendar.* vol. ii, p. 476 et seqq. Quid factum putemus de aliis sub severioribus imperatoribus Septimio, Decio, Valeriano, Diocletiano?

(3) De quibus consulendi Boldetti, Fabretti, Bosius, Arringhius; etc.

(4) Tacit. *Annal.* lib. xv, n. 44.

(5) *Hist. eccl.* lib. iii, c. 18.

(6) *Apologet.*, cap. ii.

taceam, *innumeram fuisse multitudinem eorum* qui sub Diocletiano passi sunt, saepe testatur Eusebius (1); nec mirum, siquidem, ut refert Lactantius (2), *vexabatur universa terra, et praeter Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.*

415. 2. Quod spectat ad supplicia, erant illa exquisitissima. Nero christianos pice ac resina perfusos tanquam faces noctu ad illuminandum inservire jussit, teste Tacito (3). Praesides per provincias invenerunt tauros aeneos candentes, ferreas laminas, faces, sarmenta, pectines ferreos, equuleos, forcipes, rotarum varia genera, torcularia, nervos, cruces, compedes, ungulas, plumbata, uncos, lebetes, sartagines, craticulas, aliaque innumera, de quibus fuse docteque egit Gallonius (4). Cuique enim pro arbitrio et sine lege saevire ac torquere fas erat, et ille gratia praestabat, qui ceteros crudelitate vinceret. Edicta enim generalia erant, quibus praecipiebatur, ut christiani a suo instituto *tormentis* retraherentur ac vincerentur (5); ex altera vero parte proponebantur apostatis deliciae, voluptates, honores, praedia, dignitates, imperatoris gratia ac favor, publica officia.

416. 3. Christiani tamen innumeri, cujuscunque conditionis, aetatis ac sexus, delicati, nobiles, servi, senes ac decrepiti et infirmi, fragiles foeminae, pavidi pue-

(1) *Hist. eccl.* lib. VIII, c. 4, et lib. I *De vita Constantini*, c. 13, ubi comparat persecutionem Diocletiani et Maximiani bello civili.

(2) *De mort. persec.* c. 16, et rursum lib. V. *Div. Instit.* c. 9 et 11. Cons. praeterea erudita praefatio D. Ruinart ad *Acta martyrum sincera*, praesertim § 3, ubi Dodwellum refellit qui (*Dissert.* XI *Cyprianica*) contendit paucos martyres extitisse. Hunc sequuti sunt Gibbon aliique vel increduli vel protestantes, qui cum animadverterint magnam gloriam, quae ecclesiae catholicae obvenit ex tot martyrum fortitudine, moliuntur illorum numerum extenuare; ast irrito conatu.

(3) *Annal.* lib. XV, n. 44, edit. taurinensis.

(4) *De ss. martyrum crucialibus*, Ant. Gallonii, Congregat. Oratorii presbyteri, Romae 1594, in 4, qui triennio prius jam ediderat eumdem tractatum lingua italica, *Trattato degl' istromenti di martirio*, etc.

(5) Cons. Lact. *De morte persec.* c. 13 et seqq., nec non Euseb. *De martyribus Palaestinae.*

ri atque puellae in toto qua patet terrarum orbe, data optione, supplicia potius eligebant ac saevos quosque cruciatus ea fortitudine et alacritate, ut retineri aliquando vix possent, quominus ipsi se sponte ad immania quaeque offerrent, *quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur*, scribit Sulpicius (1), *multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur;* et *dum latrones*, subdit Lactantius (2), *et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, et gemitus edunt victi dolore, pueri et mulierculae tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest.*

417. 4. Splendidissima identidem ac publica accedebant miracula, quae martyrium christianorum comitabantur, cujusmodi sunt ferarum mansuetudo, luces quibus carceres effulgebant, fontes subito erumpentes, etc. quibus stupore afficiebantur ethnici ipsi, quaeque leguntur passim in sinceris martyrum actis, in Eusebio (3), Lactantio (4), aliisque probatissimis auctoribus (5).

418. 5. Fructus ejusmodi passionum fuit mirabile religionis christianae incrementum, cujus rei testem damus Tertullianum, qui ita praesides alloquitur (6); *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos.... plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis chri-*

(1) *Sac. hist.* lib. II. Epictetus apud Arianum lib. IV, c. 7, eos proponebat in exemplum fortitudinis. M. Aurelius eos *vitae prodigos* vocabat. Cons. Noghera S. J. *Riflessioni sui caratteri divini del Cristianesimo*, rifl. XX et XXI.

(2) *Div. Inst.*, lib. V, c. 15. Vid. acta s. Laurentii, s. Vincentii, s. Agnetis, Felicitatis atque Perpetuae, Symphoriani, etc. apud Ruinart. Legi non possunt absque commotione ac pietatis sensu genuina martyrum acta; tanta in eis elucet simplicitas et candor, ut rapiant legentium animos. Quis sane non afficiatur intimo devotionis affectu, qui legat epistolam s. Ignatii M. ad Romanos, ejusque martyrii acta, acta s. Polycarpi, s. Pionii, etc.

(3) *Hist. eccl.* praesertim lib. V. et seqq. et lib. II, *De martyribus Palestinae.*

(4) *De mort. persec.*, edit. Baluzii.

(5) Apud Ruinart, op. cit.

(6) *Apolog.*

stianorum.... nec quidquam proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae. Idem testantur Arnobius et Lactantius (1), nec non Theodoretus, qui praeclara hac utitur comparatione (2): *Sicut lignatoribus silvam caedentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam sint rami qui inciduntur; ita tunc quoque, piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam evangelicam accedebant.* Quod probe intellexit apostata Julianus, *qui caedibus videns augeri res eorum* (christianorum), *vitavit, quae approbare non poterat*, ut scribit ejus encomiator Libanius (3).

419. Quibus sic leviter delibatis, ita concludimus. Facta, quae testata sunt a viginti, triginta, etc. testibus fide dignis, tanquam de visu vel de auditu ab iis, qui immediate ea ipsa perspexerunt, qui interposito jurejurando veritatem confirmant, qui, ne veritatem testatam prodant, patiuntur bonorum jacturam, exilia, adversaque omnia, in quavis legislatione extra omnem dubitationis aleam posita habentur, quin imo summum certitudinis gradum attingunt. Atqui non centum vel biscentum, sed myriades, sed innumeri propemodum ex christianis sunt, qui vel ab initio ipsius religionis ac deinceps nunquam interrupta serie per tercentum plus minus annos in quavis mundi plaga testati sunt facta, quibus christiana religio nititur, nec solum interposito jurejurando, non solum omni bonorum jactura, sed sanguine ipso effuso inter acerbissimos diuturnosque cruciatus, quos immanissimi

(1) Arnob. *Contra gentes*, lib. II, n. 3, Bibliotheca PP. Galland; Lact. *Div. Instit.* lib. V, c. 23.

(2) Ἀλλ' ὥσπερ τῶν δρυτόμων τὰ δένδρα τεμνόντων, πολλῷ πλείους τῶν τεμνομένων ἐκ τῶν ῥίζων παραφυάδες βλαστάνουσιν· οὕτω δὴ τηνικαῦτα τῶν εὐσεβῶν ἀναιρουμένων, πολλαπλάσιοι τῇ τῶν εὐαγγελίων διδασκαλίᾳ προσήεσαν, καὶ αἷμα τῶν ἐκτμηθέντων ἀρδεία τοῖς νεοφύτοις ἐγίνετο. Serm. IX, *De legib.* tom. IV, edit. Sirmondi.

(3) *Parentalis in Julianum*, n. 59. Ταῦτ' οὖ αἰτιώμενος καὶ ταῖς σφαγαῖς ὁρῶν ἠυξημένα τἀκείνων, ἔφυγεν ἃ κατεμέμφετο. In *Bibl. Fabricii*, vol. VII, edit. Hamburg. 1715.

tyranni excogitare potuerunt. Ergo christianorum martyrum testimonium pro christianae religionis veritate tale est, ut non modo quamcunque juridicam probationem, sed et legum et naturae ipsius limites excedat (1).

420. Rursum : Spectata infirma communi hominum conditione, moraliter saltem impossibile est, ut tanta fortitudo, tanta animi quies, pax et alacritas in dirissimis diuturnisque ferendis suppliciis, qualis in martyribus christianis apparuit cujusque aetatis, sexus ac conditionis, per tot saecula, humanae ac naturali alicui causae tribui possit; impossibile est, ut homines ceteri non deterrerentur ab eo amplectendo instituto, in quo certissimae ac cruentissimae morti se exponerent, nisi peculiari divino aliquo afflatu commoverentur. Quod si vehementissimae huic praesumptioni accedant miracula publica ac testatissima, nulli amplius dubitationi locus esse potest de divina ac supernaturali ejusmodi fortitudinis et constantiae causa; seu quod idem est: Christianorum martyrum testimonium, omnibus ejus adjunctis perpensis, validissimum pariter est divinae Christi missionis argumentum.

DIFFICULTATES

421. I. Obj. Christianorum martyrium nihil evincit, si vel 1. ex stupiditate, vel 2. ex furore mentis et animi (fanatismum vocant), vel 3. ex inanis gloriae cupidine, vel 4. ex spe emolumenti, vel 5. ex inani exspectatione bonorum futurorum repeti possit ac debeat. 6. Quis enim ignorat cafros, nigritas, japones aliosque barbaros vel se praecipites e rupibus dare, vel ante idolorum plaustra se sternere in viis, ut ab iis conterantur,

(1) Optime Sulpicius Sev. lib. II, *Sac. hist.* relata serie decem acerbissimarum persecutionum concludebat: « Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est; neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus (postremae nempe persecutionis) vinci non potuimus »

vel indorum viduas se in ignem immittere, ut sese maritis vita functis conjungant, tum ne se infamia polluant? Praeterea 7. si non poena sed causa martyrem facit, ut fert receptum religionis axioma, profecto dum concluditur veritas christianae religionis quia martyres habuit, supponitur id quod est in quaestione (1); ergo.

422. Resp. ad 1. *Tr. maj.*; *neg. min.* quoad singula membra; nam christianorum martyrium repeti non potest primo a *stupiditate*, cum plures litteris ac scientiis floruerint ex iis qui vitam pro Christo ultro dederunt. Ea enim aetate persecutio contigit, qua imperium romanum optime adhuc erat excultum. Nemo adeo bardus et stupidus est, ut data optione inter delicias et supplicia, inter libertatem et carceres, vitam et mortem, nesciat se determinare ad ea, ad quae illicitur a natura ipsa; demum ipsa sanctorum martyrum acta evincunt, nonnisi causa probe cognita atque ex intima veritatis persuasione eos sanguinem fudisse.

423. Ad 2. Neque ex *animi furore* seu *fanatismo*. Qui enim agitur aestu fanatismi, caeco impetu ruit; ast quies animique tranquillitas, quam in cruciatibus acerbissimis martyres nostri praeseferebant, responsa sapientissima, preces quas pro persecutoribus in ipso martyrii actu fundebant,

(1) Ita auctor libri *Examen de la religion*, chap. 6, nec non levissimus ac nugacissimus auctor libri; *Promenades dans Rome*, D. de Stendhal, Paris 1829, tom. II, p. 13 et seqq., qui ut moris est ejusmodi peregrinatorum qui eruditionem ostentant, quidquid confert ad depressionem religionis catholicae ac Romanorum Pontificum, congessit sparsimque per totum librum disseminavit. Obsoletas fabulas ab heterodoxis ipsis repudiatas de Joanna papissa ejusque partu recantat. At enim praeter Bayle Leibnitius eruditam scripsit dissertationem, cui titulum fecit. *Flores sparsi in tumultum Joannae papissae*, atque impressa fuit in *Biblioth. hist. gottingensis*, qua ad nihilum redegit omnia supposita fundamenta hujus fabulae; attamen D. de Stendhal serio quaerit eam confirmare eruditionis peregrinae apparatu, et solitas protestantium naenias obtrudit, sive ad rem faciant sive non, dummodo contemptum ipse inspiret catholicae religionis; haec enim loca sunt communia omnibus ecclesiae hostibus, quae ipse continue recoquit. Difficile esset omnia mendacia et falsitates enumerare, quibus ejus opus scatet, atque in pluribus quae refert factis supinam ignorantiam ostendit.

amor quo complectebantur inimicos suos, legata quandoque facta de bonis suis in favorem carnificum qui eos trucidabant, non arguunt certe caecum animi impetum atque furorem. Fanatismus praeterea seu caecus animi furor nec omnes invadit, nec diuturnus est; at in casu nostro abripere debuisset doctos et indoctos, nobiles atque plebeios, senes, juvenes, puellas ipsas, ad universam terram sese extendere debuisset ac per tria continentia saecula. Cui haec suadere increduli poterunt?

424. Ad 3. Neque ex *inani gloriae cupidine*, quam bene norant a religione nostra proscribi, per quam omnem martyrii fructum amisissent; plures in speluncis ac silvis vel fame perierunt, vel a feris devorati sunt a nemine cogniti nisi a solo Deo. Infamia publica notati erant; plures conglobatim occisi vel combusti erant, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem perventura minime esse. Denique magis a gloriae cupidine quam a gladio vel igne sibi timebant (1).

425. Ad 4. Neque a *spe emolumenti*, quae absurda fuisset, dum potius omnium bonorum jacturam pati deberent, ac nonnisi uno gradu a morte durissima dividerentur. Divites ac nobiles hac spe moveri non potuissent; innumeris, si resipuissent, opes, honores, commoda, officia publica offerebantur.

426. Ad 5. Neque demum ex *inani futurorum bono-*

(1) Quot vero sunt ignoti martyres, de quibus cecinit Prudentius in *Peristeph.* hymn. XI:

Relliquias meminime didicisse hominum,
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriae junxit amicitiae;

quique, ut de justis V. T. scribebat Apostolus (Hebr. XI, 37 et seqq.), « circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti... in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae ». Innumeri prope sunt qui profecto nullo poterant gloriae stimulo moveri ad talia perferenda. Cons. P. Ansaldi, Ordin. praedic. in opere, « De causis inopiae veterum monumentorum pro copia martyrum dignoscenda adversus Dodwellum, » Mediol. 1740.

rum expectatione, nisi certum ac persuasum ipsis fuisset divinam esse illam fidem, quam proprio sanguine obsignabant; neque ignorabant haec apostoli dicta: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, inanis praedicatio nostra; si mortui non resurgent, miserabiliores sumus omnibus hominibus; manducemus et bibamus cras enim moriemur.*

427. Ad 6. seu 1. confirmat. *D.* Qui se ipsos interimant juxta propriae superstitionis impulsum, *Tr.* qui ab aliis mortem sustineant ad testificandam propriae religionis veritatem *N.* Patet proinde ingens discrimen, quod intercedit inter infelices illas superstitionis propriae victimas, et christianos martyres qui minime in se manus intulerunt, sed ab aliis mortem sibi illatam sustinuerunt ad facta testificanda, quorum vel spectatores vel testes de auditu fuerunt, ut in probationibus adnotatum est. Itaque in illis caecus furor, in his veritatis testificatio agnoscenda est (1).

(1) Atque hinc in irritum recidunt, quae citatus Stendhal loc. cit. scribit: « Notre sympathie nous donne l'idée d'une douleur, qui réellement n'a jamais été sentie, la *plupart* des martyrs étaient plus ou moins *dans l'état d'extase*. De 1820 à 1823 six cents femmes du Bengale se sont brûlées sur la tombe des maris qu'elles n'aimaient point. Voilà un sacrifice vraiment senti, une douleur réellement atroce. Il est bien plus aisé de braver la mort pour les intérêts d'une théorie métaphysique, soutenue par des gens d'esprit, qui de leurs discours tirent leur subsistance; ils persuadent aisément aux âmes poétiques qu'elles vont acquérir un bonheur éternel au prix d'une douleur de quelques heures... il parait que ces moments de passion profonde, d'insensibilité et d'*extase* se sont souvent reproduits dans ces épidémies d'*enthousiasme* dont on trouve tant de traces dans l'histoire, toute imparfaite qu'elle est jusqu'ici. M. le D. Bertrand a fait un ouvrage estimé sur cet état d'extase, dont le magnétisme reproduit à volonté l'insensibilité parfaite (*Recit. de M. Cloquet*, en avril 1829). At 1. unde didicit majorem martyrum partem *extra se raptos* fuisse, cum id non legatur nisi de uno vel altero? Certe auctor noster acta martyrum neque a limine se salutasse ostendit, dum talia obtrudit. 2. Quo fundamento asserit christianos martyres ob theorias metaphysicas subiisse martyrium, et non potius, ut ostendimus, ad testificanda facta quae sub sensibus cadunt? 3. Qua fronte audet praeferre viduas indicas in ignem se conjicientes martyribus christianis, qui ab aliis illata tormenta et immanissimos cruciatus perferebant, dum illae vero fanatismo abreptae, seu potius ad effugiendum publicum ludibrium et ignominiam id praestent, ut refert Bartoli in *Asia*, nec ipse

428. Ad 7. seu 2. confirmat. *Neg.* ex duplici ratione. Ac 1. quidem nulla datur circulatio, ut ajunt, seu petitio principii, dum per effectum assurgitur ad causam, vel a causa proceditur ad effectum; quando ex.gr. dicitur: *Homo vivit, ergo respirat*, vel e converso: *Homo respirat, ergo vivit*, ut dialectica docet. Jam vero in casu nostro ab effectu, multitudine nempe, fortitudine ceterisque adjunctis martyrum christianorum inferimus veram ac divinam esse religionem christianam, in qua et pro qua illi occubuerunt. 2. Quia jam constituta veritate et divinitate christianae religionis argumentis tum intrinsecis tum extrinsecis petitis ex miraculis, vaticiniis, doctrinae Christi sanctitate aliisque superius allatis, magis magisque eadem veritas confirmatur et robo-

diffitetur paulo infra dicens: « Ces jeunes femmes de l'Inde se brûlent par honneur, comme en Europe on se bat en duel? 4. Quomodo persuadere poterit sibi vel aliis, christianos martyres omnis et aetatis et sexus et conditionis totidem fuisse *animas poëticas*, qui absque fundamento voluerint omnibus atrocitatibus subjici ob inanem spem? Nonne plures doctissimi viri et philosophi martyrio coronati sunt? Imo illi ipsi, qui juxta Stendhal ceteros exhortabantur, nonne illi erant qui potissimum ad necem quaerebantur, episcopi nempe et presbyteri? 5. Si persuadebantur fortiter exigui temporis tormenta sustinere ad aeternam vitam sibi comparandam, ergo non erant extra se positi ac quodammodo insensibiles, ut *plerosque* fuisse asseruit auctor noster; mentita nempe jam bis est iniquitas sibi. 6. Si epidemia enthusiasmi ita afficiebat martyres, ut eos velut extra se raperet in statum extasis et insensibilitatis, qui factum est, ut tot vi tormentorum devicti deficerent, atque spectatores christiani saepe adeo cum tanto suo periculo debuerint vacillantes ad constantiam hortari? 7. Extasis, quam magnetismus excitat, et de qua frequenter adeo medicina loquitur, est status morbosus: nec de alia loquitur Alex. Bertrand, cujus operis compendium exhibet *Biblioth. univ. Genev.* tom. XXXVI, p. 63, 215. Jam vero numquid status morbosus potuit esse communis in universo terrarum orbe omnibus et juvenibus et senibus, viris, foeminis, etc. et quidem per tria saecula, et renovatus quoties recruduit in catholicos persecutio, et quidem privative christianorum seu catholicorum? Tales sunt magni sapientes christianae et catholicae religionis impugnatores! Quod spectat ad extases, quas interdum unus vel alter martyr est passus, istae non aliunde quam a Deo servis suis opitulante repeti possunt, ut patet ex ipsis actis ss. Felicitatis et Perpetuae, quae adversarius noster commemorat. Quae enim in illis recensentur de s. Perpetua nihil habent commune cum extasibus magnetismi; si tamen verum est quod magnetismi patroni praedicant, cum certum sit ex allatis documentis, ubi agebamus de miraculis, saepius magnetismum suum effectum non sortiri, ac plura illi tribui, quae falsa sunt?

ratur ex ceteris motivis credibilitatis, cujusmodi sunt religionis christianae propagatio, conservatio et martyres in suis adjunctis considerata, quae sunt totidem vaticiniorum Christi adimplementa; falsum propterea est a nobis supponi quod est in quaestione.

429. II. Obj. 1. Religiones omnes, aegyptia, pagana, islamitica, atque in sinu ipso christiane religionis montanistae, donatistae, anabaptistae, protestantes suos proferunt martyres. Hinc prodierunt martyrologia anabaptistarum, quorum meminit Bayle (1), martyrologium anglicanorum, quod edidit Fox (2), protestantium, quod inter ceteros confecit Geddesius (3). 2. Freret contendit, primo ipso ecclesiae saeculo disputatum esse de vi argumenti quod a martyribus ducitur (4). 3. Validior quaeque animi commotio, ait auctor *Fabulae Sanctorum*, aut sectae augendae cupido tenebras offundit, ne ea expendantur quorum causa pugnatur; eo vel magis quod primis ecclesiae saeculis non defuere pastores, eloquentia non minus quam fanatismo valentes, qui simpliciorum imaginandi vim inflammarent. 4. Procedente tempore ita deferbuisse martyrii studia, ut jam christiana religio divinitatem suam hoc argumento tueri non possit; ergo.

430. Resp. ad 1. *D.* Proferunt eos quos martyres vocant, *C.* qui martyres sint cum omnibus illis adjunctis quae martyres nostros comitari ostendimus *N.* Haec enim solius religionis christianae seu catholicae propria sunt. Qui enim ab adversariis nostris martyres vocantur

(1) In Dict. crit. art. *Anabaptistes*, remarque F.

(2) *Acta et monumenta ecclesiae*, vol. 3. in fol., quae recusa sunt sub titulo *Martyrologium* an. 1684.

(3) Michaelis Geddesii martyrologium eorum qui in Hispania ob professionem religionis protestantium supremo supplicio affecti sunt, ex anglico latine convertit et vulgavit Moshemius, praemissa epistola amarulenta, 1732, in fine suarum dissertationum ad Hist. eccl. pertinentium, vol. 1. Altonaviae et Flensburgii 1733, edit. 2.

(4) Spedalieri, *Annal. dell'esame crit.* etc. p. 110 et seqq.

non sunt 1. nisi pauci; 2. nulla plerumque inter se fidei seu religionis communione colligati, qui pro *sua* potius *sententia*, quam pro religione pugnarent, vel saltem qui non ad testificanda aliqua facta, sed ad asserenda tantum quae in opinionibus speculativis seu in contemplatione posita sunt, ad adstruenda nempe propria placita; 3. plerique absque optione justo supplicio graviorum criminum rei damnati sunt, cujusmodi fuere donatistae (1), anabaptistae (2), protestantes sub Carolo V (3), vel in

(1) S. Augustinus, auctor coaevus, qui Donatistas bene noverat, *Epist.* 88, alias 68, quae totius cleri hipponensis nomine data est ad Januarium episcopum donatistam, descripta mira Circumcellionum feritate, ita concludit n. 8: « Vivunt ut latrones, moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut martyres. *Et lib.* 1, contra epist. Parmeniani, *c.* 8: Si quisquis ab imperatore vel a judicibus ab eo missis poenas luit, continuo martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, *et c.* x, *illorum mores describens ait*: Inobedientes atque impii nec Deo reddunt christianum amorem, nec regibus humanum timorem; *ac rursum. lib.* II, cont. Epist. Parm. *c.* 3. Isti, *inquit*, cur non se respiciunt, quorum catervae gregum furiosorum huc atque illuc armatae ferro ac fustibus volitant, et tam crebris, ubi potuerint, stragibus, nequaquam tamen tanta immanitate satiantur, ubi per busta cadaverum eorum cum foeminis quae cum illis passim commixtae contra ordinem rerum divinarum et humanarum diebus ac noctibus evagantur, tanta fervet ebrietas ut inde insaniam quotidianam non solum alios insectandi, sed etiam seipsos praecipitandi concipiant »; et alibi passim. Cons. praeterea s. Optatus Milevitanus, *De schismate Donat.* lib. III, c. 6. Tales porro sunt martyres, quos cum nostris conferunt increduli!

(2) De anabaptistis satis est in medium afferre, quae de ipsis scripsit Bayle, art. cit. « Ils enseignèrent que la puissance des princes était une usurpation, et que les hommes sous l'evangile doivent jouir d'une pleine liberté. *Ac de Munzero, praecipuo sectae auctore ait*: Munzer devint si téméraire qu'il exhorta hautement les peuples à résister aux magistrats, et à contraindre les souverains à se défaire de l'autorité. Un tel Evangile plut si fort aux paysans d'Allemagne, qui trouvaient un peu trop rude le joug de leurs maîtres, qu'ils se soulevèrent en mille lieux, et qu'ils commirent une infinité de violences. On leva des troupes contr'eux, on les battit aisément, on en fit mourir un très-grand nombre ». Jam vero seditiosi, rebelles, conspiratores contra legitimam potestatem, digni profecto sunt qui martyrii laurea ab incredulis donentur. Sed ad penitius cognoscendos furores ejusmodi sectariorum legatur *Histoire des Anabaptistes*, Paris 1795, nec non *Histoire de l'hérésie de Wicleff, de Jean Huss et de Jérôme de Prague*, Lyon 1682, item Gerardi Croesii *Historia Quackeriana*, lib. III, Amstel. 1695.

(3) De quibus scribit post Grotium, *Annal. de rebus Belgicis*, pag. 112, édit. fol., Paulus Sarpi in *Hist. Conc. Tridentini*, lib. III, atque ex ipso Gibbon, op. cit. cap. 16; ubi, quum innumeris mendaciis subtilique

Galliis vel alibi mulctati ; et inter incredulos Caesar Vanini ob patrata flagitia , vitiatae praesertim juventutis (1), ceterique passim , quos increduli vel protestantes ut martyres venditant. Tantum abest , ut supernaturalia cetera

astu extenuare numerum christianorum martyrum tentaverit, refert ex auctoritate Grotii, sub Carolo v, 100 millia, vel saltem 50 protestantium millia, ex testimonio Sarpii, carnificis manu interemptos. Ast notum est in immensum ejusmodi numerum auctum esse, ut patet ex ipsa Grotii et Sarpii supputatione ; deinde in bello occubuisse Belgas illos qui jugum excusserant imperatoris et mulctatos tanquam perduelles. Quod spectat ad calvinianos qui in Galliis subinde poenas dederunt, certum est eos ubique suis doctrinis inhaerentes civiles motus excitasse adversus legitimam auctoritatem. Dixi *suis doctrinis inhaerentes* ; siquidem Franciscus I. ut refert Brantôme, affirmabat : « Le calvinisme et toute autre nouvelle secte tendent à la destruction des royaumes, monarchies et dominations ». Calvinus saepe clamat adversus auctoritatem cruentam regum, eorumque ferocem licentiam, vellet ipsos variis subditorum ordinibus subjicere, eos nonnisi populorum tutores appellat, eisque objicit turpem ignaviam velut perfidiam. Nota sunt *Principia Paris ; Vindiciae contra tyrannos* Huberti Languet, qui magis notus est sub numine *Junii Bruti*, qui hoc opus conscripsit, teste ipso protestante d'Aubigné, ut animos adderet reformatis ad conjurationem Ambacii. Agnoscitur liber *execrabilis*, inquit Grotius, Boucher et Ministri Sureau du Rozier, in quo auctor conatur ostendere, ut loquitur quidam protestans : « Qu'il est loisible de tuer leurs rois et reines ne voulant obéir à la religion prétendue réformée et porter le parti protestant. *Demum ceteris omissis, ex confessione ministri Jurieu* : Le cardinal de Richelieu, ôtant aux prétendus réformés leurs places de sûreté, agit plutôt par une sagesse politique que par un zèle de religion. Il voyait que c'était un état dans un état et que ces villes étaient des retraites de *rebelles* et de mécontens ». Sane vix est aliqua rebellio quae in Europa a trecentis circiter annis excitata est, quae ab ipsis non prodierit. Neque ejusmodi spiritus in ipsis immutatus est, siquidem paucis abhinc annis celebris protestans scripsit : *Si la réforme a fait la révolution, c'est son plus bel ouvrage.* Cons. *Mémorial catholique*, II. année, tom. IV, Juillet 1825, p. 21. et seqq. Cons. praeterea *Histoire du fanatisme*, par Mons. de Brueys, Utrecht 1737, 2 vol. in 8. Idque, ut notatum est, ex ipsa reformationis seu protestantismi natura ac doctrina per applicationem principii fundamentalis indipendentiae religiosae ad statum politicum. Quare non est quod obtrudant, ut nunc faciunt nonnulli scriptores protestantes, catholicorum in aliquibus provinciis rebelles motus, cum hi contra catholicum principium seu doctrinam exorti sint, et fructus spectari debeant ipsius protestantismi qui et in catholicos nonnullos influxit. Sane ubique fere qui tales motus machinantur, religionis catholicae hostes infensi sunt et religionis catholicae sacerdotes persequuntur.

(1) De Julio Caesare Vanini atheismi pseudo-martyre consulendus Barthol. Gramondus testis ocularis, in *Historia Galliae*, lib. III, qui refert eum furore percitum fuisse, cum cognovit nihil sibi profuisse simulatam catholicae religionis professionem ad promeritas poenas evadendas. Tales sunt plus minus omnes heroes; quos sive increduli sive protestantes in fastis suis recensent. Sibi eos habeant.

dona in iis eluceant, quae martyres christianos summopere exornarunt! Ad confirmat. *Hinc prodierunt martyrologia*, etc. *D.* quae in censu martyrum et sanctorum recensent facinorosos quosque ac perduelles, atque ob propria crimina mulctatos, *C.* martyres proprie dictos *N.* Quid enim testati essent ejusmodi pseudomartyres nisi propria placita privatasque sententias? Recolantur, quae superius adnotata sunt circa veri martyris characteres (1).

431. Ad 2. *D.* Quatenus nempe, ut supra dictum est, non poena sed causa martyrem facit, *C.* alias *N.* Etenim inter validissima christianae religionis et ecclesiae divinitus institutae argumenta *verum martyrium* primos ecclesiae patres attulisse Clemens romanus, Justinus, Irenaeus, Cyprianus, Hieronymus, Lactantius aliique passim testes lucupletissimi sunt (2), satis sit hic

(1) De martyrologio foxiano, quod aeque in martyrologium Geddesii quadrat, dicit auctor opusculi *A sure way to find out the true religion*, D. Baddeley, edit. American. Boston 1831: « Hic liber sanctorum et martyrum mendaciis scatet, nam raro integra est aliqua historia in hoc immenso volumine, quae aliqua ratione falsificata vel subversa non sit... Percurram tamen primos sex menses kalendarii foxiani, et verum protestantium istorum sanctorum et martyrum characterem exhibebo ». Speciminis gratia ne longiores simus haec pauca exempla bonae fidei Foxii ex citato auctore afferimus: 2. die Januar. *Joannes Wikleff martyr.* Ast iste Wikleff minime occisus, neque in carcerem ob haeresim conjectus est, sed in suo lectulo Lutterworth in Leicestershire diem obiit supremum. 5. Januar. *Wilhelmus Swinderby martyr*, anno 1400. Quamvis ipse Fox dicat eum anno 1401 post duodecim menses, non magno affectum infortunio fuisse; neque ipse scit quid de illo factum fuerit. 7. die Jan. *Roger Acton martyr.* Hic in vitam Henrici V conspiravit, atque in aperta seditione captus et ob proditionem suspensus est, non jam, ut refert Fox 7. Januar. 1401, sed 10. Febr. 1414. 8. Jan. *Joannes Brown martyr.* Ex ipsis perduellionibus fuit, et ob eamdem causam laqueo interiit; et sic dicatur de caeteris ejusdem farinae hominibus vel conspiratoribus vel latronibus, etc. quos in album sanctorum et martyrum refert Fox. Cons. op. cit. pag. 54 et seqq. Ipse Pearsonius exprobrat Joanni Fox falsas citationes, prava ratiocinia, etc. Cons. Feller, *Dictionnaire historique*, art. *Jean Fox.* Sed prae ceteris circa kalendarium foxianum legi debet opus P. Personii S. J. de conversionibus anglorum, cui titulum fecit: *The third part of a treatise entitled conversions of England*, etc. anno 1604, sine loco, tom. II, p. 3, c. I et seqq., ubi inter cetera ostendit plures in vivis adhuc fuisse, quos Fox in suum retulerat martyrologium!

(2) S. Clem. *Epist.* I ad Cor.; s. Just. *Apol.* II, n. 10 et 12; s. Iraen. *Cont. haereses*, lib. IV, c. 33, n. 9;

s. Hieronymi verba proferre: *Cum quis viderit*, inquit, *tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, subit tacita cogitatio quod, nisi verum esset evangelium, nunquam sanguine defenderetur.*

432. Ad 3. *D.* In perbrevi quodam mentis aestu, *Tr.* ad longum tempus primoque illo aestu defervescente *N.* Hi enim animi furores et commotiones, ut experientia constat, in primis non omnes ubique pervadunt, deinde brevi dissipantur ac maturae deliberationi locum cedunt. Jam vero christianorum martyria per universum terrarum orbem ab omni ordinum classe et per plura saecula celebrata sunt: *Steterunt torti torquentibus fortiores*, inquit s. Cyprianus (1), *et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata et laniata membra vicerunt.* Quod vero additur de viris eloquentia pollentibus, nil aliud evincit nisi mentitam esse iniquitatem sibi, dum affirmarunt increduli, nonnisi rudes et plebeios ab initio christianae religionis amplexatos evangelium fuisse. Quaecunque enim vis eloquentiae sit, nunquam efficit ut homines passim bonorum direptionem, exilia, exquisita tormenta ad longum tempus perferant.

433. Ad 4. *D.* Cum desiere persecutiones, *C.* quoties istae recruduerunt *N.* Ecclesiae enim catholicae nunquam defuere martyria, ut patet ex martyribus qui tum sub imperatoribus ac principibus arianis, iconoclastis, etc. passi sunt, tum hac ipsa nostra aetate, quia nunquam ipsi defuerunt persecutores. Praetermissis enim vetustioribus temporibus, japonenses aemulati sunt pristinos martyres, sive numerum spectes, sive conditionem, sive tormentorum atrocitatem (2). In Anglia et Hibernia ad plura pariter hominum millia, praesertim sacerdotio aut nobi-

s. Cypr. *Epist.* LVIII; Lact. *Div. Instit.* lib. V, c. 13; s. Hier. *Ad Hedib.* q. II.

(1) *Epist. ad Mart. et Conf.*

(2) Cons. Bartoli, *Storia del Giappone*; Crasset, *Histoire de l'église du Japon*; Segneri, *L'incredulo senza scusa*, part. 2, c. 16.

litate praestantium, ad haec fere tempora pro catholica fide omnia vexationum genera sustinuerunt (1). In Gallia sub finem elapsi saeculi, ut superius notavimus, plures catholicorum myriades occubuere, in quibus religiosi, moniales, sacerdotes, episcopi heroicam plane fortitudinem ostenderunt (2). Hinc ea ratione qua quoties ecclesiae hostes eam aggressi sunt, toties victi fuere, et ecclesia semper novos celebravit triumphos, sic quoties eam aggredientur, toties vincentur (3).

434. III. Obj. Martyres christiani, non pro religione, sed ob alias omnino causas occubuerunt; etenim vel ob impacta crimina *incendii*, *atheismi*, *superstitionisve maleficae* necati sunt; vel tanquam rei de oedipodeis incestibus, thiesteisque coenis et infanticidiis, occasione carpocratianorum, sub Hadriano mulctati sunt, vel denique ut perduelles ab imperatorum legibus; ergo.

435. Resp. *D. antec.* Interdum ob alias causas fucatis coloribus apparentes, *Tr.* reales *N.* Etenim 1. Justinus sic imperatores alloquebatur: *Rogamus ut qui convictus fuerit puniatur ut improbus, non autem ut christianus* (4); et Tertullianus (5) pariter: *Nemo illic christianus, nisi hoc tantum*, et ita passim reliqui apologetae et martyrum acta loquuntur. 2. Per *Atheismum*

(1) Cons. Bartoli, *L'Inghilterra.* Recolantur praeterea quae superius notata sunt de haereticorum saevitie. Lingard, *Storia dell' Inghilterra* tradotta dal sig. Gregori.

(2) Barruel, *Histoire du Clergé de France pendant la revolution.*

(3) Pulchra similitudine utitur Segneri, *L'incredulo senza scusa* part. II, c. 10, ad exponendum duplicem effectum quem persecutiones in ecclesia producunt, his verbis: « Si fe chiaro, come i nemici di quella (chiesa), con tante scosse non le avevano arrecato finalmente altro danno di quello, che si arrechi ad un incensiere con agitarlo incessantemente per l'aria, che fu l'avvivarvi ad un' ora di dentro l'ardore della carità, di fuori la fragranza del buon esempio ».

(4) Apol. I, n. 7. En ejus verba: Ὅθεν πάντων τῶν καταγγελλομένων ὑμῖν, τὰς πράξεις κρίνεσθαι αξιοῦμεν, ἵνα ὁ ἐλεγχθεὶς ὡς ἄδικος κολάζηται, ἀλλὰ μὴ ὡς χριστιανός.

(5) Tert. in *Apol.* c. 44. Cons. Ansaldi, Diss. cit. *De causis inopiae monument.* adversus Dodwell, p. 4; Euseb. *Hist. eccl.* lib. III; Noghera, *Riflessioni sui caratteri divini del cristianesimo*, Riflessione 20.

*

et superstitionem maleficam christianam professionem designabant juxta praeconceptas ethnicorum opiniones, ut notum est. 3. Tacitus (1) ipse scribit incendium fuisse praetextum, quo usus est Nero ad christianos insectandos. 4. Impacta christianis crimina incestus, etc., vel erant apertae calumniae ab ipsis ethnicis excogitatae ad invidiam conflandam christianae confessioni, vel si ex occasione carpocratianorum aliorumque haereticorum exortae sunt, nonnisi ad brevissimum tempus praevaluerunt, ut enim tradit Eusebius (2), semper ecclesiam catholicam, quam κρατοῦσαν seu *praevalentem* vocabant, ipsi ethnici a quibuscumque sectis discreverunt et agnoverunt. 5. Dummodo christiani fidem ejuras-

(1) *Annal.* lib. xv, n. 44.

(2) *Hist. eccles.* lib. iv, c. 7. Cum retulisset gnosticos (sapientes seu illuminatos, prout se vocant non paucae nostrorum temporum sectae), a Carpocrate prodiisse, docentes debere unumquemque flagitia obscoenissima perpetrare ad sibi conciliandos mundi rectores, indeque prodiisse tot ethnicorum in christianos calumnias de incestibus cum matribus et sororibus, et consecrandis dapibus, praeclarum hoc exhibet testimonium de ecclesia catholica; Ἡ τῆς καθόλου καὶ μόνης ἐληθοῦς ἐκκλησίας λαμπρότης, τὸ σεμνὸν καὶ εἰλικρινὲς καὶ ἐλευθέριον τό τε σῶφρον καὶ καθαρὸν τῆς ἐνθέου πολιτείας τε καὶ φιλοσοφίας εἰς ἅπᾶν γένος Ἑλλήνων τε καὶ Βαρβάρων ἀποστίλβουσα συναπέσβη γοῦν ἅμα τῷ χρόνῳ καὶ ἡ κατὰ παντὸς τοῦ δόγματος διαβολή· ἔμενε δὲ μόνη ἄρα παρὰ πᾶσι κρατοῦσα καὶ ἀνομολογουμένη τὰ μάλιστα διαπρέπειν ἐπὶ σεμνότητι καὶ σωφροσύνῃ θείοις τε καὶ φιλοσόφοις δόγμασιν, ἡ καθ' ἡμᾶς διδασκαλία, id est, *Catholica ecclesia*, quae sola vera est, « semperque sui similis et constans, novis quotidie incrementis augebatur, gravitate, sinceritate ac libertate, modestia denique ac sanctitate vitae cujusdam, philosopiaeque divinae omnium oculos, non graecorum modo, verum etiam barbarorum perstringens; simul etiam extincta est temporis lapsu calumnia illa quae universae religioni nostrae afficta fuerat (puto Sismondi hic dicturum non esse ferro et igne ecclesiae catholicae), mansitque tandem disciplina nostra *sola omnium consensu* superior et victrix, ac prae reliquis sectis modestia, gravitate, divinaeque sapientiae praeceptis excellere ab omnibus judicata ». Denceps hinc factum refert, ut ecclesia catholica dicta fuerit a gentilibus ἡ κρατοῦσα δόξα, et catholici κρατοῦντες. Et sane hoc nomine Damascius in *Isidori Vita*, p. 1058 donat ecclesiam catholicam, ac rursum pag. 1072 idem apud Suidam disserens de Ammonio; sic etiam ante ipsum Porphyrius, in libro *De oraculorum philosophia*, apud Euseb. *De praep. evang.* c. 10, et Theodoretus, lib. *De curatione graecanicae superstitionis*, id ipsum observat, imo ipse Julianus in *Misopogone*, p. 99. τῶν κρατούντων, *de iis qui tunc praevalebant* loquitur. Cons. Valesius in notis ad citatum Eusebii locum. Miror quomodo eruditi protestantes ista non viderint.

sent, tanquam absoluti et immunes ab his omnibus criminibus habebantur. 6. Ideo perduelles declarabantur, quia respondebant: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (Act. V, 29). 7. Addo, quod si ob impacta ejusmodi crimina saltem ut apparentes praetextus, christiani interficiebantur, ergo infero, non temporalis quaestus, non inanis gloriae cupidine, non sectae augendae causa, non animi furore, ut deistae contendunt, martyres mortem obibant, cum nonnisi infamia eos sequeretur, sed unius veritatis gratia sobrii prudentesque sanguinem dabant.

436. Inst. Plures quovis tempore apostatae fuerunt; ergo.

437. Resp. *Tr. antec. N.* vel *D. cons.* Et istorum apostasia propriam arguit imbecillitatem, divitiarum, honorum, voluptatum, etc. amorem, *C.* arguit infirmitatem argumentorum christianae religionis, quam deseruerunt *N.* Imo istorum ignavia ceterorum fortitudinem exaltat tanquam vere divinam. A cruciatibus enim vinci hominis est, cruciatus vincere christiani. Contra propriam vero conscientiam et persuasionem atque ex ignavia eos cecidisse, duo sunt quae ineluctabiliter evincunt. 1. quod plures resumtis viribus novo se certamini committerent, et qui in prima pugna victi sunt, in altera fuere victores; 2. quod, vix pace ecclesiae reddita, illico turmatim lapsi non solum precibus, sed et lacrymis et gemitibus episcopos obsiderent, ut pacem et veniam patrati criminis consequerentur, ac durissimis publicae ac diuturnae poenitentiae laboribus se subjicerent ad ejusmodi pacem obtinendam (1).

(1) Cons. Morinus, *De poenitentia*; Petavius, *De poenitentia*; Mamachius, *De orig. christ.* et s. Cyprianus passim in suis epistolis. Novatiani schisma originem cepit ex accusatione quam ipse intulerat ecclesiae romanae, quod pacem lapsis poenitentia functis concederet, atque rursum ad communionem suam eos admitteret.

EORUM QUAE HACTENUS PROPOSITA SUNT SUMMA ATQUE CONCLUSIO.

438. Jam praestat institutae disputationis adversus incredulos summam colligere, tum ut inde pateat argumentorum nexus et vis quibus nostra doctrina constituitur, tum ut consecutionum series deducatur ex iis quae confirmare studuimus, tum denique ut ex parallelismo impugnationis incredulorum planum fiat quam levibus nitantur momentis, qui fidem adhibere religioni detrectant.

439. Ad primum quidem quod attinet, ex dictis patet possibilem divinam ac supernaturalem aliquam revelationem esse, sive ex parte hominis, sive ex parte rei revelatae (1). Dari insuper certissimas notas quibus divina ac supernaturalis haec revelatio probe secernatur a quacunque hominum fraude, cujusmodi esse ostendimus, tum ex se, tum ex omnium gentium consensu, *extrinsecas* miracula et vaticinia eventu comprobata, *intrinsecam* sanctitatem doctrinae, quae tanquam revelata perhibetur, quae nempe promoveat gloriam Dei et utilitatem hominum (2). Hanc porro revelationem etiam ex ea tantum parte quae complectitur officia hominum erga Deum, erga seipsos et erga societatem, quae nempe absolute captum hominis non excedunt, non solum utilem, sed plane necessariam, saltem morali necessitate, esse ex triplici capite collegimus, quae totidem facta sunt ab omnibus historicis monumentis testata; ac 1. quidem ex eo quod nulla gens unquam fuerit vel sit, quae, divina hac supernaturalique revelatione destituta, vel di-

(1) Cap. I, Prop. I. (2) Cap. III.

gnum Deo cultum exhibuerit, vel plus minus in gravissimos errores non impegerit contra sanae ethices principia; 2. ex eo quod nulli unquam philosophi vel sapientes idonei fuerint vel sint, ex triplici intrinseco ipsis inhaerente defectu, ad homines retrahendos a gravissimis ac perniciosissimis recensitis erroribus, eosque in officio continendos; 3. demum ex eo quod humana ratio, nullis aliunde suffulta praesidiis, motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos, etiam in iis quae naturali rationis lumine cognosci possunt (1).

440. His constitutis investigavimus, utrum divina bonitas homines in tanta necessitate positos sibi ipsis omnino permiserit, an vero proposita revelatione iisdem consuluerit; atque ostendimus Deum reipsa hominibus non defuisse, sed per Christum potissime gentes omnes ad verum Dei cultum atque ad sanam ethicen revocasse. Divinam porro ac supernaturalem Christi missionem seu revelationis factum extra omnem dubitationis aleam posuimus argumentis intrinsecis et extrinsecis, vaticiniis scilicet et miraculis a Christo patratis; ac praesertim gloriosa ipsius a mortuis resurrectione, quae omnium maximum et miraculum et vaticinium fuit et ceterorum omnium velut confirmatio atque sigillum. Et haec quidem quod attinet ad argumenta extrinseca; ad interna retulimus sanctitatem evangelicae doctrinae, quae in summo gradu gloriam Dei promovet, atque omnium et singulorum hominum utilitatem per integrum systema ita connexum, sive ex parte propositae doctrinae, sive ex parte motivorum atque sanctionis, ut nihil in ipso desiderari possit, nihil ipsi addi. Subsidiariis denique, si ita loqui fas est, argumentis, petitis tum ex admirabili religionis christianae propagatione, tum ex ejusdem non

(1) Cap. II.

minus prodigiosa conservatione, tum ex martyrum testimonio, quae omnibus adjunctis perpensis non competunt neque competere poterunt unquam nisi uni divinae ac supernaturali revelationi, seu uni religioni christianae, talem certitudinis gradum adjecimus, ut nihil certius a prudenti et cordato quolibet desiderari possit. Quae quidem posteriora tria argumenta, quatenus in se continent atque includunt vaticiniorum Christi adimplementum, ad extrinseca superius recensita vocari facile possunt (1).

441. II. Cum vero Christus finis legis sit, ad quem et lex mosaica et prophetae referuntur, et quibus Christus adversus judaeos suam divinam comprobavit missionem (2), cum insuper veritas non nisi una sit, neque opponi possit veritati nisi error, jure inde inferimus.

442. 1. Divina igitur pariter est missio Mosis et prophetarum in veteri lege, ideoque et doctrina ab ipsis Dei nomine hominibus proposita.

443. 2. Si Christus finis fuit legis, atque in ipso lex et prophetae suum adimplementum habuerunt, ergo jamdiu abrogata est lex mosaica, quae non fuit nisi praeparatio quaedam ad Christum; vana proinde spe judaei eum praestolantur futurum, qui jamdiu venit; et quod consequens est, praesens judaeorum conditio ineluctabile argumentum est propriae eorum perfidiae, adimplementi veterum vaticiniorum, divinitatisque christianae religionis.

444. 3. Ergo pagani, islamitae, deistae, increduli denique omnes extra veritatis semitam versantur.

445. 4. Cum argumenta, quae deducuntur ex christianae religionis propagatione, conservatione et martyrio, nonnisi in ecclesia catholica verificentur, et tamen objectum sint Christi praedictionum, merito pariter infertur, tum heterodoxos ea urgere non posse adversus incredulos, quin noceant propriae causae (3); tum solam

(1) Cap. IV.
(2) Cons. Joan. V, 46; Luc. XXIV, 44.
(3) Nullum est fere argumentum quod heterodoxi urgere valeant ad

iam catholicam integrum christianismum constitue-
sectas vero non esse nisi christianismi fragmenta,
ias sive segmenta, nec ipsis ullo modo competere
divinos religionis a Christo institutae characteres (1);
denique iisdem argumentis quibus quispiam chri-
is fit, catholicum fieri.

6. III. Analysi instituta argumentorum quibus in-
li ac rationalistae divinam ac supernaturalem reve-
em impugnant, omni fuco, jocis, calumniis ac fal-
ruditionis apparatu sepositis, illa huc reducuntur:
sibi sufficit, ut sufficiunt sibi reliqua animantia
a. Revelatio multis deceptionibus patet. Dantur re-
ones falsae, ergo omnes falsae sunt. Plura falsa sunt
cula et vaticinia, ergo omnia. Plures abusi sunt re-
e, ergo nulla est admittenda religio. Ethnicismus,
ismus, protestantismus cito ex naturalibus causis et
gati et conservati sunt, ergo et christianismus. Plu-
natico furore abrepti in quavis secta mortem obie-
, ergo omnes christiani martyres tales sunt censen-
Magni abusus, magna crimina in religione christia-
erunt, et adhuc sunt; ergo tota christiana religio
est nisi magna seductio atque deceptio (2).

anismi defensionem, quod non
t adversus illos pro ecclesiae ca-
e veritate. Nullum enim est
faveat christianismo partiali.
vel ipse Grotius qui praeclapus edidit *De veritate religio-
ristianae*, cum sibi proponit
entum sive difficultatem peti-
t multiplicitate sectarum, hae-
nec amplius Grotius videtur.
m contigit Abbadie; id ipsum
omnibus. Cons. Gerdil, Dis-
t. « Saggio dell'uso che si può
favore della religione cattoli-
gli argomenti de' protestanti in
della rivelazione contro gl' in-
i, » Opp. edit. Rom. tom. XI.
Satis est ad ejusmodi divinos
characteres eliminandos inquirere in cujuslibet sectae originem, epocham, motiva, doctrinam, progressus, ut luce meridiana clarius pateat, ex humanis cupiditatibus ortas eas esse, ac omnes humani operis vicissitudines fuisse expertas; totum in iis humile et abjectum.

(2) Ita incredulorum facile principes Boulanger, Bollingbrocke, Freret, Rousseau, Voltaire, etc., qui tantopere desudasse dicuntur ut christianismum retexerent, perpenderent, atque ad analysin revocarent; ita qui eos exscripserunt, vel in compendium redegerunt atque, utpote obscuriores obsoletique, jacent; ita demum, licet aliam viam inive-

447. Quis porro non videat ejusmodi argumenta talia esse, ut probationes christianae religionis non solum non infirment, sed ne attingant quidem? Si tota christiana religio non est nisi factum quoddam, plane patet nihil unquam proficere posse ejusdem adversarios, nisi monumenta destruant quibus illa fulcitur; cum vero haec monumenta summo certitudinis gradu innitantur, infirmari non possunt, quin ipsius certitudinis subruantur fundamenta.

448. Rursum facta christianae religionis ita inter se firmo nexu colligantur, ut, ejus veritate ac divinitate posita, omnia explicentur, et illa sublata, sic omnia in suspenso maneant velut totidem effectus sine causa.

449. Cum autem haec agendi ratio contraria sit ipsi humanae naturae, vim sibi inferant necesse est qui eam sectantur, neque unquam quiescere possint. Poterunt quidem increduli sibi ad tempus illudere, ferventibus praesertim cupiditatibus; ratio tamen jus suum semper sibi vindicat. Unde fit, ut, quieto tandem animo christianae religionis motiva perpendentes, increduli non pauci demum resipiscant, vel saltem in mortis discrimine constituti plerique in sinum ejus confugiant. Pauci enim omnino sunt qui ita obdurescunt, ut velint ad extremum usque vitae spiritum in incredulitate persistere, iique vel stolidi vel corruptissimi, qui nunquam aut fere nunquam finem cogitant, ad quem conditi sunt; ac ne turbentur a falsa illa qua frui videntur pace, a quocunque religionis examine refugiunt pejus quam a cane et angue (1).

rint, rationalistae, qui quam primum obsolescent et ipsi. Haec est enim conditio omnium religionis christianae impugnatorum et hostium, sive principes ii fuerint, sive scriptores: *Ecce inimici tui, Domine, ecce inimici tui peribunt*; eorum nomina in pulvere scripta sunt, licet aetate qua vixerunt, magnum de se excitaverint fragorem.

(1) Facile posset catalogus et quidem prolixus exarari eorum incredulorum, qui duobus abhinc saeculis, vel examine accurate instituto ad catholicam fidem redierunt, vel saltem quos poenituit propriae incredulitatis in articulo mortis, ac se cum ecclesia reconciliarunt, vel omni ra-

o. Expendant igitur religionis christianae fundamen-
et motiva conferant si placet cum suis argumentis,
ibus anticipatis judiciis exclusis, ut res tam gravis po-
t, lucem a Deo enixis precibus humili ac sincero ani-
petant, et procul dubio ad eam religionem reverten-
a qua aberrantes recesserunt.

conati sunt id efficere, licet amicorum artibus et fraude, illinc Dei judicio, obstacula evia repererint quominus id erentur. D. Emery in quodam ilo de hoc argumento edito haec ; « On ferait une longue liste prits forts qui ont rendu hom- à la religion au moment de la Nous ne citerons que quelques- e ceux dont le nom est le plus ; Boulanger, Toussaint, Boul- liers, le marquis d'Argens, squieu, Maupertuis, Buffon, rsais, Fontenelle, Damilavil- le, Thomas, Bouguer, de Langle, Tressan, Mercier, Palissot, Poula- vie, Larcher. Diderot voulait se con- fesser, on lui en ôta les moyens: *Sans moi*, disait Condorcet, parlant de d'Alembert, *sans moi il faisait le plongeon*. Il paraît qu'on se précau- tionna également contre la faiblesse de Voltaire, qui mourut au rapport de Tronchin dans les convulsions de la rage, en poussant le cri sinistre: *Je suis abandonné de Dieu et des hom- mes*. J. J. Rousseau selon toutes les vraisemblances termina lui-même sa vie.

DE VERA RELIGIONE.

PARS ALTERA

ADVERSUS HETERODOXOS

1. Heterodoxorum nomine veniunt sectae omnes, cujuscumque demum communionis ac denominationis sint, quae sive in pluribus, sive in paucioribus fidei articulis, ab ecclesiae catholicae doctrina quovis tempore recesserunt, vel ab ea in dies recedunt. Longum propterea esset, imo vix possibile tot sectarum errores singillatim persequi. Revocari propterea disputatio nostra debet ad aliquod generale principium, a quo tota controversia sponte sua quodammodo defluat. Constituta porro atque in tuto posita divinae revelationis existentia adversus incredulos, inquirendum superest, num Deus qui suam aperiens doctrinam ac voluntatem hominibus mirifice prospexit, hanc suam revelationem privatis hominibus seu spiritui privato uniuscujusque dimiserit, an vero alicui coetui seu societati a se institutae, publicae, infallibili atque perpetuae conservandam atque interpretandam tradiderit et consignaverit. In hac vero posteriori hypothesi remanet discutiendum, quaenam societas legitimos titulos praeseferat, quibus jure meritoque sibi vindicet divinam hanc auctoritatem. In his maximi momenti quaestionibus expendendis tota versabitur altera haec tractatus nostri pars. Ex duplici hac disquisitione, controversiae peculiares omnes enucleantur ac dissolvuntur, cum ubi semel de illis constiterit, non agatur amplius nisi de audiendo ejusmodi infallibili magisterio a Christo ipso instituto. Omnem proinde diligentiam impendemus ad ar-

gumentum istud solide evolvendum, quod ut obtineamus, continenti propositionum serie, quae se invicem excipiant, rem totam complectemur.

PROPOSITIO I.

Validissimae rationes ostendunt, de via ordinaria divinam revelationem ab auctoritate divinitus instituta atque infallibili custodiri, atque proponi debere

2. Ut patet ex ipsa propositionis enunciatione, sermo hic non est de ipsa actuali revelatione, seu actuali veritatum manifestatione, sed de *revelatione jam facta*, *litterisque consignata*, *vel viva voce transmissa*, seu de collectione ipsa ac corpore, ut ita dicam, jam factae revelationis.

3. Hisce positis, sic 1. ex ipsa natura rei, de qua agitur, evincitur propositio. Nisi enim a publica, externa ac infallibili auctoritate, divina revelatio proponeretur, infallibiliter nobis constare non posset de identitate divinae revelationis; fluctuare semper deberemus incerti, utrum id vere revelaverit Deus, nec ne; an quidpiam eidem additum, quidpiam ab ea detractum fuerit, eo vel maxime quod autographa omnia cito perierint (1). Cum vero fides non minus divina et infallibilis esse debeat in suo objecto et motivo quam in medio per quod proponitur, patet revelationem nonnisi ab infallibili atque divina auctoritate proponi posse.

4. Id ipsum pariter evincitur ex necessitate determinationis sensus legitimi ejusdem revelationis. Etenim, cum

(1) De autographis V. T. nihil omnino scimus; quoad autographa autem N. T. Cellérier in suo: *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament*, Genève 1823, sect. III, censet ipsa, utpote exarata in cortice papyri, quae usitatissima tunc erat, cum scripta illa edita sunt, cito periisse, adeo ut aetate Tertulliani, Clementis Alex., Origenis nulla amplius vestigia superfuerint.

revelatio in hominis gratiam ac bonum data sit, necessario verbis ac signis patefieri ac exprimi debuit. Jam vero verba diversas plerumque habent significationes, diversos, quandoque etiam contrarios, exprimunt conceptus (1), aequivoca propterea sunt seu aequivocationi subjecta; nisi itaque ab infallibili auctoritate divinitus ad hoc instituta, revelatio proponeretur, nutantes ac dubii semper essemus circa verum objectum ac germanum sensum ac intelligentiam ejusdem revelationis; praesertim cum agitur de mysteriis humanae rationi imperviis, in quibus hallucinatio facillima est. Quod ex perpetuo experimento nimis luctuoso ex parte illorum omnium qui viam auctoritatis deserentes sibi ipsis duces esse voluerunt, mirifice confirmatur. Eo enim devenerunt ut, licet sacros revelationis codices assidue versent, in desperationem acti, nesciant quid tenere debeant, tot diversarum interpretationum numero, varietate ac contrarietate huc illuc distracti (2).

(1) Pluribus exemplis ostendi id facile posset; cum vero id neque a protestantibus ipsis nunc in dubium revocetur, non est cur in re non necessaria opus impendamus. Certe ad sensum determinandum verborum sacrae scripturae, ipsi perpetuo accedunt vel ad *usum loquendi*, quem vocant, vel in subsidium adsciscunt linguas affines, passim ad phrases profanorum scriptorum phrases exigunt scripturales, et tamen perpetuo haerent, ac fluctuant incerti, et quod ab uno scriptore affirmatur ut certum, ab altero ut falsum rejicitur. Levis istorum commentatorum sive exegeticorum, seu potius philologorum lectio sufficit, ut quisque intelligat in quanta ipsi versentur fluctuatione. Istorum opera ut plurimum non sunt nisi contextus auctorum heterodoxorum vel affirmantium vel negantium, hunc vel illum nativum sensum esse verbi quod expendunt. Praeter *Criticos sacros* videri possunt Kuinoel, Rosenmüller, Eichorn, etc.

(2) Sane ecclesia genevensis (ut alia exempla missa faciam) in suo *Statuto*; sub die 3 Maii an. 1817, prohibuit, ne quispiam in scholis agat de quaestionibus apud ipsam controversis, circa duas J. C. naturas, peccatum originale, gratiam et praedestinationem. Vid. *Précis des débats théologiques de Genève*, par J. J. Chenevière, 1824, p. 22. Nempe eadem ratione ac exercitus, imperator seu dux, cum se viderit ad extrema redactum, monet ut sibi quisque prospiciat; ita ecclesiae reformatae tot dubiis ac tot perplexitatibus pressae et contradictionibus absque ullo termino, quibus ipsarum doctrinae scatent, eo demum devenerunt ut dicerent membris suis: En Biblia, legite, expendite, cudite vobis religionem, sibi quisque prospiciat. Vid. *The catholic miscellany*, mensis Julii 1826.

5. Ex perpetuitate demum ipsius divinae revelationis eadem veritas patet. Divina enim revelatio non pro solis praesentibus, sed pro omnibus omnino hominibus cujuscumque aetatis facta est; quare, nisi perpetua quaedam semperque vivens divinitus instituta auctoritas esset ad eamdem inviolate servandam, et custodiendam a privatorum hominum novitatibus, interpolationibus, praeposteris interpretationibus, prout experientia passim fieri videmus (1), nunquam nobis constare posset de ejusdem veritate atque integritate; hinc necessario lites ac controversiae perpetuae quae nunquam dirimi possent. Abhorret autem ab idea sapientis legislatoris permittere cujusque hominis arbitrio codicem, et sensum propriae legislationis. Quod ut aliquo exemplo magis declaretur, fingamus animo, quempiam viatorem duas obire civitates, quae aeque glorientur optimis sibi datis legibus atque statutis, et ambae ut sapientissimum habeant legislatorem, utrique civitati communem; sciscitante autem ab iis viatore, quemnam sapientissimus hic legislator constituerit magistratum, vel quod tribunal ad codicem suum incolumem servandum, vel quem interpretem ad lites quae suboriri solent dirimendas, altera indicet constitutos a legislatore judices et magistratus, altera autem contendat non alium a legislatore constitutum judicem ac interpretem quam codicem ipsum, cui fidem adhibebit viator, et quam ex his duabus civitatibus verum dicere arbitrabitur? Illam profecto, quae magistratus ac judices constitutos affirmat, cum hoc longe magis congruat sapientiae ac prudentiae optimi legislatoris, qualem fuisse ambae profitentur, cum rei natura id exigat; cum enim lites excitantur, ut plurimum circa sensum codicis versantur; absurdum autem est affirmare, ad litem dirimendam constitutum esse codicem ipsum, circa cujus sensum lis moveri solet.

(1) Non pauca exempla ejusmodi novitatum, interpolationum, etc. inferius dabimus.

6. Validissimae igitur rationes ostendunt, quod nisi extraordinario aliquo medio a Deo ipso provideatur, de via ordinaria necesse sit, aliquam constitutam divinitus auctoritatem esse, eamque infallibilem atque perpetuam, quae divinam revelationem custodiat, proponat, verumque illius sensum aperiat.

DIFFICULTATES

7. Obj. Ante Christi adventum nulla instituta fuit infallibilis ejusmodi auctoritas, ad divinam revelationem proponendam; ergo.

8. Resp. *D. A.* Quia Deus extraordinaria quadam ratione et providentia supplebat ejusmodi defectui, *C.* secus *N.* Vel enim sermo est de tempore patriarcharum, vel de eo quod subsecutum est sub Moyse, respectu hebraeorum vel ethnicorum. Certum autem est Deum, in prima illa epocha per immediatas apparitiones saepius repetitas, revelationis jam factae integritati ac germano sensui prospexisse. Quod vero spectat ad aetatem posteriorem, praeterquam quod constituta jam fuit synagoga ac sacerdotium Aaronicum, quod depositarium fuit et quidem publicum atque perenne mosaïcae legis, certum pariter est ipsum Deum suae revelationi consuluisse, per prophetarum seriem nunquam fere interruptam, usque ad Christum, ac singulari providentia populum suum rexisse, ut incolume servaretur revelationis depositum (1). His ad-

(1) Josephus Flavius exhibet catalogum omnium summorum sacerdotum, qui, non interrupta serie, ab Aaron usque ad Ananum, seu Annam et Caipham, sub quibus mortuus est Christus, sibi invicem successerunt, et ab his usque ad Joan. Giscala, qui omnium Pontificum judaeorum postremus fuit; sub ipso enim a Romanis excisum est templum flammisque consumptum; qui omnes fuerunt *octoginta novem*. Sic dividit:

Ab Aarone ad Salomonem qui primum templum erexit,	13,	spatio annorum	612;
a Salomone usque ad captivitatem Babyloni-	18,	— —	466;

is fidei articulos, ad salutem obtinendam explicite endos, paucissimos fuisse, unitatem nempe Dei crea- et remuneratoris, expectationemque futuri liberato- 1), qui proinde facillima ratione ad seram usque po- atem transmitti poterant. Nondum enim completa re- io data fuerat. Quod si aliqui ex propria culpa illos erárunt, penes ipsos sit; quamquam si absque perso- culpa aliqui posteriorem praesertim articulum igno- runt, dummodo legem naturalem observaverint, du- idum non est, Deum pro sua bonitate aliquo modo rovidisse, et si aliqui adhuc ejusmodi sint, iis pro- re, infundendo nempe iis habitum fidei, spei et cha- s supernaturalis, sine quo nemo finem suum, super- ralem scilicet beatitudinem, consequi potest, secus ac nalistae sentiunt, et qui ipsorum vestigia premere non uit Franc. Brenner canonicus bambergensis, in libro itulus: *De dogmate* (2).

a captivitate Babyl. usque ad Antio- Eupatorem,	15,	—	—	412;
ıtiocho, qui Oniam III cognomento aum sacerdotio spoliavit, usque ad He- II, omnes Assemonei,	15,	—	—	113;
n ultimus fuit Aristobulus, creatus ex ab Herode, a quo postea vita pri- est; post hunc usque ad Titum suc- : alii	28,	—	—	107.
	89			

ntiquitatum, lib. XX, cap. 10. ero Salvador, *Histoire des de Moïse*, etc. liv. II, *Des ms législatives*, chap. I, *De ristrature sacerdotale*, p. 128 [. observat scopum institutionis ae esse vigilantiam ad legis vationem. Ejusmodi officium r spectabat ad publicum totius synedrium. His addatur series etarum usque ad Malachiam. . lib. I, *contra Appionem*, n. 3, refert libros quos nos ocanonicos dicimus, diligen- catalogo digestos scripturarum fuisse, etsi non habeant parem auctoritatem ac praecedentes (scilicet protocanonici) ex defectu successionis non satis clarae prophetarum. Ex quibus patet nunquam divinae revelationis depositum in V. T. fuisse privatorum arbitrio commissum.

(1) Apostolus, Heb. XI, 6, his verbis veluti compendio quodam complexus est, quae fide necessaria ad salutem tenenda essent: « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit ».

(2) Landshutii, 1832.

9. Ceterum nunquam Deus ita suam revelationem privatorum hominum arbitrio atque interpretationi dimisit, ut fas unicuique fuerit eam aliquo modo vel temerare vel exponere.

10. I. Inst. 1. Ethnici non potuerunt revelationem habere, nisi per privatam familiarum traditionem, ideoque absque ejusmodi publica atque infallibili auctoritate; 2. atque ex ipsis judaeis nonnisi pauci viderunt prophetas, eosque immediate audierunt, quin dicendum sit eos omnes fide divina caruisse; ergo.

11. Resp. ad 1. *D.* Qui proinde eamdem revelationem vel obliterarunt vel innumeris prope commentis ac fabulis temerarunt, *C.* integram custodierunt *subdist.* Nonnulli privati qui primaevam revelationem, extraordinaria ratione propositam, traditione conservarunt, *Tr.* nationes integrae *N.* Quo propiora fuerunt tempora primaevae revelationi, eo magis pura conservata est, etiam apud gentes divina revelatio; ast processu temporis adeo obliterata est vel foedata, ut nonnisi vestigia superfuerint veluti navis tabulae per naufragium diffractae, quas ingenti labore eruditi hinc inde collegerunt (1). Quae quidem vestigia duo ostendunt, nempe tum revelationem quamdam olim datam hominibus fuisse, tum corruptam hominum eorumdem incuria ac negligentia. Hinc nisi Deus,

(1) Praesertim Eusebius Caesariensis in duobus praeclaris operibus *de praeparatione* ac *de demonstratione evangelica*. Ex recentioribus vero plures viatores universalis ejusmodi traditionis rudera, ut ita dicam, atque fragmenta, penes diversos populos barbaros atque silvestres collegerunt. Inter quos dignus est qui legatur Comes Carli Rubi in suis *Lettere Americane*, duobus voluminibus; nec non *Croyances, superstitions, et restes des traditions primitives observes par M. Dumont d'Urville, dans son voyage autour du monde à bord de l'Astrolabe, dans la Nouvelle Zélande, et les îles de Tonga*, etc., *Annales de philosophie chrétienne*, recueil périodique, 5. année, tom. VIII, n. 43, 31 Janvier, Paris 1834; *Neue theologische Zeitschrift*, von D. Joseph Pletz, id est, *Novae ephemerides theol.*, Viennae, 1833, fasc. II, p. 189-210, fasc. III, p. 305-329, fasc. IV. 26-50. Ex quibus patet apud universas gentes obtinuisse ideam existentiae Dei, semideorum seu angelorum, pugnae inter duos primos fratres Cain et Abel, Trinitatis occupatae in hominis creatione, foeminae aedificatae ex viri costa, lapsus protoparentum, etc.

peculiarem populum quem sibi delegit ejusdem reve-
iis custodem ac depositarium, ei prospexisset, actum
us de ea esset, prout etiam nunc temporis absque
olica ecclesia vix rudera, ut ita dicam, magni illius
icii, quod per revelationem conditum est, superes-
atque caementa (1). Quod si nonnulli, iique paucis-
inter ethnicos, intemeratam servarunt acceptam re-
ionem, id acceptum referri debet tum paucitati ar-
rum qui credendi propositi erant, tum peculiari
ı divinae gratiae subsidio, quo factum est ut eorum
oria prorsus non deleretur. Addendum praeterea est,
à tunc temporis minime fuisse de integro revelationis
e, prout nunc agitur, quem proinde neque interpreta-
ıeque corrumpere potuissent, sed de memoriter re-
dis paucis articulis, ut notavimus. Tantum porro ab-
ut exinde possit aliquid contra nos erui, ut magis
rmetur quod demonstrandum assumpsimus. Etenim
ageretur de illa partiali revelatione adeo aperta et
, per traditionem ad posteros transmittenda, si ea
m de sua perspicuitate atque integritate amisit inter
s, non aliam ob causam nisi quia carebant ea au-
ate ac magisterio per quod integra et incolumis ser-
ur, quanto apertius patet ejusdem auctoritatis neces-
, ubi agitur de revelatione completa ac litteris con-
ta, ut nihil addam de parte illa quae per solam tra-
ıem transmissa est?

. Ad 2. *N. conseq.* Etenim prophetae missi po-

Sane cum unaquaeque secta
icorum eorum qui a tempori-
postolicis ad nos usque exorti
ui vix numerari jam possunt,
n revelationis partem negave-
um unaquaeque praeterea ali-
le suo adjecerit, cum nullus
ci articulus qui plures non
ctus adversarios atque impu-
es; absque ecclesiae catholicae
ıte tanta esset rerum omnium
perturbatio atque confusio, etiam
post Christi adventum, qualis fuit
apud omnes populos (si unam exci-
pias ecclesiam judaicam seu synago-
gam) circa primitivas traditones
quae, si non penitus perierunt, ita
tamen fuere corruptae, ut absque
earum prototypo nihil certi in iis
discerneremus. Hoc vero magis pa-
tebit ex inferius dicendis.

*

tissimum sunt ad homines in officio continendos, et ad sartam tectamque divinam jam datam revelationem apud illos servandam, et ad manifestandam peculiarem aliquam Dei voluntatem, non autem ad divinam primitivam revelationem ad salutem necessariam, proponendam. Quoties nempe opus fuit prophetas mitti ad judaeos praesertim revocandos ad legis observantiam, vel ad peculiarem Dei voluntatem ipsis aperiendam, independenter etiam a synagogae approbatione missi a Deo sunt, non vero ad novos fidei articulos proponendos, sed potius ad jam receptos magis ac magis confirmandos et enucleatius exponendos, contortasque interpretationes privatorum corrigendas, quaestionesque, si quae ortae essent, dirimendas (1), et ad ipsorum animos excitandos in spem proxime futuri liberatoris adventus. Ceterum et ex jugi prophetarum missione, ad integritatem ac puritatem factae revelationis conservandam, rursum colligitur necessitas illius auctoritatis quam adstruimus. Scripta vero prophetarum simul ac emittebantur, synagoga seu synedrium ea in reipublicae tabularium inferebat, ut intemerata ibi servarentur (2). Cum his praesidiis destitutae fuerint gentes caeterae, hoc ipso amiserunt vel foede corruperunt revelatas veritates, licet omnes a Noe ejusque filiis, ex quibus originem trahebant, eas acceperint; ex quo magis semper ac magis absoluta necessitas eruitur cujusdam custodis ac interpretis divinae revelationis.

(1) Hoc munus semper fuit prophetarum qui a Deo excitabantur, non solum ad futura enuncianda, verum etiam ad arguendos judaeos ob legis transgressionem, atque ad evertenda inania quorumdam commenta, saepeque perversa ad effugiendam legis observantiam, atque ad falsam spem concipiendam nescio cujus immunitatis a promeritis poenis ob ipsorum flagitia. Plena sunt prophetarum volumina ejusmodi acribus objurgationibus, praesertim apud Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, etc. Quod si nonnulla dubia, vel quaestiones exortae essent, eas prophetae dirimebant (I Mach. IV, 46; IV Reg. XXII, 14 et alibi passim).

(2) Vid. *Histoire critique du Vieux Testament*, par le P. Richard Simon, Rotterdam 1685, tom. I, liv. I, ch. 4. Qui tamen plura habet quae probari nullatenus possunt a sano catholico.

13. II. Inst. Exceptis protoparentibus, qui immediate primitivam illam revelationem a Deo ipso acceperant, reliqui nonnisi per illos eam cognoverunt; jam vero protoparentes eorumque posteri auctoritatem illam publicam atque infallibilem minime constituebant; ergo.

14. Resp. *D. min.* Ita tamen ut Deus extraordinaria providentia, ut dictum est, illius integritati atque incolumitati prospexerit, *C.* secus *N.* Nam protoparentes et patriarchae aliique quibus Deus se manifestavit ac recensitos articulos credendos proposuit, eos, ut patet, fide divina tenebant, reliquis autem certitudine morali summa constabat de factis illis; hinc ipsi eosdem articulos eadem fide credebant. Deus interea nunquam destitit extraordinaria sua providentia, prout temporis illius infantia exigebat, ab iis in memoriam revocandis, ut eorum fides viva servaretur usque ad plenitudinem temporis, in qua misit filium suum qui revelationem complevit, et ad suam perfectionem adduxit. Praeterea nunquam dimittenda est distinctio superius proposita (in resp. ad 1 inst.), aliud nempe esse transmittere oralem traditionem de nonnullis articulis, aliud vero cum agitur de corpore ipso totius completae revelationis, sive scriptis consignatae, sive per traditionem transmissae, licet et in primo casu opus fuerit peculiari Dei providentia ad eam integre custodiendam, nec Deus eam privatorum arbitrio ac interpretationi dimiserit.

PROPOSITIO II.

Sola ecclesia a Christo instituta instructa est hac infallibili auctoritate

15. Ecclesiae nomine hic non intelligimus coetum omnium fidelium qui legitimis pastoribus subsunt sub Romano Pontifice, eamdemque cum ipsis fidem profitentur,

eademque sacramenta participant, sed potius episcopatum universum seu, ut ita dicam, in tota sua plenitudine, nempe corpus pastorum una cum Romano Pontifice.

16. Jam vero episcopatus in apostolis, qui primi episcopi fuerunt, eorumque capite ac principe Petro, divinam revelationem eamdemque completam immediate a Christo et Spiritu Sancto accepit; Christus praetera apostolos misit per universum mundum ad divinam revelationem patefaciendam hominibus, ipsisque propriam adsistentiam promisit usque ad mundi finem. Aperta sunt Christi verba apud Matth. cap. ult.: *Euntes docete omnes gentes .... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum* (docentibus et baptizantibus) *omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*; et apud Joan. XIV, 16, 17: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.... apud vos manebit et in vobis erit.* Act. XVI, 13, prosequitur Christus: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; ac rursum, ibid. XX, 21: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.*

17. Quae quidem afferimus ut monumenta tantum historica, utpote relata ab auctoribus qui ea referunt quae ipsimet immediate a Christo ipso acceperunt, et omni fide digni sunt, non autem ut testes divinitus inspiratos eos hic sumimus. Uno verbo, adstruimus *factum* institutae ac fundatae a Christo societatis, quae depositaria ab ipso instituta est doctrinae suae, cuique ipse commisit magisterium omnium gentium per instructionem viva voce faciendam. Non enim dixit Christus apostolis: *Euntes scribite*, sed *Euntes docete*, neque ad tempus tantum, sed semper, quousque scilicet erunt vel gentes convertendae, vel gentes conversae in doctrina semel accepta conservandae. Hoc propterea magisterium juge ac perpetuum esse debet. Apostoli vel discipuli nonnisi data oc-

casione commentaria sua ediderunt. Quin et hoc sedulo animadvertendum est, evangelistas minime in animo habuisse codicem integrum et absolutum Christi doctrinae et legum posteritati tradere, sed commentarium historicum gestorum et dictorum Christi, et quidem neque integrum neque perfectum, adeo ut non possint haberi evangelia ut codex et norma saltem perfecta et adaequata credendorum et agendorum. Ex quo sequitur, Christum non aliam voluisse gentibus sive convertendis sive conversis relinquere sive constituere regulam proximam eorum quae et credere et agere deberent, nisi publicum, juge ac vivens ecclesiae magisterium.

18. Hinc patet adeo connexum esse systema auctoritatis cum ipsa revelatione, ut necesse sit vel rejicere omnem revelationem quae praeter veritates ordinis naturalis imponat hominibus obligationem credendi veritates *supernaturales* et servandi praecepta *positiva*, vel si illa admittitur, debeat pariter admitti medium certum et tutum, et quidem jugiter perseverans quo veritates illas et praecepta cognoscere homines absque erroris periculo possint. Hoc autem non est nisi auctoritas a Deo ipso instituta, nempe ecclesia, a qua edocemur tum libros, quos sacram scripturam dicimus et veraces et divina inspiratione conscriptos fuisse, tum hunc et non alium esse sensum illarum sententiarum seu verborum quae in iisdem continentur.

19. Tria itaque habemus ex verbis Christi: 1. immediatam missionem apostolorum ad gentes edocendas in rebus fidei et morum; 2. jugem adsistentiam Christi erga apostolos eorumque legitimos successores, usque ad consummationem saeculi in ejusmodi ministerio; 3. aeternum denique Spiritus Sancti cum iisdem magisterium.

20. Ergo apostoli sive ecclesia non solum habuit revelationem a Christo, sed habuit praeterea ab eodem

Christo et a Spiritu Sancto germanum sensum ejusdem revelationis.

21. Ergo non soli apostoli, sed insuper legitimi eorumdem successores, seu ecclesia omnium saeculorum utitur seu *gaudet* iisdem praerogativis, infallibilitatis nempe et auctoritatis ad proponendam, custodiendam ac interpretandam hanc eamdem revelationem, utpote persona moralis jugiter vivens usque ad consummationem saeculi (1), necnon ad conservandam revelationem in sua primitiva puritate et integritate, cui soli promissa est vita aeterna, et ad regimen in sua unitate conservandum.

22. Ergo apostoli, seu ecclesia *jam constituta*, *ac supradictis Christi promissionibus munita*, antequam ullus liber sacrae scripturae esset litteris consignatus, adeoque jam ex solemnibus Christi promissionibus inerrantiae dono perpetuo exornata (neque enim verba Christi vera sunt quia scripta, sed quia ex ore Christi processerunt), ecclesia, inquam *praescribit* (2) ipsi scripturae quam ipsamet approbavit ut divinam, verumque et legitimum oraculorum divinorum sensum assecuta est, tum viva voce ipsius Christi, tum ope divinae peculiaris adsistentiae;

(1) Hic sedulo observandum est in corpore morali quocumque individua singula a morte praeripi, sed ita ut ipsa societas eadem semper subsistens sit ac viva, ac proinde deficiente aliquo individuo ipsa nihil omnino de propria subsistentia amittat. Quare cum ecclesia in apostolorum collegio ad instar societatis ac moralis cujusdam corporis fuerit a Christo instituta, ac statim in immensum prope excreverit, institutione aliorum episcoporum per apostolos facta, ex quibus successiones per totum terrarum orbem coeperunt ad nos usque descendere, corpus episcopale sub suo capite Petro, ac postea Romanis Pontificibus, nunquam interrupta serie episcoporum sibi invicem succedentium, semper idem viguit et est. Vivente adhuc s. Joanne apostolo, per universam terram fundatae erant singulares ecclesiae. Cum defecit ultimus episcoporum qui cum apostolis conversatus erat, longe plures alii fuerunt, et ita deinceps; desiit enim successio episcoporum apostolicorum in s. Polycarpo, s. Joannis evangelistae discipulo, qui martyrium subiit sub Marco Aurelio Antonino. His fere temporibus floruerunt Hegesippus et Irenaeus, qui mortui sunt imperante Commodo. Vid. Euseb. *Hist. eccles.* lib. II, c. 23, edit. Valesii.

(2) Hanc vocem usurpamus eo sensu, quo eam perpetuo adhibuit Tertullianus in lib. *de praescriptionibus haereticorum*, nec non s. Irenaeus, aliique patres.

ipsa divinas traditiones immediate a Deo accepit, ut eas fideliter custodiret usque ad mundi exitum.

23. Toties proinde objecta petitio principii, seu circulus vitiosus quo juxta protestantes ecclesia probatur per scripturam, scriptura vero per ecclesiam, non solum locum nullum habet, vel habere potest, sed prorsus ab ipsa natura rei et factis ipsis excluditur. Ecclesia enim admisit et approbavit ipsas scripturas (nempe Novi Foederis), quas vidit continere ea ipsa, quae a Christo acceperat, et conformes doctrinae quam profitebatur. Nam scripturae non sunt nisi instrumenta, in quae relata novit acta propriae possessionis velut in publicas tabulas, quae totam vim habent ad probandum ex proprio ipsius testimonio, et in quibus scripto consignatae sunt praerogativae eidem a Christo collatae, et quibus ipsa jam utebatur, antequam haec scriberentur, probarentur atque evulgarentur. Nam ecclesia jam habebat suam missionem divinam, suum regimen, suam infallibilitatem et auctoritatem; Petrus jam erat instructus jure primatus, ac ceteri apostoli ipsi subjiciebantur, antequam evangelia edita essent (1); cum autem eadem semper ac viva sit Ecclesia, sibi ipsi sufficit. Quod vero spectat ad scripturas Veteris Testamenti, de ipsarum divinitate certior facta est ab ipso Christo.

(1) Fere omnes eruditi viri consentiunt, intra VIII ac X annum post Christi in caelum adscensionem s. Matthaeum evangelio conscribendo manum admovisse in gratiam hebraeorum qui christianae religioni nomen dederant, teste Eusebio, *Hist. eccles.* lib. III, c. 24. Alii, inter quos Millius, in *Prol. ad N. T.*, differunt ad subsequentes annos publicationem evangelii Matthaei, innixi potissimum auctoritati Irenaei qui lib. III, *cont. haereses*. C. I, scriptum tradit a Matthaeo evangelium, *cum Petrus et Paulus evangelizarent Romae, et fundarent ecclesiam*; quod contigit multo post. Sed quidquid de hoc sit, quod aliis discutiendum relinquimus, certum est ex Act. Apost. I, 15, II, 14 et seqq. IX, 33, s. Petrum jam exercere coepisse traditam sibi divinitus auctoritatem. (Matth. XVI, 18, coll. Joan. XXI, 15 et seqq.) Evangelium autem editum non fuit a Joanne nisi post Petri mortem Ephesum e Patmos insula, Domitiano extincto, reduce, teste s. Irenaeo, lib. III, *cont. haeres.* cit. loc., ideoque anno 97 vel 98 aerae vulgaris, ut omnes consentiunt, si unum excipias Semlerum, *Praef. in Paraphrasin evangelii Joannis*, et in notis passim, aliosve ejusdem scholae rationalisticae alumnos.

24. Cum igitur ecclesia divina illa oracula quae recensuimus, semper intellexerit de infallibilitatis et auctoritatis praerogativis sibi concessis, jure suo utitur, cum auctoritative christianae religionis dogmata tanquam totidem fidei articulos vel infidelibus quos in sinum suum admisit vel admittit, credendos proposuit ac proponit, vel a novitatibus turbulentorum quorumdam filiorum suorum quovis tempore strenue intemeratos servavit ac servat, pervicacesque in proprio sensu persistentes anathemate perculit ac percellit, qui ipsam a propria possessione earumdem veritatum exturbare moliti sunt vel moliuntur.

25. Idque magis evidens fit ex illis sententiis quibus Christus praecepit, ut haberentur tanquam ethnici et publicani quicunque ecclesiam audire detrectassent (Matth. XVIII, 17), cum declarat semetipsum audire qui ecclesiam audiret, semetipsum spernere qui ecclesiam spreverit (Luc. X, 16), ideoque rebelles ab auctoritate ecclesiae velut Deo ipsi rebelles condemnat. Quare cohaerenter ad hanc doctrinam quam semper hoc sensu ecclesia intellexit, apostolus Paulus Himaeneum et Alexandrum Satanae tradidit ut discerent non blasphemare, cum ex iis essent qui circa fidem navem fregerant (I Tim. I, 20). Hinc saepe adhortatur Timotheum et Titum ad vitandos omnes novatores et haereticos homines, utpote subversos et proprio judicio condemnatos (Ad Tit. III, 10, et II Tim. III, 5; IV, 15); ita se gessit Petrus in epistola praesertim secunda (II Petr. I et seqq.), s. Judas in epistola sua catholica, quae tota est de hoc argumento, s. Joannes, tum in epistolis suis, tum in Apocalypsi (II Joan. 7 et seqq. Apoc. II, 6, 14, 15). Cohaerenter ad hanc ipsam doctrinam et auctoritatem ecclesia jam a primo saeculo simonianos, ebionitas, cerinthianos, gnosticos aliosque novatores ac protestantes e sinu suo rejecit (1),

(1) Cfr. Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, c. 18, tum c. 26, 27 et alibi passim,

sequentibus saeculis ad nos usque, ut infra dicemus, quam ab instituta hac agendi ratione recessit.

5. Sola igitur ecclesia a Christo instituta, seu corpus orum, integrum tamen, id est cum capite suo, seu iano Pontifice, de quo infra, instructa est infallibili oritate ad revelationem proponendam, interpretandam violate conservandam.

DIFFICULTATES

7. Obj. Haec propositio nititur falso supposito; supit enim *a*) Christum instituisse ecclesiam in modum is corporis seu societatis per mutuam membrorum renem et dependentiam saltem ab uno capite; *b*) divi- missionem praerogativam esse exclusivam istius cors; *c*) illam oeconomiam fore perpetuam atque ordiam; *d*) revelationem proponi a tali corpore; atqui falsa sunt; nam 1. apostoli seorsim singuli et indelenter ab invicem revelationem proposuerunt, totique fundarunt independentes societates (1); 2. apostoon solum episcopatum repraesentabant, cum accepe- a Christo missionem, sed praeterea universitatem fi-

rtim lib. IV, c. 22, ubi meis menandrianis, valentiniatc. haec verba refert Hegesippi: *οὑτων ψευδόχριστοι, ψευδοπρο-, ψευδαπόστολοι οἵτινες ἐμέτην ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ*, id est, iis orti sunt pseudo Christi, et o-prophetae, pseudo-apostoli, alterinam invehentes doctrinam sus Deum et adversus Christum *unitatem* ecclesiae disciderunt; *mediate ante scripserat* »: *Βαιανοὶ.... ἕκαστος ἰδίως, καὶ ἑτέδίαν δόξαν παρεισήγαγεν. Βαί... qui seorsim singuli* proopiniones *induxerunt*. Ex quibus discimus spiritum privatum originem omnium haeresum fuisse. Quod et de encratitis notat idem Eusebius, lib. IV, c. 29 scribens quod legem et prophetas admitterent, sed *Ἰδίως ἑρμηνεύοντες τῶν ἱερῶν τὰ νοήματα γραφῶν*, id est, *Proprio quodam sensu scripturas exponunt*.

(1) Ita Gibbon, *Hist. de lapsu rom. Imp.* cap. 15, n. V; juxta ipsum apostoli sibi non vindicarunt auctoritatem legislativam, episcopi et presbyteri ejusdem erant auctoritatis, ecclesiae ab initio erant totidem respublicae quae postea formam *foederativam* inierunt, unde origo unitatis, etc.

delium, qui proinde hoc ipso propriam missionem a Christo ipso immediate habuerunt; 3. temporaria fuit illa oeconomia, siquidem verba quibus Christus futuram suam adsistentiam promisit, respiciunt ea tempora tantum, in quibus apostolis erant necessaria signa et prodigia ad disseminandum evangelium, ut patet ex Marci cap. ult.; 4. demum revelatio semper a privatis hominibus et individuis proponitur, imo quandoque et a laicis; ergo.

28. Resp. *N. A.* Ad prob. *C. maj. et N. min.* sub hac generali observatione, quod apostoli seu ecclesia quae immediate a Christo tum revelationem accepit tum ipsam missionem, aliter semper intellexit et in praxim redegit Christi verba et institutionem, ut in probationibus ostendimus.

29. Sed jam singillatim resp. ad 1. *D.* Apostoli seorsim singuli tanquam totidem membra ejusdem corporis et cum debita subordinatione ad suum caput, Petrum scilicet, ut inferius ostendemus, revelationem proposuerunt, *C.* alio sensu *N.* Negamus pariter totidem ipsos societates independentes constituisse; cum enim Christus universum gregem suum Petri curae tradiderit (Joan. XXI, 17), hinc apostoli singuli acquiescebant, ut ita loquar, Petro; omnes illae partiales societates seu ecclesiae coalescebant in unam universalem sub regimine Petri, quae proinde jam ab ipsis apostolicis temporibus *Catholica* seu universalis nuncupata fuit (1).

(1) S. Ignatius, Epist. ad Smyrnaeos cap. 8, sic ait: *Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω. ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία*, id est, « Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia », Sic in epist. ecclesiae smyrnensis de martyrio s. Polycarpi legitur; *Καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν, σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος, δοξάζει τὸν θεὸν καὶ πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν κύριον ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας*, id est, « Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus (s. Polycarpus), una cum apostolis atque omnibus sanctis laetus glorificat Deum Patrem, et benedicit Dominum nostrum gubernatorem corporum nostrorum et *catholicae* per

30. Ad 2. *D.* Apostoli sub aliquo respectu interdum universum fidelium coetum repraesentabant, *C.* semper, ac praesertim in officiis proprii ministerii, ideoque et missionis ad evangelicam praedicationem *N.* Alioquin frustra Christus instituisset peculiarem ministrorum ordinem; frustra segregasset Spiritus Sanctus Paulum et Barnabam ad opus ministerii (Act. XIII, 2); frustra apostoli ordinassent episcopos quibus commendarent fidei depositum (I Tim. VI, 20) et frustra Spiritus Sanctus eosdem posuisset ad regendam ecclesiam Dei (Act. XX, 28); frustra denique Christus fidelibus id injunxisset, ut suos audirent ministros, iisdem obedirent (Luc. X, 16) iisque subessent, quae omnia apostoli in omnibus fere epistolis fidelibus commendant (I Thess. V, 12; ad Tit. I; Hebr. XIII, 17, etc.) Et sane si omnes magistri, ubi discipuli? Si omnes pastores, ubi grex?

31. Ad 3. *N.* Nam Christi ecclesia semper indiget ejus praesidio et adsistentia. S. Marcus loc. cit. ne innuit quidem aliquando miracula et signa in ecclesia cessatura. Addatur Christum apostolis eorumque successoribus promisisse *Spiritum veritatis* qui doceret eos semper *omnem veritatem*, quique esset mansurus cum ipsis *in aeternum*; addatur praeterea Christi promissionem apud s. Marc. cap. ult. hactenus in ejus ecclesia adimpleri (1).

32. Ad 4. *D.* Revelatio semper a privatis individuis proponitur ut *privatis* hominibus et nomine proprio, *N.* ut publicis ecclesiae ministris et legatis ac nomine ecclesiae *C.* Nec enim semper vel princeps vel respublica vel senatus in persona propria vel subditis vel exteris gen-

universum orbem *ecclesiae* », (apud Usserium). Et in actis s. Pionii, qui passus est sub Decio, legitur: « Tum Polemo, christianus, inquit, es? Respondit Pionius: sum profecto. Cujus, inquit Polemo, es ecclesiae? Respondit Pionius: Catholicae; nulla enim est alia apud Christum » (Cons. Valesius in notis ad cap. 10, lib. VII, *Hist. eccles.* Eusebii, et acta sanctorum apud Bollandum, mensis Febr. die 1).

(1) Ut patet ex dictis in 1 Parte hujus tract. n. 392 et seqq.

tibus propria exponunt mandata, aut voluntatem patefaciunt, sed per suos plerumque nuncios aut legatos; sic ecclesia per suos ministros gentibus Christi evangelium annunciat, revelationemque divinam proponit.

33. I. Inst. Ergo etiam haereticus posset ecclesiae nomine fidem annunciare, et gentes ipsi credere tenerentur. Atqui hoc est absurdum.

34. Resp. *D. M.* Posset haereticus ecclesiae nomine fidem annunciare mentiendo, *C.* vere et proprie *N.* Quod si infideles bona fide ipsum ecclesiae ministrum putarent, tenerentur quidem credere, sed in hac hypothesi non propter ipsum crederent, sed propter ecclesiam cujus nomine praedicat et cujus nomen usurpat, ac populi illi sic edocti jam pertinerent ad ecclesiam Christi, ut infantes ab haereticis baptizati, et adulti qui bonae fidei sunt, seu ignorantia invincibili laborant. *Ecclesia enim*, ut loquitur s. Augustinus, *etiam per ancillarum sinum liberos parit Christo* (1).

35. II. Inst. Nullum saltem infideles motivum extrinsecum et infallibile habent, quo induci possint ad actum fidei eliciendum, et ad credendum fide divina quae ipsis proponuntur; ergo.

36. Resp. *D. A.* Nisi Deus aliqua ratione suppleret, *Tr.* vel *C.* si Deus suppleat *N.* Jam vero Deus vel per donum miraculorum ecclesiae ministris concessum, vel per internam gratiam suam, vel per utrumque simul cum infidelibus evangelium annuntiatur, ipsos et illustrat et movet et persuadet et trahit adeo ut firmissime ac fide divina propositis fidei articulis assentiantur et credant, non minus ac si ab ecclesia ipsa ea credenda proponerentur.

(1) Hoc est argumentum septem librorum, quos s. Augustinus inscripsit *de baptismo adversus Donatistas*, in quibus ostendit fieri etiam aliquando posse, ut aliquis habeat aliquid catholicum extra ecclesiam catholicam, praesertim lib. 1, cap. 10.

Brevi insuper iidem populi certiores fieri possunt de ecclesiae existentia ejusque praerogativis.

37. III. Inst. Possent tamen hac ratione illudi ac decipi; ergo.

38. Resp. *D. A.* Si mala fide agant, *C.* si animo sincero viam salutis quaerant *N.* Etenim Deus pro sua bonitate non patitur illos illudi ac decipi qui eum timent, et veritatem ex toto corde ac sincera mente inquirunt (1).

PROPOSITIO III.

Sola proinde ecclesia est custos et interpres infallibilis divinae revelationis, sive viva voce per traditionem transmissae sive litteris consignatae

39. Haec propositio est veluti corollarium praecedentis; etenim si Christus non privatis hominibus, sed pastorum coetui, seu ecclesiae a se institutae munus religionis propagandae et conservandae demandavit, si eidem specialem ad id munus rite obeundum ac perpetuam adsistentiam promisit, si veritatis spiritum dedit in aeternum cum ipsa mansurum, si apostoli revelationis depositum delectis ad id successoribus custodiendum tradiderunt, ut patet ex illis apostoli verbis quibus sic Timotheum a se constitutum ecclesiae ephesinae episcopum hortatur: *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis* (II Tim. I, 14); *Tu as-*

(1) « *Nam si sapientia et veritas*, (praeclare inquit S. August. *de moribus Ecclesiae*, lib. 1, c. 17, n. 31, 32,) non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quaeratur, ut dignum est, subtrahere se se atque abscondere a suis dilectoribus non potest... Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur.... O utinam possetis intelligere quae dicta sunt. Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imagines corporum, totosque vos magna alacritatate, sincero amore, firmissima fide *sanctissimo ecclesiae catholicae gremio* conderetis ».

secutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem.... tu vero permane in iis quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris; quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere (II Tim. II, 2); ac rursum: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (I Tim. VI, 20 et 21). Eadem inculcat Tito episcopo cretensi alii suo discipulo. Ex his plane consequitur, solam hanc ecclesiam custodem et interpretem infallibilem atque perpetuam esse divinae sibi traditae revelationis, non autem privatos homines quibus semper obedientia injungitur, in rebus praesertim fidei ac morum, nisi velint ab ecclesia ipsa extorres fieri, et haberi in censu ethnicorum et publicanorum ac haereticorum.

40. Revelatio autem partim scriptis consignata fuit, partim viva voce transmissa, juxta illud apostoli: *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (II Thess. II, 15). Hinc s. Joannes in evangelio cap. ult. declarat se multa omisisse ex iis quae Christus fecit, et in secunda ac tertia epistola profitetur se plura adhuc scribenda habere, sed velle magis *os ad os loqui* (II Joan. 12, et III Joan. 14). Volens propterea apostolus Paulus quosdam contentiosos compescere, eos provocat ad contrariam ecclesiae *consuetudinem* dicens: *nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.*

41. Sola idcirco ecclesia a Christo instituta est utriusque scripturae videlicet et traditionis depositaria, custos et infallibilis interpres ab ipsa sua institutione, ac talis erit usque ad consummationem saeculi, quia ipsa semper suam retinet possessionem ac praescriptionem, et semper habet in semetipsa legitimos titulos juris sui.

42. Quapropter sequitur 1. illos omnes et solos libros scripturae canonicos et divinos esse ab omnibus admittendos, quos ecclesia Christi ut tales recognoscit et admittit. Istorum autem censum exhibet concilium Tridentinum, sess. IV.

43. 2. Omnes et solas traditiones ab omnibus Christi fidelibus divinas habendas esse, quas eadem Christi ecclesia ut tales admittit ac veneratur.

44. 3. Jure suo ecclesiam uti, cum non omnes promiscue scripturae versiones approbat et permittit, sed illas tantum quas ipsa authenticas et fideles recognoscit; et cum insuper versiones in linguas vernaculas nonnisi sub praescriptis a se conditionibus vulgari ac legi permittit (I Cor. XI, 16) (1).

45. 4. Haereticos nullum jus in scripturam ac traditionem habere, ac multo minus ad earum interpretationem, utpote refractarios et extra ecclesiam constitutos, ut infra ostendemus.

46. 5. Privatos fideles fructum quidem percipere posse ex scripturis, cum omnia ad ipsorum bonum ac utilitatem in ecclesia ordinata sint, vel eas juxta ecclesiae regulas exponere et interpretari, sed ea sub conditione, ut ipsorum interpretationes et expositiones intra *privatae*

(1) Ecclesiam itaque non absolute sacrarum scripturarum lectionem in lingua vernacula vetare filiis suis, ut calumniantur haeretici, et post ipsos Jansenistae, patet ex regula III *Indicis librorum prohibitorum*; sed cum depositaria et custos fidelis sit sacrorum eloqiorum, in primis vetat versiones quas ipsa non recognovit, cum in versione, ut notum est, possit sensus corrumpi facili negotio, quemadmodum corruptus est in tot versionibus haereticorum, quarum catalogum exhibet Lelong in sua *Bibliotheca sacra*, duobus vol. fol. Parisiis 1723. Sed praeterea, ea ratione qua infantibus, qui lacte opus habent, ad nutritionem solidus cibus subtrahitur, ne eis noceat, vult ecclesia ut adnotationibus atque illustrationibus difficiliora loca explanentur. Praeclare Comes de Maistre: « La douce colombe, avalant d'abord et triturant à demi le grain qu'elle distribue ensuite à sa couvée, est l'image naturelle de l'Eglise expliquant aux fidèles cette parole écrite, qu'elle a mise à leur portée; lue sans notes et sans explications, l'Ecriture-sainte est un poison ». Soirées de s. Pétersbourg, soirée XI, tom. II, pag. 344, édit. d'Anvers. Sed de hoc argumento ex professo in tract. *De locis theologicis*.

opinionis cancellos concludantur; et ecclesiae judicio subjiciantur, cum ipsius tantum sit authenticam et auctoritativam interpretationem dare.

DIFFICULTATES

47. I. Obj. 1. Scriptura est patrimonium commune; eam Deus in haereditatem legavit filiis suis; Evangelistae fidelium precibus morem gerentes evangelium scripserunt (1); 2. Apostoli epistolas suas ad varias fidelium societates miserunt; 3. Scripturae lectionem omnibus commendarunt; 4. Apostolus Paulus omnibus Thessalonicensis ecclesiae fidelibus injunxit: *Tenete traditiones*, etc.; ergo non coetus pastorum, sed fidelium coetus est custos divinae revelationis, ac proinde legitimus ejus interpres.

48. Resp. I. generatim *D. A.* Sub directione ecclesiae, quae a Christo ipso revelationem accepit et a Spiritu Sancto una cum ipsius intelligentia ac legitimo sensu, *C.* independenter ab ecclesiae auctoritate et directione *N.* Etenim certum est quod Christus *aperuit illis* (apostolis) *sensum*, *ut intelligerent scripturas* (Luc. XXIV, 45), utique Veteris Testamenti; quoad scripturas vero Novi Foederis certum pariter est ex dictis, ecclesiam iis praescripsisse, easque ut genuinas ac divinas approbasse. Sic apostolorum princeps approbavit epistolas omnes s. Pauli, et simul corripuit praeposteras quorumdam privatorum interpretationes (II Petri III, 15).

49. Resp. II. Singillatim, ad 1. *D.* Quatenus ad commune bonum et utilitatem a Deo data est sub ecclesiae directione, *C.* quatenus ad omnes et singulos jus pertinet auctoritative eam custodiendi et interpretandi *N.* Nam et sacramenta commune patrimonium ac haereditatem constituunt, nec tamen propterea fideles jus habent ea ad-

(1) Ita passim scriptores Historiae Ecclesiasticae testantur.

ministrandi. Ceterum quinam legislator codicem suum dimittit uniuscujusque custodiae atque interpretationi ? Si res ita se haberet, actum prorsus esset de tota ipsa legislatione.

50. Ad 2. *D.* Una cum pastoribus suis eorumque subordinatione ac dependentia, *C.* ad solos fideles exclusive *N.* Apostoli scilicet epistolas suas scribebant vel ad universam ecclesiam vel ad ecclesias particulares, quae constituebantur ex pastoribus et fidelibus, istis autem perpetuo subjectionem et dependentiam a propriis pastoribus commendabant; quod si ad particularia individua scribebant, ea minime subducebant generali institutioni, qua tenebantur obedire iis, *quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei* (Act. XX, 28), et quibus dicebatur: *Obedite praepositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Hebr. XIII, 17).

51. Ad 3. *D.* Ut supra, sub directione ecclesiae, *C.* independenter ab ipsa *N.*

52. Ad 4. *D.* Id est ecclesiae prout supra explicatum est, *C.* fidelibus seorsim sumptis *N.* Addo apostolos proprii pastoralis ministerii officio functos esse, cum ista scriberent ad fideles communiendos a seductoribus, ac propterea ex illorum agendi ratione magis confirmari necessitatem dependentiae a legitima auctoritate, ne in errorem quis inducatur vel ex propria infirmitate vel ex aliorum malitia.

53. Inst. Scriptura non est nisi voluntatis Dei declaratio; atqui omnium filiorum est interpretatio voluntatis patris; ergo.

54. Resp. *D. min.* Juxta regulas, quas pater ipse praescripserit, ac prout exigit ipsa rei natura, *C.* pro uniuscujusque arbitrio ac voluntate *N.* Alioquin, si lis oriretur inter filios circa patris dispositionem, nullus unquam finis disceptationis haberetur. Quare apostolus Petrus omni-

bus inculcat: *Hoc primum scientes, quod omnis prophetia scripturae* propria interpretatione non fit; *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Epist. I, 20, 21).

55. II. Obj. Si ecclesia esset revera depositaria, custos atque interpres infallibilis revelationis, nulla unquam excitata controversia fuisset circa numerum librorum canonicorum eorumque authenticitatem, nulla quaestio mota fuisset circa traditiones; atqui magna olim, ac primis ipsis ecclesiae saeculis, dissensio fuit circa hos articulos inter diversas ecclesias, nec magis Patres inter se hac in parte concordes fuerunt (1); ergo.

56. Resp. *D. M.* Si ecclesiae infallibilitas esset per modum revelationis aut inspirationis, *C.* si per modum adsistentiae ne erret in propriis judiciis *N.* Porro apostoli acceptam a Christo revelationem consignarunt vel singularibus individuis, episcopis scilicet, vel particularibus ecclesiis quas instituerunt, et ad quas identidem etiam scripserunt; nec totam insuper, atque, ut ita dicam, in solido revelationem singulis ad instar unius doctrinae corporis tradiderunt, sed prout occasio ferebat, exceptis articulis explicite necessario ab omnibus credendis, eam proponebant, prout colligitur ex I. Cor. III, 1, 2, et alibi passim. Hinc non potuit statim constare singulis episcopis vel ecclesiis particularibus, ex quibus ecclesia universalis coalescit, de iis, quae apostoli sive viva voce, sive scriptis singularibus vel episcopis vel ecclesiis commiserunt. Inde ortae quandoque vel excitatae controversiae sive circa numerum librorum canonicorum, sive circa veritatem aliquarum traditionum, sive demum circa legitimum sensum quorumdam scripturae locorum,

(1) Cons. Franc. Marchini *Tractatus de divinitate et cananicitate sacrorum bibliorum*, Taurini 1777, in-4.

donec collatis suffragiis ecclesia universa divina ope suffulta de eis determinaverit seu judicium tulerit (1).

57. Inst. Ergo ecclesiae fides non semper uniformis fuit.

58. Resp. Si sermo sit de aliqua difformitate positiva, quatenus alii contraria vel diversa crederent, *N*. Si de difformitate negativa, *subd*. quoad ecclesias aliquas vel particularia individua circa puncta nondum definita, *Tr*. vel *C*.; quoad ecclesiam universalem *N*. Voco autem difformitatem negativam illam diversam sentiendi rationem, quae oriebatur vel adhuc oritur circa quaestiones nondum eliquatas vel definitas, quae potius provenit ex carentia cognitionis quam ex positiva aliqua scientia; omnes tamen ita affecti erant, prout semper sunt, ut implicite crederent ea omnia, quae tanquam divinitus revelata teneret vel tenet ecclesia, explicite credituri, si ea expresse ecclesia definivisset vel definiret.

PROPOSITIO IV.

Ecclesia Christi est una, visibilis atque perpetua

59. Hic nobis in animo non est agere de notis verae ecclesiae, de quibus ex professo in tractatu de *Locis*

(1) Ex his patet, celeberrimum Vincentii Lirinensis effatum, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est* esse tenendum; quod ipse fuse evolvit n. 3, 4, 5, adversus haereticos in suo *Commonitorio*, et quo nonnulli ex recentioribus scriptoribus abusi sunt ad statuendam sensio quam auctoritatem universalem generis humani ut fidei christianae basim, non esse intelligendum nisi in sensu, ut dicunt, *positivo* qualenus nempe, *quod semper*, etc. non possit non esse verum, aut non ex traditione apostolica descendere; non autem in sensu *negativo*, ita ut verum aut certum non sit censendum quidquid semper, ubique et ab omnibus creditum saltem explicite minime fuerit; alioquin actum esset de authenticitate et canonicitate omnium librorum, quos deuterocanonicos dicimus; quod prorsus absurdum est, atque a Vincentii Lirinensis mente omnino alienum, qui profecto non ignorabat agitatas adhuc sua aetate esse, vel paulo ante fuisse controversias circa sacrorum librorum canonicitatem; et aliunde constat successu temporum sexcenta fuisse ab ecclesia definita, quae prius, nondum ortis haeresibus, quae solemnes ejusmodi definitiones provocarunt, nonnisi *implicite* credebantur.

theologicis sermo instituetur, sed solum eas intrinsecas et essentiales proprietates persequi, quae ad rem praesentem faciunt, juxta methodum quam nobis praefiximus ad impugnandos heterodoxos.

60. Ut igitur ad propositum veniamus, ecclesia est societas ab ipso Christo instituta ad profitendam religionem, cujus ipse auctor est et invisibile caput. Cum vero religionem Christus ad commune hominum bonum et utilitatem instituerit, hinc sequitur quod ecclesia vel societas a Christo instituta necessario debeat esse *una*, *visibilis* atque *perpetua*.

61. Una quidem, prout una est religio, una fides, quam Christus homines docuit, quamque ipse voluit homines profiteri. Religio autem et fides, sicut et veritas, una est ac indivisibilis in sui notione, nec ullam patitur cum falsitate et errore vel commixtionem vel transactionem, cum altera alteram excludat, veritas enim, ut acute observat s. Augustinus, est quod vere est (1), falsitas autem quod non vere est; quicumque propterea recedunt a fide quam Christus tradidit ecclesiae suae, seu societati quam ipse instituit, hoc ipso recedunt a veritate et ab unitate; ergo ecclesia Christi est essentialiter una, sicut essentialiter una est fides et una veritas.

62. Et sane Christus vocat ecclesiam suam *unum* ovile (Joan. X, 16), vocat regnum *suum* (2), ecclesiam *suam* (Matth. XVI, 18), etc. Et apostolus *Unus Dominus*, *una fides*, *unum baptisma* (Ephes. IV, 5); et in symbolo apostolico jubemur credere *ecclesiam catholicam* (3).

(1) Tract. XXXVIII, in Joan. n. 10, p. 559, edit. Maur.

(2) Matth. XVI, 28, et alibi ecclesia passim a Christo *regnum Dei* vocatur, *regnum coelorum*, etc.

(3) Ubi obiter notandum est, plerosque protestantes, qui adhuc retinent symbolum apostolicum, prorsus sustulisse vocem *catholicam* e symbolo, ne, quoties illud recitant, toties propriae sectae condemnationem reperiant. Attamen neque hac ratione illam effugiunt, siquidem, cum profiteantur se credere *ecclesiam*, et quidem unicam et singularem, quid aliud venire potest sub hac denominatione nisi ecclesia catholica? Numquid ridiculum non est putare, apostolos vel au-

3. Omnis insuper societas, quae ex hominibus coale-
, debet necessario esse visibilis atque externa; talis
m est ecclesia quam Christus instituit. Ergo ecclesia
sti non solum una, sed et visibilis est. Quare non
m internam fidem, sed et externam fidei professio-
. Christus ab hominibus exposcit: *Qui confitebitur coram hominibus*, inquit, *confitebor et ego eum ım Patre meo; qui erubuerit me et sermones meos ım hominibus, erubescam et ego eum coram Pa-neo, qui in coelis est* (Matth. X, 32.). Et Apostoad Romanos: *Corde creditur ad justitiam, ore m confessio fit ad salutem* (cap. X, 10). Symbo-:aeterea externa ipsis dedit, nempe sacramenta, ex-ım sacerdotium et externos ministros; praecepit ut es obedirent praepositis sibi pastoribus, et vicissim

antiquissimos hujus symboli, altem ab aetate apostolica prove-t doctrinam apostolicam conti-oluisse ut objectum vel articulum roponere: Credo ecclesiam *lu-ıam*, vel *reformatam*, vel *pro-tem*, etc.? Alii nonnulli aliter ı originis suae obtegere conati dum vocem *catholicam* aequi-erterunt per vocabula germani-*gemeine christliche*; Borussiae ı apud protestantes sui regni sa-aeest, in *Agenda*, seu *Rituali* tantico, ejus jussu ex ecclesiae ıae *Ordinibus* et antiquis ritualitholicis conflato, et protestantigia auctoritate nuper imposito, Symboli apostolici: « Credo... ım ecclesiam catholicam, *sic ulit*: Ich glaube... eine heilige, ıeine christliche Kirche (Vid. le für die evangelische Kirche in ömiglich-Preussischen Landen, esonderen Bestimmungen und ıen fur die Provinz Westphalen ie Rhein-Provinz, *pag.* 23, *in erlin* 1834, *id est* Agenda pro elica ecclesia regni borussici, eculiaribus dispositionibus et additionibus pro provinciis Westphaliae et Rheni) »; sectae itaque suae sententiam clarius pronunciat, quam si vocem *catholicam* omnino de medio sustulisset. Dixi *auctores antiquissimos*; licet enim quidam recentiores intemperantes critici subdubitare videantur, apostolos per se hanc fidei regulam, quam symbolum apostolicum dicimus, minime confecisse, attamen extra dubium est ipsum antiquissimum esse, cujus jam meminit Tertullianus, in lib. *De Virginibus velandis*, c. 1, ubi illud vocat *regulam fidei*, tum in lib. *De Praesc.* c. 13, et *Adv. Praxeam*, c. 2, atque s. Irenaeus, lib. 1. *Contra haereses*, c. 2; imo doctus Petavius censet ad hanc fidei formulam, passim jam receptam in omnibus ecclesiis apostolica aetate, s. Paulum respexisse in Epist. I. ad Cor. VIII, 5, quaeque cathecumenis ac tironibus, ante baptismum proponi, atque ab iis exigi solebat (*Theol. dogm.* tom. II, lib. III, de Trin. c. 1, §. 5.). Vid. Bergier, *Dict. de théol.* art. *Symbole*, nec non Nat. Alex. *Diss.* XI *in saec. ecclesiae* I.

injunxit pastoribus, ut pascerent gregem sibi commissum; voluit ut omnes sub comminatione aeternorum suppliciorum ad ecclesiam accederent, e contrario autem inobedientes et pervicaces in proprio sensu ab eadem expellerentur, aliaque ejusmodi; quae quidem omnia societatem profecto visibilem et externam supponunt. Ut ergo ecclesia Christi necessario est una, ita necessario visibilis est atque externa.

64. Ex iisdem principiis veluti sua sponte sequitur Christi ecclesiam perpetuam esse debere, seu perpetuo duraturam. Etenim Christus pro omnibus omnino hominibus, ac proinde pro hominibus omnium locorum et saeculorum, religionem suam instituit, ac fidem credendam proposuit; voluit ut quovis tempore infideles, quibus annuntiaretur evangelium, ad ecclesiam accederent, eidemque aggregarentur, et quovis tempore ab eadem expellerentur contumaces ac rebelles; hinc semper subsistere debet ecclesia seu ista societas, quam semel Christus instituit in omnium bonum ac utilitatem (1).

(1) Atque hinc refellitur illorum sententia neotericorum, qui ausi sunt affirmare, Christum non potuisse religionem, ut vocant, *positivam* instituere, eo quod haec contraria sit hominis indoli, quae ad libertatem adeo prona est. Id tamen plane ridiculum est; nam eo quod nonnulli rebelles se submittere detrectant legitimae auctoritati a Deo constitutae, debebit ne Deus eorum perversae agendi et sentiendi rationi se se accommodare? Cum tamen apud prophetam scriptum sit: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Posset et his dicere Christus Dominus: *Numquid et vos vultis abire?* Praeterea hic obiter monebo, nullum majus inesse pondus alii rationi, quam ad hanc impossibilitatem saltem indirecte ostendendam, adducit neotericus auctor Georg. Hermes, nuper theologiae professor in universitate Bonnae, in sua *Introductione ad christiano-catholicam theologiam*, germanice exarata, p. 1, *Philosoph. introduct.* edit. 2 Munsteri 1831; ubi postquam in quaest. III, p. 504 et seqq., multa obscure atque implexe disseruit de possibilitate revelationis supernaturalis, tandem accedens ad eas generales conditiones, a quibus revelatio tanquam realis est habenda, p. 523 hoc generale statuit criterium: « Ibi, nec alibi, realitas supernaturalis divinae revelationis vel cujuscunque miraculi admitti debet, ubi per hujus negationem ratio theoretica necessarium principium rejicere, vel practica indubium officium omittere cogeretur, quia in utroque casu ratio vadem se praestat pro ipsius realitate et veritate ». Quod principium seu criterium a nullo vere catholico admitti potest; inde enim sequeretur humanam rationem, sive theoreticam

5. Cum vero per hominum infirmitatem vel malitiam mprobitatem fieri posset, ut veritates ab ipso proae vel toto vel saltem aliqua ex parte laederentur, ıt dissolveretur societas ipsa, quam Christus instituehinc perpetuam ac nunquam desituram protectionem fensionem suam eidem promisit, qua fieret, ut inrata semper persisteret adversus quaecumque homiac inferorum molimina; sic apud Matthaeum: *Porinferi*, inquit, *non praevalebunt adversus eam* tth. XVI, 18), et iterum: *Ecce ego vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sae-* (Matth. XXVIII, 20); et alibi passim. Quae ora-, aliaque ejusmodi, semper ecclesia intellexit de intibili sui subsistentia et infallibilitate sibi a Christo ıta usque ad mundi finem. Ac proinde ecclesia Chriut necessario ac natura sua una est ac visibilis, sic ssario perpetua ex Christi institutione est atque intibilis.

6. Ex dictis sequitur, 1. cum Christus unitati tanpraerogativas omnes tribuerit tum auctoritatis, tum libilitatis, etc., has nullo modo privatis hominibus ɔetere.

racticam, esse judicem eorum, Deus revelare ac moliri posset. si agatur de iis, quae mentis e captum excedunt, cujusmodi sunt, quae in revelatione superli continentur? Motiva, ut voextrinseca credibilitatis ad haec enda sufficere debent; alioquin ationem revelationi ac mysteed revelationem ac mysteria raubjiceremus, quod est princiocinianorum et incredulorum. e hoc auctore ejusque systemaıi adlaborando viginti tres anıe insudavit, suo loco dicemus. ı id graviter dolemus, quod sianum ejusmodi eversivum syin Westphalia passim atque in ıla in ipsis scholis catholicis et recipitur et propugnatur.

Haec quidem ita se habebant, cum primum hoc opus in lucem prodiit (anno 1835); postequam vero emissum est decretum a sancta sede adversus Hermesii libros, nemo catholicus Hermesianam doctrinam in publicis scholis tuebitur, illive favebit. Nec stetit per illum Archiepiscopum coloniensem, qui tanquam murum aeneum sese illis perniciosis novitatibus opposuit, quominus vel ab ipsis animis eraderetur. At eheu! constantiae et fortitudinis suae reus molestam subit captivitatem, quae utinam neque novatoribus addat audaciam, neque in sanae doctrinae vergat detrimentum!

67. Sequitur 2. has multo minus vindicare sibi posse sectas quaslibet utut numerosissimas, quae identidem ab unitate recesserunt, quaeque spectari debent veluti totidem rami a magna arbore excisi, ac veluti rivuli a fonte separati et disjuncti, veluti membra a vivo corpore exsecta, ut sancti ecclesiae patres passim loquuntur, ac praesertim s. Cyprianus (1); ideoque sectas carere vita omnique vitae principio (2).

68. Sequitur 3. somniare prorsus eos omnes, qui, ad suam cohonestandam defectionem ab ecclesia, obtrudunt nescio quam invisibilem successionem et communionem cum justis (id est, haereticis) omnium praeteritorum temporum, ex quibus tantum vera ecclesia a Christo instituta juxta ipsos coalescit (3).

(1) *Ecclesia una est*, inquit sanctus martyr, (lib. *de unitate ecclesiae*), « quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non potest. A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini », etc. Edit. Maur. p. 195.

(2) Ut rami dissecti, radii a sole divisi, etc. Hinc concludebat idem s. Doctor: *Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem*, ibid. pag. 196. Impossibile est ut sectarii oculos in sanctorum ecclesiae patrum scripta conjiciant, et illico non inveniant propriae sectae damnationem. At ipsi sapientissimos patres contemnunt, nec illorum ullam rationem habent. Ipsi viderint, si coram Deo tanta animorum audacia eos excuset; etiam veteres haeretici, ut refert s. Irenaeus, lib. III, *Contra haereses*, sub finem cap. 2, parvipendebant apostolos. Quid inde?

(3) D. Neander, berolinensis professor, in sua *Histoire de l'Eglise*, statuit quod ad bene cognoscendam historiam et eventus religionis christianae seu ecclesiae, necesse sit rei basim ponere in idea ecclesiae invisibilis. Haec assertio multos nacta est impugnatores etiam inter reformatos. In *Ephemeride evangelica*, quae Berolini imprimitur, pastor Grundwich, in articulo cui titulus *Neander*, scribit ejusmodi ecclesiam invisibilem inventam seu excogitatam esse a protestantibus ad respondendum catholicis, qui eis exprobrabant non amplius eos in ecclesia esse, extra quam non datur salus, quibus non aliter reponere potuerunt quam dando hoc nomen soli electorum ecclesiae, quae nulla distinguitur nota sensibili. Verum, subdit ipse, si homines nullum habent adjumentum ad secernendam veram ecclesiam, haec non erit nisi *ens imaginarium*, atque impossibile pariter erit asserere cum certitudine, utrum s. Stephanus an vero ipsius carnifices pertinuerint ad

). Sequitur 4. commentitiam esse distinctionem arti-
rum fundamentalium et non fundamentalium, quam
ius invexit Jurieu (1), quamque protestantes passim
abus ulnis velut salutarem protestantismi tabulam,
ab imminenti naufragio eriperentur, sunt comple-
ut adstruerent ad ecclesiam Christi seu unitatem eos
es pertinere, qui articulis fundamentalibus assenti-
, licet alios omnes articulos fidei rejicerent. Caeteris
ı omissis, futilitas hujusmodi distinctionis ex eo de-
enditur, quod ea detrahat unitati ac integritati fidei,
n Christus omnibus indiscriminatim credendam per
esiam a se institutam proposuit, dicens: *Docete om-
gentes servare omnia quaecumque mandavi vobis...
non crediderit, condemnabitur* (Matth. cap. ult.;
c. XVI, 16).

o. Sequitur 5. unitatem debere perpetuari, qualem
stus ipse eam instituit; jam vero Christus eam non
m constare voluit ex unitate seu identitate fidei et ex
mdem sacramentorum participatione, verum etiam
nitate regiminis, ac speciatim ex unitate capitis vi-
is, quod universae a se institutae praefecit ecclesiae,
um dico, cui Christus apud Matthaeum ait: *Et ego*

iam, eo quod nos eos non aliun-
cernere possimus quam ex ver-
t actionibus, id est, ex rebus
ilibus.

Cum animadverteret premi a
licis reformatos protestantes ab
stabili argumento, desumpto ex
tuitate ecclesiae ac nunquam
upta episcoporum successione,
ntitate doctrinae, etc. hinc ex-
avit distinctionem articulorum
mentalium et non fundamen-
n, quam late prosequitur in
, *Le vrai système de l'Eglise*,
1686, tum in opere *Unité de*
ise, 1688, quibus ostendere ni-
ecclesiam constare ex omnibus
atibus christianis, quae retinue-
fundamenta fidei. Fanatici om-
nium saeculorum proscripti ab eccle-
sia catholica in dypticos istius Jurieu
referuntur. Ipse Bayle, tanta ministri
protestantis amplitudine percitus, cum
acriter impugnavit in suo tractatu
*Janua coelorum reserata cunctis re-
ligionibus a celebri admodum viro
domino Petro Jurieu*, cui epigra-
phum praemisit: *Porta patens esto
nulli claudatur honesto*. Verum ejus-
modi systema, quod ab initio per
hominum ora late abiit, jam plane
jacet etiam apud ipsos protestantes.
Nulla quippe est secta, quae non fa-
teatur per illam doctrinam subrui fi-
dei fundamenta. Quis judex erit? Vid.
Feller, *Dict. hist.* art. *Jurieu*; Bayle,
pariter in art. *Jurieu*, ubi eum vel-
licat acerbissime.

dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (Matth. XVI; 18). Ac rursum apud Joannem eidem Petro: *Pasce agnos meos... pasce oves meas*, (Joan. XXI, 15 et seqq.). Quae verba de vera superioritate potestatis, honoris ac jurisdictionis Petro ejusque successoribus collata semper intellexit ecclesia. Sequitur proinde schismaticos esse eos omnes, qui ab hoc capite ac unitatis centro se subduxerunt vel identidem subducunt, ideoque ad Christi ecclesiam nulla ratione pertinere, qui Petro ejusque legitimis successoribus non adhaerent; nec quidquam episcopos in ecclesia posse, quod gubernandi potestatem attinet, nisi cum Petro et sub Petro, cum sub hac conditione tantum ipsi utantur privilegiis seu praerogativis, quibus Christus episcopatum instruxit. Unitati siquidem, ut ostendimus, Christus has praerogativas concessit (1).

DIFFICULTATES

71. I. Obj. Eodem modo quo ecclesia est una, est etiam sancta; ergo sicut pravitas morum in individuis non officit verae ecclesiae sanctitati, sic diversitas aut pravitas fidei ac doctrinae non detrahit ejus unitati.

72. Resp. *Conc. antec. et neg. conseq.* Ad paritatem *D.* Si pravitas morum sit personalis, *C.* si doctrinalis vel *N.* vel *subdist.* privata, *C.* publica, quae nempe proveniat ex ecclesiae magisterio *N.* Sanctitas enim ecclesiae perinde ac unitas non minus ex fidei regula quam ex regula morum pendet; quapropter, si semel ecclesia pravam mo-

(1) Ut patet ex facto, et ex confessione ipsorum incredulorum Gibbon et Hume, quos inferius adducemus.

rum doctrinam traderet filiis suis, aperte patet quod sancta jam esse cessaret, eadem ratione ac si prava dogmata doceret. Quod si nonnulli privati sive circa fidem sive circa mores peccarent, utique istorum error aut ignorantia aut malitia nullo modo officerent sive unitati sive sanctitati ecclesiae, sed illis solis nocerent.

73. I. Inst. Unitas plerumque ex diversis, imo contrariis quandoque elementis seu principiis constare potest; ergo et unitas fidei.

74. Resp. *D. A.* Unitas physica, *C.* doctrinalis, fidei ac religionis *N.* (1).

75. II. Inst. Religio vetus sive naturalis sive judaica una et integra subsistebat, licet ipsarum cultores diversa, imo et contraria sentirent circa multos articulos, prout de ethnicis notum est, et quod spectat ad judaeos, circa resurrectionem futuram ex. gr. ut sadducaei, vel circa humanam libertatem vel aliquot traditiones, ut pharisaei (2), vel circa libros canonicos, ut samaritani; ergo.

76. Resp. *Neg. antec.* Quoad omnes partes: ac primo quidem ad ethnicos quod spectat, errores, quibus pedetentim se commacularunt, errores erant privatorum, qui a regula seu fidei norma desciverant. Cum vero in dies cresceret ejusmodi defectio, ne religio ex integro periret, Deus in Abrahamo ejusque posteris peculiarem sibi populum delegit velut publicum verae religionis ac fidei depositarium, apud quem vera ecclesia seu religio subsistere incolumis pergeret; ad hanc autem, spiritu saltem, pertinebant quicumque inter gentes veram religionem ex antiqua et domestica traditione profitebantur. Quod si aliqui etiam inter judaeos a veritatis tramite de-

(1) Unitas enim fidei ac religionis est ipsa incommutabilis veritas, simplex, indivisibilis, aeterna, quae ab ipso Deo dimanat, qui est veritas ipsa subsistens, ut passim loquitur s. Augustinus, et ut patet per se.

(2) Cons. Flav. Josephus, *Antiquit.* lib. XVIII, cap. I et seq. ubi exponit dogmata peculiaria uniuscujusque sectae pharisaeorum nempe, essenio-rum, sadducaeorum et galilaeorum, quia Juda galilaeo nomen sortiti sunt.

flexissent, et adversati essent expressis fidei articulis, quos vera ecclesia profitebatur, hoc ipso culpabiles erant, et spiritu saltem, cessabant pertinere ad hanc veram ecclesiam, quandoque etiam ab ipso corpore expellebantur (1). Hinc vera religio seu ecclesia una semper ac indivisa immutabiliter exstitit, non obstantibus illis particularibus defectionibus, quae nocebant quidem his culpabiliter errantibus, non autem fidei et ecclesiae integritati et unitati, cui Deus semper prospexit, quamque incolumem ad Christum usque peculiari sua providentia servavit.

77. II. Obj. cum Bretschneider (2): 1. Uniformitas in modo concipiendi veritates fidei est prorsus impossibilis. 2. Variationes continuae hac in parte ex historia bibliorum ac dogmatum particularium patefiunt. 3. Unitas, quam catholica ecclesia jactat, reducitur demum ad unitatem verborum, quae pariter existit in fidei professionibus ecclesiae evangelicae, 4. sed verbum est sonus vacuus, neque constituit unitatem intellectualem; 5. sic nulla inter nos omnes est discrepantia in pronunciandis his verbis: *Credo in Deum*, attamen quae non existit diversitas in nostris conceptionibus respectu divinitatis? 6. Vis et auctoritas cum ultimo non inducant nisi unitatem in verbis, satius est non aliam admittere auctoritatem quam rationis utpote quae sola consistere possit cum spiritu religionis ac dignitatis hominis rationalis. 7. Homo quilibet per se veritatis compos fieri debet.

(1) Flav. Josephus ibid. refert sadducaeos coactos fuisse, cum aliquam publicam administrationem suscipe-rent, se conformare pharisaeorum placitis, alioquin ipsos populus minime tulisset; sic enim de sadducaeis scribit (§ 4): Ὁπότε γὰρ ἐπ' ἀρχὰς παρέλθοιεν, ἀκουσίως μὲν καὶ κατ' ἀνάγκας, προσχωροῦσι δὲ οὖν οἷς ὁ Φαρισαῖος λέγει, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν, id est, « Nam, si quando magistratus gerunt, invisi et necessitate coacti, pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus ».

(2) In op. cui titulus: *Henricus et Antonius, seu de proselytis ecclesiae romanae et ecclesiae evangelicae*; cui respondit D. Handschuh, in ejusdem operis continuatione, Viennae 1828.

8. Privare omnes homines ejusmodi jure naturali, eo quod nonnulli individui homines eo abusi sint, aeque absurdum esset ac interdicere omnibus navigationem, quia nonnulli naufragium fecerunt; ergo.

78. Resp. ad 1. *D.* Quoad gradum comprehensionis, *C.* quoad substantiam *N.* Scilicet omnes uniformes esse possunt in credendis iisdem fidei articulis, quoad eorum substantiam, at pro majori vel minori ingenii acumine, vel cognitionis seu scientiae apparatu, majori vel minori perfectione eos percipiunt, prout pariter contingit in scientiis naturalibus; sic rusticus et astronomus eamdem quoad substantiam solis et lunae ideam habent, sed astronomus eas callet leges, quas ignorat rusticus, et ita de ceteris.

79. Ad 2. *D.* Apud dissidentes ab ecclesiae auctoritate, *C.* apud dociles ecclesiae filios in definitis fidei articulis *N.* Ecclesia catholica semper idem credidit, tenuit ac docuit in iis quae ad fidem pertinent; quod si dissidentes haeretici ac protestantes et rationalistae in perpetua fluctuatione fuerunt et sunt, sive circa scripturae sensum, sive circa particularia dogmata, illud defectui auctoritatis, quam rejecerunt, adscribere debent, non autem auctoritati ipsi, quae sola efficit, ne incerti *circumferamur omni vento doctrinae* (Ephes. IV, 14).

80. Ad 3. *Neg.* Verba enim non sunt nudus vocis sonus ac sensu vacuus, sed signa sunt mentis conceptuum, ut omnes logici docent. Neque Christus, neque apostoli, cum fidem tradiderunt et commendarunt ecclesiae, ut eam usque ad consummationem saeculi intemeratam custodiret et conservaret, unquam in animo habuerunt tradere ac commendare nudum vocis sonum, seu voces sensu vacuas, sed veritates per verba significatas; sic neque martyres sanguinem fuderunt ad conservandam materialem verborum formulam, cui nulla determinata idea responderet. Certe Apostolos Timotheo commendabat, ut

formam haberet *sanorum verborum*, *quae a me*, inquit, *audisti in fide* (II Tim. I, 13). Ludicra porro fuisset haec commendatio, si verba non sunt nisi voces sensu vacuae. Cum legislatores leges condunt, vel cum principes decreta promulgant, in adversarii hypothesi non darent nisi voces absque sensu; cum medici pharmacum aegrotis praescribunt, non praescriberent nisi materialem verborum formulam; patres familias filiis suis petentibus panem, dare possent lapidem, pro ovo scorpionem, pro pisce serpentem. Adeo desipiunt, qui unitatem ecclesiae impugnant! Negamus praeterea ecclesiam, quam dicunt evangelicam, prout in ecclesia catholica viget, praeseferre unitatem fidei, tum quia ex protestantismi notione, ut inferius exponemus, nullam habet auctoritatem, qua praescribere possit ejusmodi fidei unitatem, tum quia ecclesiae singulae diversas fidei professiones habent, quas pro diversitate temporum seu scientiarum progressu, ut ipsi dicunt, variant, tum quia *passim* jam nullum librum symbolicum admittunt (1).

(1) Ecclesiae evangelicae rhenanae, in decreto unionis § 3, decreverunt assumere sacras scripturas velut unicum doctrinae theologicae fundamentum, e medio tollendo quodcunque symbolum; quod decretum confirmatum fuit, post novam deliberationem mensis Novemb. 1825, a tertia Synodo generali ecclesiae protestantis Rheno-Bavaricae. Ecclesia genevensis pariter omnia symbola et confessiones fidei rejecit, in suo statuto sub die 3 Maii 1817. Quae quidem documenta aliaque inferius dabimus. Interea patet viam impiorum revera esse tenebrosam; nesciunt ubi corruant; adeo nempe apud protestantes res fidei ac religionis perturbatae sunt et confusae, ut nesciant ubi pedem figant, neque ubi consistant. Dixi autem *passim* protestantes nullum jam librum symbolicum admittere; quoniam non ignoro aliquot protestantium communiones ejusmodi libros adhuc retinere; imo in Borussia rex ipse novam a se editam liturgiam tanquam librum symbolicum, fidei per cultus uniformitatem manifestatam, promulgavit, omnesque ministros jurejurando ad eam suscipiendam adstrinxit. Sed notum pariter est hisce ministris, qui in libros symbolicos jurant, persuasum esse se hujusmodi jurejurando ad credenda vel docenda ea omnia, quae in libris istis continentur, adstringi minime posse. In hac porro ingenuis ac religiosis viris non satis honesta agendi ratione ipsi ministri aliquam excusationem obtendere posse videntur; siquidem qui apud ipsos Pontifex seu Papa est, non censuris, sed aut expulsione aut armata militum vi eos ad obediendum adigit; quod sub finem anni superioris (1834) evenit. Cum enim detrectassent non pau-

. Ad 4. *Neg.* Omnes enim homines hactenus verba signa mentis notionum habuerunt, atque ut me- necessarium ad suas ideas sibi invicem communi- ıs. Sublatis verbis, actum est de societate et de qua- scientia; libri omnes physicae, matheseos, etc. : abjiciendi, si nullum praeseferrent sensum, nec iae unitatem; ad confusionem babelicam revertere- Addo quaedam verba habere sensum determinatum icum, cujusmodi e. g. sunt nomina, quibus geome- tuntur, cum designant circulum, triangulum, etc., lam autem quamdam pati latitudinem significatio- ita tamen ut habeant ideam fundamentalem certam ıam omnes conveniunt (1).

erani ministri ac lutheranae ; excipere novam *Agendam*, rgiam denuo praescriptam sub Febr. anni 1834, a qua vehe- abhorrebant aeque ac ab con- ıe cum *ecclesia unita* quam , de qua aliquid inferius di- , plures parochi de loco, in ant, dejecti sunt, ac a lege poenis mulctati, novique vi- ipsorum locum suffecti. Quum in quadam Silesiae urbe *Oels* ıata turba templum occlusisset obsignasset, ne novis vicariis ıd illud pateret, quingenti mi- banusque Praetor missi sunt, pulum coercerent et compel- Quo in tumultu ipso nativi- ominicae pervigilio ad viginti homines vulneribus mulctati in singulas autem domos de- et quindecim etiam, milites ıti, qui ad frugem et obedien- ertinaciores suavioribus argu- adducerent. Atque hoc speci- t certissimum libertatis con- ıe, quam protestantes tanto- epraedicant. Praeclaram con- e libertatem! Operae pretium omani Pontificis jugum abji- l eam nanciscendam! Habe- men, quod vehementius mi- ; nam in iisdem hisce locis, de quibus est sermo, lutherani *dissentientes* ab ecclesia unita seu evangelica modo vocantur *protestantes*, modo *secta*; Vid. *Ephem. univ. Augustanae* n. 26, 27, cum additamentis extraord. ad diem 1 Januarii 1835, n. 21, p. 102, 103.

(1) Apposite Cl. Manzoni: « Questa diversità, o per dir meglio latitudine di significato, si trova più specialmente nei nomi consecrati ad esprimere disposizioni morali. Ma non pertanto è certo, che gli uomini s'intendono fra di loro, se non con precisione, almeno approssimativamente, quando adoperano o ascoltano alcuna di queste parole; non potrebbero anzi disputare, se non andassero intesi più o meno, se non dessero in parte lo stesso significato alle parole in questione; il che ha fatto dire a taluno, che non vi ha dispute di meri vocaboli, ma che tutte sono d'idee. Questo si spiega, a mio credere, osservando, che in ognuno di questi nomi d'idee morali (quod de ceteris dici debet) vi è una idea predominante e generalissima che tutti vi riconoscono, benchè nell'applicazione essa subisca modificazioni indefinite secondo la diversità delle menti; idea che ricompare sempre, e che regge per così dire il comples-

82. Ad 5. *D.* Non omnes eumdem conceptum habent divinitatis quoad cognitionis gradum, ut supra dictum est, *C.* quoad substantiam *N.* Omnes enim qui haec verba proferunt: *Credo in Deum*, non aliud intelligunt sub generali Dei notione nisi summum esse ac perfectissimum, rerum omnium principium, etc., etsi non apprehendant in specie summas ejus perfectiones, ceteraque omnia, quae in Deo considerari possunt, quaeque nonnisi docti et quidem pro diverso scientiae gradu assequuntur.

83. Ad. 6. *Neg.* ex dictis. Ad id vero quod adversarius subdit, satius esse non aliam admittere auctoritatem quam rationis, respondeo, rationem minime praeseferre aliquam auctoritatem in iis quae ad fidem pertinent, sed eam in his non esse nisi pedissequam; positis scilicet fidei dogmatibus, potest ratio plura invenire ad ea illustranda, magisque comprobanda, atque ad ostendendum nullam in iis inveniri repugnantiam, etc.; has enim partes, et quidem solas, potest habere ratio in rebus fidei. Ex quo patet falsum esse quod ipse assumit, homines scilicet rationales veluti machinas excipere debere veritates fidei, iisque assentiri; talis enim semper fuit spiritus religionis, ut nullo modo detrahat dignitati hominis rationalis, cum ipsa ratio nos doceat summa veneratione excipienda esse quae tanquam divinitus revelata proponuntur ab auctoritate infallibili, nomine ipsius Dei, cujusmodi Christi ecclesiam esse ostendimus.

84. Ad 7. *D.* Veritatis ordinis naturalis, *Tr.* vel *C.* ordinis supernaturalis ac revelatae *N.*

85. Ad 8. *Neg.* suppositum, homines nempe jure naturali gaudere inquirendi in veritates a Deo revelatas; in his enim homines non habent *jus*, sed *debitum* captivandi proprium intellectum in obsequium fidei (II Cor. cap. 17, p. 355, edit. rom.).

so d' idee alle quali si vuole applicare quel nome » (*Morale catol.*

X, 5; Philipp. II, 17); et quicumque sibi temere arrogarunt ejusmodi commentitium jus, se committendo liberae navigationi, ut similitudine adversarii utar, *naufragaverunt circa fidem* (I Tim. I, 19), ut Hymeneus et Alexander, prout testatur Apostolus. Certe Christus, cum misit apostolos ad praedicandum, de ejusmodi jure ne verbum quidem fecit, sed simpliciter eis dixit: *Praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur.* Videat adversarius, ne in horum censu sit.

86. III. Obj. cum Benjamino Constant (1). Christus nullam determinatam ac peculiarem ecclesiam instituit, nullum externum ac proprie dictum sacerdotium, sed ministros tantum, et quidem ab invicem liberos, misit ad annuntiandam populis doctrinam suam, quae cor potius quam mentem afficit. Religio enim essentialiter non consistit nisi in cordis affectu, ac mere, ut ajunt, *sentimentali*, quae proinde in se immutabilis est, licet diversas formas accidentales capere possit, hinc diversitas formarum non officit unitati religionis. Oportet praeterea distinguere, subdit Bretschneider (2), inter ecclesiam et christianitatem; Christus Dominus fundavit quidem christianismum, minime vero formam catholicam vel graecam vel evangelisticam christianismi. Sane, concludit Felix Bodin (3), ecclesiae ab apostolis fundatae non erant nisi totidem societates inter se distinctae atque independentes, ad quarum regimen aliquis ex praestantioribus fidelibus eligebatur; omnes autem ejusmodi aristocraticae respublicae sacrae communicabant cum romano praeside ad instar statuum foederatorum Americae, qui uni subsunt generali praesidi; ergo.

(1) *De la religion considérée dans sa source, ses formes et ses développements*, loc. cit.

(2) Opere citato.

(3) *Resumé de l'Histoire de France augmenté d'un coup-d'oeil sur l'histoire de la civilisation*, Paris 1825.

*

87. Resp. *Neg. antec.* quoad omnes partes. Sero nimis Constant, Bretschneider, Bodin ista systema irreligiosa ac totius revelationis eversiva excogitarunt. Incognita fuerunt apostolis ac toti antiquitati, quae ejusmodi figmenta ne somniavit quidem. S. Petrus veram exercuit jurisdictionem in ecclesiam universam (1), prout pariter exercuerunt ipsius successores. Ecclesia est in possessione sua, a qua ipsam neque haeretici, neque rationalistae seu increduli exturbare possunt. Omnia praeterea monumenta ecclesiastica explodunt ejusmodi deliramenta. S. Clemens romanus veram exercuit auctoritatem in Corinthiorum ecclesiam (2), exercuit Victor adversus quartodecimanos, Stephanus adversus rebaptizantes (3). S. Irenaeus et asiatici episcopi hanc superioritatem ecclesiae romanae, seu Romani Pontificis, et agnoverunt et testati sunt (4), ut

(1) Act. IX. Petrus utpote totius ecclesiae caput perhibetur pertransiens *universos*, id est, non modo visitans omnes ecclesias tunc temporis fundatas, sed insuper in Ep. II, cap. III, 15, 16, approbans et commendans scripta apostoli Pauli. In concilio hierosolimitano (Act. XV, 7) omnium primus sententiam dixit circa exortam quaestionem. Ibid. I, 15, ipse proposuit fratribus simul congregatis, ut alter sufficeretur in locum Judae praevaricatoris, quae quidem omnia totidem actus sunt jurisdictionis, quam jure primatus sui Petrus apostolus exercuit.

(2) Ubi sedulo animadvertendum est, Corinthios ad sedandas seditiones ortas in propria ecclesia ad s. Clementem Romanum Pontificem confugisse, ut probabilius videtur ex communiori criticorum sententia, cum adhuc in vivis esset s. Joannes apostolus, qui tunc regebat omnes Asiae ecclesias a se fundatas. Atque inde eruitur Romanorum Pontificum supremam auctoritatem in ecclesiam universam agnitam jam fuisse viventibus apostolis, atque ab ipsis Romanis Pontificibus jam tunc in praxim deductam.

(3) Nota est ipsius responsio seu decretum datum adversus s. Cyprianum ejusque synodum africanam: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam* (Ep. s. Cypr. LXXIV, ad Pompejum).

(4) Vid. praeclarum s. Irenaei testimonium (*Contra haereses*, lib. III, cap. 3) « *Ecclesiae romanae, ab ipso* maximae *vocatae* et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatae, *etc*.... Ad hanc ecclesiam, *ait*, propter *potentiorem* principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est, quae est ab apostolis traditio ». Qui deinde refert de Clemente, tertio ab apostolis episcopo: « Et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis.... Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit

l dicam de subsequentibus Pontificibus. Appellationes, ; undique interponebantur ad romanam sedem, id n invictissime ostendunt (1). Verba, quibus Chri- ecclesiam suam instituit, in sensum adversariorum omodo possunt detorqueri.

3. Ad id porro, quod subdit Bretschneider de distin- ie inter ecclesiam et christianitatem seu christianis- 1, dico ejusmodi distinctionem vanam prorsus esse. l est enim christianismus nisi societas eorum, qui tentur doctrinam Christi, et quidem in sua integri-, prout Christus apostolis suis illam tradidit praedi- am omnibus gentibus? Haec autem societas alia non nec esse potest, nisi ecclesia. Accedit quod nullibi ur, Christum fundasse *christianismum*, vel id ipsum isse; saepissime vero legitur, eum fundasse eccle- suam: *Aedificabo*, ait, *ecclesiam meam... Qui esiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et icanus;* adeo ut tota controversia, quae a tribus ilis viguit inter protestantes et catholicos, in hoc a fuerit: *Quaenam scilicet sit vera ecclesia Christi;* uam vero: *Utrum Christus fundaverit, vel institue- eclesiam*, prout nunc temporis a Benjamino Constant, cis ac rationalistis fit, qui, cum omnem fidem ami-

st Romae ecclesia potentissimas s Corinthiis, ad pacem eos con- is et reparans fidem eorum ». ibus patet s. Irenaeum supe- tem ecclesiae romanae seu Ro- Pontificis in universam eccle- pertissime agnovisse. Atque hic observo, maurinum editorum lectionem secutum esse atque e *potiorem* pro *potentiorem*, que solido fundamento; etenim nititur nisi auctoritate codicis ontensis, qui tamen mendo-, cum habeat *pontiorem*, et itate Salmasii protestantis, con- mium atiquorum codicum fi- dem, qui habent *potentiorem*, quod quidem etiam innuit codex claramontensis per illud *pontiorem*, vocabulum imperfectum, quo indicatur librarium per abbrevationem, ut fieri solet, scripsisse *pontiorem* pro *potentiorem*.

(1) Harum appellationum exempla plura suppeditat in suis epistolis s. Cyprianus; notae sunt appellationes ad Romanam Sedem s. Athanasii, Pauli, etc. nec non s. Joan. Chrysostomi; imo ipsius s. Dionysii alexandrini, cum accusatus esset sabellianismi, ad s. Dionysium Romanum Pontificem.

serint, confugiunt ad cordis affectum, quem vocant *sentimentalem*, ad charitatem, etc., cum Christus dixerit: *Qui non crediderit, condemnabitur.*

89. Quod spectat ad *formas*, quas dicunt accidentales, *catholicam*, *graecam*, *evangelicam* (lutherano-calvinianam), respondeo Christum reipsa non fundasse nisi unam ecclesiam, quae totam doctrinam suam et solam profiteatur sub legitimis pastoribus, eorumque capite ac principe a se constituto: *Super hanc petram*, inquit, *aedificabo ecclesiam meam.* Quae quidem ecclesia catholica nuncupata fuit ab ipsis temporibus apostolicis, ut supra adnotatum est, eo quod integrum complectatur christianismum, quovis tempore et quovis loco; et haec est proprietas intrinseca et essentialis verae ecclesiae Christi, non vero forma eidem superveniens et accidentalis, ut ipsi autumant. Ceterae vero societates omnes, quae partialem christianismum profitentur, debuerunt sibi adsciscere aliquam denominationem et formam determinatam induere, utpote locales et temporaneae; de his autem formis quid sentiendum sit, in sequenti propositione dicemus.

90. Inst. 1. Si unitati Christus praerogativas auctoritatis, infallibilitatis ac perpetuitatis concessit; ergo s. Petrus ejusque successores, utpote pars *totius*, nulla speciali praerogativa gaudent; 2. addatur promissiones Christi posse conditionatas esse, 3. prout insinuant ejus verba: *Filius hominis veniens; putas inveniet fidem in terra* (Luc. XVIII, 8)? et verba Apostoli, qui, loquens de tempore quod antichristi adventum praecedet, scribit: *Nisi venerit dissessio primum*, etc. (II Thess. II, 3); 4. hinc s. Hieronymus non dubitavit de aetate sua affirmare, quod *Nicaenae fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus est* (1); ergo.

(1) In *Dial. adv. Luciferianos*, n. 19, edit. Vallarsii.

91. Resp. ad 1. *D.* Si Petrus ejusque successores spectarentur ut personae privatae, *C.* si ut caput ecclesiae, universalis pastor ac unitatis centrum *N.* Nam ut apposite observat s. Ambrosius: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia* (1), vel ut loquitur s. Cyprianus: *Ecclesia est in episcopo* (2); ac proinde omnes praerogativae unitatis seu ecclesiae eminentiori quadam ratione in Petro resident, quia in Petro ecclesia, et ecclesia in Petro est; nec fieri unquam potest, ut, cum Petrus seu Romanus Pontifex proprio ministerio fungitur, ecclesia per ipsum et in ipso non agat, non definiat, etc. Est enim caput, et quidem vivum et operans. Talis est autem ratio, quare videamus Christum Petro seorsim ea omnia contulisse, quae toti postea contulit collegio apostolico seu ecclesiae, quae insuper debet regi, moveri, dirigi a capite, nec quidpiam potest independenter ab ipso.

92. Ad 2. *Neg.* Ecclesia enim eas semper ut absolutas intellexit et habuit. Addo ejusmodi exceptionem aditum aperire omni perduellioni; quilibet enim haereticus et contumax posset hoc mōdo eludere quamcunque ecclesiae definitionem.

93. Ad 3. *D.* Et haec verba intelligenda sunt de defectione partiali particularium membrorum *Tr.* de defectione totali ipsius ecclesiae *N.* Transmisimus primum membrum antecedentis, eo quod non desint interpretes, qui alio sensu exponant objecta testimonia.

94. Ad 4. *D.* Et hyperbolica s. Hieronymi verba sunt intelligenda de apparente quadam ac momentanea *multorum* defectione, *C.* de *vero* ac generali *ecclesiae* defectu *N.* Citata enim verba protulit s. Doctor ex occasione subscriptionis a patribus ariminensibus factae voci ὁμοιούσιον, dum nempe vim vocis non intelligerent, decepti fraudibus arianorum ac vi adacti; verum simul ac detecta est

(1) *Enarr.* in Psalm. XL, n. 30. (2) *De unit. Ecclesiae*, loc. cit.

fraus, plerique illam illico retractaverunt. Deerat concilio Romanus Pontifex vel ejus legatus, majorque episcoporum ecclesiae catholicae pars eidem concilio non interfuit (1); addo nonnisi per vim sibi a Constantii imperatoris satellitibus illatam episcopos illos subscripsisse. Sane nemo ingemit et miratur se esse et haberi, qualem se esse scit et vult; ergo, cum episcopi ariminenses ingemuerint et mirati sint juxta Hieronymum, traduci se veluti arianos, manifestum est eos tales non fuisse neque in confessione externa; alias nec ingemuissent, nec mirati fuissent.

(1) Ursacii potissimum ac Valentis episcoporum arianorum artibus factum est, ut deciperentur patres ariminenses, qui ad id adducti fuerunt, ut subscriberent formulae sirmiensi, quae vel catholica est, vel saltem sensum catholicum patitur. Filius enim catholico sensu dici potest similis Patri, at in sensu similitudinis substantialis promanantis a participatione ejusdem naturae divinae. Sed crimini datum est patribus istis, quod neglexerint formulam nicaenam, quae erat tessera omnium catholicorum adversus arianos multiplicesque arianorum surculos, qui unanimiter eam rejiciebant. Ceterum a Constantii satellitibus plures easque gravissimas vexationes patres ariminenses passi sunt, adeo ut nullo modo censeri debeat libera eorum subscriptio; facta enim est sub finem synodi, quando jam degeneraverat in conciliabulum. Dixi praeterea majorem defuisse episcoporum ecclesiae catholicae partem, praeter Romani Pontificis legatos; quia, licet nemo ex veteribus transmiserit ad nos certum episcoporum numerum tempore Constantini et Constantii, attamen opera ac diligentia Caroli a s. Paulo, Lucae Holstenii atque Binghami, facta recensione omnium sedium episcopalium ecclesiae catholicae in Imperio romano, compertum est numerum eorum per ea tempora ad 1800 attigisse, quorum *mille* inveniebantur in provinciis graecis Imperii, *octingenti* vero in latinis. Etsi huic supputationi non subscribamus, nam ex aliis monumentis constat longe plures per ea tempora in occidentali praesertim ecclesia episcopos fuisse. In hoc censu praeterea desunt sedes episcopales extra ditionem romanam positae, quae paucae non erant. In concilio vero ariminensi non interfuerunt nisi 400 Episcopi, ex quibus juxta s. Athanasium, lib. *De synodis*, quinquaginta, et juxta Sulpitium Severum, octoginta erant ariani. Cons. *Collectio Conciliorum*, Labbei, tom. II, col. 792 et seqq.

PROPOSITIO V.

Hinc sola ecclesia catholica est vera ecclesia Christi

95. Haec propositio necessario fluit ex praecedenti. Si enim vera ecclesia Christi ea sola est, quam Christus ipse fundavit in unitate fidei ac regiminis, quaeque non interrupta successione ad mundi exitum perdurare debet; cum ecclesia catholica sola sit, quae ab apostolis ad nos usque pervenerit in utraque fidei ac regiminis seu capitis unitate, ut omnia monumenta testantur, evidens est solam ecclesiam catholicam veram esse ecclesiam Christi.

96. Et sane quod attinet ad unitatem fidei, haec patet ex eo, quod omnium saeculorum haeretici impugnaverint illam eamdem fidem, in cujus possessione jam erat ecclesia cum ipsi insurrexerint et protestati fuerint modo adversus unum, modo adversus alterum ipsius fidei articulum, quos tamen ecclesia semper in possessione sua retinuit, rejiciens ut profanos novatores et usurpatores eos, qui aliquo ex ejusmodi articulis eam privare conati sunt; non secus ac eos execrata est, qui spolia aegyptiorum in suam haereditatem novo semper astu inferre aliquando contenderunt, eosque pariter ut profanos novatores rejecit e sinu suo (1). Ipsa proinde semper *praescripsit*

(1) Id evincitur ex ipsis scriptis apostolicis. Etenim s. Petrus excitat primos christianos, ut memores sint, adversus haereticorum novitates, verborum prophetarum et apostolorum (II Pet. II, 3); sic pariter s. Judas adhortatur fideles ut adhaereant fortiter *semel traditae Sanctis fidei*; s. Paulus in I. ad Cor. cap. 15, arguit eos, qui dicebant resurrectionem jam esse factam, seu non dari carnis resurrectionem; s. Joannes invehitur in eos, qui docebant Christum non venisse in carne, qui solvebant Christum, etc. Quod attinet ad patres apostolicos aliosque, qui eos subsecuti sunt, res adeo manifesta est ex ipsorum scriptis, ut in dubium id revocare perinde sit ac lucem meridianam negare. Legantur epistolae s. Ignatii martyris, epistola s. Polycarpi, scripta Justini, Clementis Alexandrini, Irenaei, Origenis, etc. In quavis prope pagina in novatores haec objurgatio occurrit, et eos hoc ipso nomine patres damnaverunt. Quod vero admirationem excitat, potissimum est, quod recentio-

istorum innovationibus sive negativis sive positivis. Quare ecclesia semper tranquilla spectatrix fuit istarum omnium sectarum ortus et interitus, ac toties repetere potuit: *Defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri*, nec non Psalmistae verba: *Vidi impium superexaltatum et elevatum, et transivi; et ecce non erat.*

97. Patet 2. ex consensu ac testimonio haereticorum. Haeretici enim, qui nunquam sibi cohaerentes fuerunt, dum in aliqua doctrinae parte seu articulo ab ecclesia dissentiebant, cum eadem in ceteris omnibus fidei capitibus consentiebant; omnes proinde haeretici, exceptis punctis a quibus aberrabant, fassi semper sunt in reliquis ecclesiam catholicam veram fidem retinuisse; hinc, si percurramus circulum articulorum, quos seorsim singulae haereticorum sectae cum ecclesia catholica profitebantur vel adhuc profitentur, completum habebimus et absolutum doctrinae catholicae corpus seu collectionem omnium dogmatum fidei nostrae; quo fit ut haeretici ipsi, licet inviti, totidem sint luculentissimi testes verae fidei, quam ecclesia catholica semper professa est. Quod vero attinet ad veritates, quas ipsi singillatim impugnarunt, nulla est ratio cur his potius quam illis assentiamur. Si enim simul colligerentur articuli seorsim ab ipsis negati, jam nullus nobis restaret articulus fidei, atque in pluribus perfectae simul haberentur contradictiones.

98. Patet 3. eadem veritas ex perpetua dissensione haereticorum in constituenda vera et certa epocha, et in determinando vero auctore innovationis, quae juxta ipsos in ecclesia catholica aliquando introducta fuit. Centuriatores magdeburgenses sibi contradicunt (1); Hospinianus

res novatores (protestantes) dicant, veteres novatores haereticos, insanos, etc. neque animadvertant se in eumdem censum cadere. Nullum omnino discrimen est inter recentiores et veteres, nisi fortasse in aliqua errorum diversitate ac temporum discrimine, sed principium idem est, quia diversitas temporis et errorum non mutat naturam haereseon.

(1) Cfr. *Centuria* I, lib. II, c. 4, p. 138, tum *Cent.* III, c. 5, p. 145,

accusat s. Gregorium M. tanquam auctorem superstitionis et idololatriae (1); minister Claudius saeculum VII. recenset adhuc inter aureos ecclesiae dies (2); Andreas Rivetus sententiam dicit communem omnibus calvinistis esse, quod Antichristus signum seu vexillum publice erexerit in ecclesia post sexcentos annos a Christo nato (3); alii communiter vel ad quintum vel sextum saeculum restringunt aureos ecclesiae dies (4); dominus d'Aubigné quatuor priora integra saecula ex consensu ministrorum calvinistarum habet pro regula fidei; Gibbon affirmat, quod nemo eruditorum resistere possit ponderi evidentiae historicae, quae testatur per totam periodum quatuor priorum saeculorum praecipua puncta doctrinae papisticae (nempe catholicae) jam admissa fuisse theoretice et practice (5); Newton fatetur *germina papismi sata fuisse ab ipsa aetate apostolica* (6). Ergo ex aperta confessione ipsorum adversariorum eorumque agendi ratione ineluctabile habemus argumentum de perpetua fidei unitate in ecclesia catholica, quin recurrere debeamus ad positiva et singularia testimonia quoad singulos articulos, de quibus agendum erit in hujus operis decursu. Addo qualemcunque haereticorum hypothesim pugnare cum promissis Christi et esse prorsus impossibilem, cum, ut ait Bellarminus, in omni etiam levi mutatione semper ostendi haec quinque possint: auctor, dogma, aetas, defensores et oppugnatores.

99. Quod vero spectat ad unitatem regiminis, seu ad

ed. Basil. anni 1562, et alibi passim, siquidem semper haerent.

(1) Apud anonymum impugnatorem Gibbonii, edit. Pisan.

(2) Ibidem.

(3) *Critici sacri.*

(4) V. Bellarm. lib. IV, *De notis Ecclesiae militantis*, cap. 6.

(5) *Mém.* tom, I, c. I, versionis gallicae.

(6) Bishop Newton, *Dissertations on the prophecies*, in-8, tom. III, c. 10, pag. 148, London; addatur Hume, qui in sua *Historia Henrici* VIII, cap. 29, ad annum 1521, affirmavit: « Que les pouvoirs exercés par l'église romaine sont en grande partie antérieurs à presque tous les établissemens politiques de l'Europe ».

successionem non interruptam pastorum seu episcoporum, a Christo ad nos usque, series Romanorum Pontificum, cum quibus omnium particularium ecclesiarum episcopi communicarunt, est monumentum indubiae fidei atque certissimum perpetuitatis et unitatis regiminis ejusdem ecclesiae.

100. Tertullianus, Cyprianus, Irenaeus, Eusebius caesariensis, Optatus milevitanus, Augustinus exhibent catalogum Romanorum Pontificum sancti Petri successorum usque ad sua tempora, quem subsequentes scriptores subinde extenderunt usque ad aetatem nostram (1).

101. Romanum autem pontificem quovis tempore habitum fuisse veluti caput totius ecclesiae catholicae, principium, radicem, fontem, centrum unitatis regiminis ecclesiastici, omnium saeculorum monumenta pariter testantur.

102. S. Irenaeus: *Ad hanc ecclesiam* (romanam), scribit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, et eos qui sunt undique fideles;* atque exposita serie Romanorum Pontificum a s. Petro usque ad Eleutherium concludit: *Hac serie et successione, tum traditio apostolorum in ecclesia, tum praedicatio ad nos usque pervenit* (2).

103. Tertullianus licet jam montanista vocat Romanum Pontificem *Episcopum episcoporum* (3), quae denominatio vel communis erat in ecclesia ad designandum Romanum Pontificem, vel saltem ab omnibus admissa erat suprema Romani Pontificis auctoritas in universam ecclesiam, ipso adnotante Fleury (4), illa denominatione designata.

(1) In Historiis ecclesiasticis omnibus.

(2) *Contra haereses*, lib. III, cap. 2. et seq.

(3) Lib. *De pudicitia*, cap. 1: « Audio edictum esse propositum, et quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus episcoporum, edicit: ego et moechiae et fornicationis dilicta poenitentia functis dimitto ». Edit. Rigaltii.

(4) Vid. *Hist. eccles.* liv. V, n. 46.

104. Origenes unum idemque esse affirmat petram seu Romanum Pontificem et ecclesiam, scribit enim : *An quasi unam eamdemque rem petram et ecclesiam* (Christus posuit)? *Hoc verum existimo; nec enim adversus petram, super quam Christus ecclesiam aedificat, nec adversus ecclesiam portae inferi praevalebunt* (1).

105. S. Cyprianus vocat ecclesiam Romanam *Ecclesiae catholicae radicem et matricem* (2), et Romanum Pontificem *ecclesiae unius caput et radicem* (3), et alibi rursum vocat Romanam Ecclesiam *Ecclesiam principalem*, *unde* unitas sacerdotalis *exorta est* (4).

106. Concilium propterea Aquilejense, quod anno 381 celebratum fuit, cuique praefuit s. Ambrosius, haec habet, loquens de eadem Romana Sede : *Inde enim et in omnes venerandae communionis jura dimanant* (5). Hinc celebre illud ejusdem s. Ambrosii dictum : *Ubi Petrus ibi ecclesia* (6).

107. S. Hieronymus comparat ecclesiam seu sedem Romanam arcae Noe, extra quam omnes perierunt, et domui, extra quam agnum comedens profanus est; sic enim scribit ad Damasum : *Ego Beatitudini tuae*, *id est*, *Cathedrae Petri*, *communione consocior*, *super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicunque extra*

Paris. 1713, ubi sic scribit : « Les Papes ne prenaient point alors ces titres, et c'est par ironie que Tertullien les leur donne ; mais cette raillerie eût été sans fondement, si le pape n'eût été en effet regardé par tous les catholiques comme le chef de la religion et le pasteur des Evêques mêmes. Il lui donne ensuite les titres de Pape et d'Apostolique que les catholiques lui donnaient ».

(1) Ἢ ὡς ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ τῆς πέτρας, καὶ τῆς ἐκκλεσίας; τοῦτο δοῖμαι ἀληθὲς τυγχάνειν, οὔτε γὰρ τῆς πέτρας, ἐφ' ἧς ὁ χριστὸς οἰκοδομεῖ τὴν ἐκκλησίαν, οὔτε τῆς ἐκκλεσίας πύλαι ᾅδου κατισχύσουσιν. Tom. XII in Matth. n. 11. Cons. praeterea eumdem, Hom. V, *in Exod.* n. 4, ubi ait : « Vide magno illi ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit ecclesiam, quid dicatur a Domino : modicae, inquit, fidei quare dubitasti » ?

(2) Epist. 45, ad Corn.

(3) Epist. 73, ad Jub.

(4) Epist. 55, ad Corn.

(5) *Collect. Concil.* Labbei, epist. 1, ad Gratianum Imperatorem, tom. II, col. 99.

(6) In Psal. XL, n. 30.

hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio (1).

108. S. Optatus Milevitanus: *Cathedra*, inquit, *unica est, quae est prima de dotibus .... Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus .... Damaso Syricius, qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate* (2).

109. S. Augustinus in eodem sensu loquens de successione Romanorum Pontificum ac Petri sede, ut confunderet schismaticos donatistas, scribit: *Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae* (3).

110. S. Petrus Chrysologus: *Quoniam B. Petrus*, inquit, *qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus veritatem* (4).

111. Huic consentiens doctrinae concilium oecumenicum Chalcedonense, actione II, clamavit: *Petrus per Leonem locutus est* (5); et similiter conc. generale VI, actione XVIII, loquens de epistola s. Agathonis: *Charta*, ait, *et atramentum videbatur, sed per Agathonem Petrus loquebatur*; et episcopi orientales, scribentes ad Pontificem Symmachum, sic eum alloquuntur: *Qui quotidie a sacro tuo doctore Petro doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere* (6).

112. Hinc concilium oecumenicum Lateranense IV anno 1213 hanc edidit definitionem: *Sancimus, ut post romanam ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum,*

(1) Epist 15, ad Damas. alias 57, edit. Vallarsii, n. 2, qui praeterea in *Dial. adv. Lucif.* n. 9: « Ecclesiae salus, *inquit*, in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes ».

(2) Lib. II, *Contra Parmen.* edit. Gabr. Albaspinaei, Paris 1651.

(3) In *Psalmo contra partem Donati*, circa finem, tom. IX, opp.

(4) *Bibl. Patrum* De la Bigne, tom. IX.

(5) *Acta Concilii Chalcedonensis*, tom. IV, edit. Labbei.

(6) Apud Labb. tom. IV, col. 1305.

utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, etc. (1). In concilio Lugdunensi oecumenico, anno 1274 celebrato, hanc fidei professionem graeci ediderunt, ut denuo cooptarentur in ecclesiam catholicam: *Romana Ecclesia* summum et plenum primatum et principatum *super universam ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit* (2). Ac demum concilium oecumenicum Florentinum definivit: *Sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* (3).

113. Patet igitur ex his omnibus testimoniis et monumentis, aliisque quamplurimis, quae afferri possent omnium saeculorum, semper Romanum Pontificem s. Petri successorem ab universa ecclesia veluti radicem, fontem, originem, caput et centrum ecclesiasticae unitatis habitum fuisse. Hinc licet multi fuerint episcopi per orbem dispersi, semper tamen unus fuit episcopatus ob istorum intimam adhaesionem ad Romanum Pontificem, et una ecclesia, quae *ad Trinitatis instar*, ut loquitur s. Sym-

(1) Ibid. tom. XI, part. I, c. 153.
(2) Ibid. col. 966.
(3) Ἔτι ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτερητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τῶν χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν, καὶ διοικεῖν, καὶ κυβερνᾶν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι. Ibid. tom. XIII, col. 1167.

machus (1), *cujus una est atque individua potestas, unum per diversos antistites sacerdotium.* Qua pariter similitudine usus est s. Cyprianus (2), tum ad explicandum *Episcopatum unum episcoporum multorum concordi numerositate diffusum*, tum ad exponendam unitatem illius episcopatus, *cujus a singulis in solidum pars tenetur* (3); qui postea concludit: *Et idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit et dicit*: Ego et Pater unum sumus; *ad quam unitatem redigens ecclesiam suam, denuo dicit*: Et erit unus grex, et unus pastor (4); ex quo infert: *Si autem grex unus est, quomodo potest gregi numerari, qui in numero gregis non est?*

114. Jure propterea his praemissis nos concludimus: ecclesia Christi unitate regiminis in Petro ejusque successoribus constituta est; atqui in sola ecclesia catholica invenitur ista perpetua et nunquam interrupta successio Romanorum Pontificum ceterorumque omnium episcoporum, qui cum ipsis communicarunt, assurgendo a Gregorio XVI, qui nunc ecclesiam regit, usque ad Petrum, nempe usque ad apostolos et usque ad Christum; ergo sola ecclesia catholica habet hanc perpetuam regiminis unitatem.

115. Seu quod consequens est, si vera ecclesia Christi necessario atque ex ipsius institutione est una, visibilis atque perpetua, cum sola ecclesia catholica has sibi vindicet proprietates, sola igitur ecclesia catholica est vera ecclesia Christi. Quod erat demonstrandum.

116. Ex his sequitur 1. omnes communiones ab eadem ecclesia separatas totidem esse synagogas Satanae, ut phrasi utar beati Joannis (5), et humanae superbiae monumenta, non autem Christi ecclesias.

(1) Epist. 1, apud Labbeum, tom. IV, col. 1291.
(2) Epist. 52, ad Antonian.
(3) Tract. *de unitate ecclesiae.*
(4) Epist. 76, ad Magnum.
(5) Apoc. III, 9.

17. Sequitur 2. hanc esse potissimum rationem, cur ɛter ecclesiam romanam seu ecclesiam catholicam, e a Christo ad nos usque perseverat, nullae sectae ıe quidem fuerint, obsistente scilicet ineluctabili contiae testimonio, sibi usurpare nomen *ecclesiae caicae*, quam denominationem semper intactam relirunt veteri illi ecclesiae, a qua discesserunt, sed vel ctae seu factionis auctoribus nomen habuerunt ex. gr. *elliani*, *ariani*, *macedoniani* . . . *lutherani*, *calviae*, *jansenistae*, etc. vel ab alio nomine, quod sibi osuerunt, ex. gr. *gnosticorum*, *noetarum* . . . *renatorum*, *apostolicorum*, *evangelicorum*, *protestan*ı. Hae autem sunt illae, quas Bretschneider et Benınus Constant vocant *formas accidentales*; sunt cerrorsus accidentales, stricto sensu acceptae, a spiritu ɛrbiae inductae. Toties proinde se ipsos judicant et mant, quoties, symbolum apostolicum recitantes, itentur se credere *ecclesiam*, dum ipsae separatas fanes constituunt et particulares sectas (1).

18. Sequitur 3. quod si fons et origo unitatis episcoıs et ecclesiae est in Romano Pontifice, graecos schisicos, ruthenos, ecclesiam anglicanam, ultrajectinam cosque episcopos omnes, a Romano Pontifice separa-

Conantur quidem haeretici idɛm alio nomine catholicos noɛe, *papistas* ex.gr. *pontificios*, *nistas*, etc. at frustra; in hoc , sicut et in reliquis omnibus , ut ipsi vocant, antecessores ıi sunt, qui eadem ratione sese runt, nullo tamen felici succes-*Catholicae* enim gloriosum noɛemper Ecclesiae Romanae comoni adhaesit atque adhaerebit. uid de veteribus haereticis scri- s. Augustinus, lib. 1. *Operis ɛfecti*, n. 75: « Athanasianos, *t*, vel homousianos ariani caɛos vocant, non et alii haeretici. Vos autem non solum a catholicis, sed etiam ab haereticis a vobis dissentientibus et vobis similibus pelagiani vocamini; quemadmodum non tantum a catholica, sed etiam ab haeresibus vocantur ariani. Vos vero soli nos appellatis traducianos, sicut illi homousianos, sicut donatistae macarianos, sicut manichaei pharisaeos, et ceteri haeretici diversis nominibus. Nec mirum esse debet, quod novi haeretici catholicis, a quibus exeunt, novum nomen imponant. Hoc enim et alii fecerunt, quando similiter exierunt ».

tos ac divisos, nullo modo pertinere ad individuam ecclesiae unitatem, ideoque neque ad Christi ecclesiam.

119. Sequitur 4. nullum dari posse concilium vere oecumenicum, seu repraesentans universam ecclesiam, absque Romano Pontifice, qui, cum sit caput ecclesiae, hoc ipso est caput concilii oecumenici, quod illam repraesentare debet, quodque alioquin esset acephalum.

120. Sequitur demum ineptire factiosos quosdam scriptores, qui dicunt Romanum Pontificem esse *signum*, *vexillum*, *signiferum* unitatis vel caput *ministeriale*, non autem simpliciter *caput*, *centrum*, *radicem* ipsius unitatis (1).

DIFFICULTATES

121. I. Obj. 1. Fides in ecclesia immutari potuit sensim sine sensu, ut fit, donec mutatio ista evaserit universalis; nil mirum igitur, si assignari non possit epocha certa inductae immutationis. 2. Addatur, quasdam veritates et dogmata tractu temporis obscurari posse, propterea stante hac universali quarumdam veritatum obscuritate, error obrepere facillime potuit; ergo.

122. Resp. ad 1. *N*. Alioquin promissis Christus defuisset, quod impium est asserere. Ignorantia et error dari possunt in privatis individuis, nunquam vero in ecclesia ipsa; Christus enim, ut superius diximus, promissiones suas et privilegia non privatis et singularibus

(1) Ita passim jansenistae ac pistorienses praesertim vero Tamburini, in sua *Ethica*, tom. 1, pag. 252 et seq. atque in sua *Analisi delle prescrizioni di Tertulliano*, § 40, 60, 69, etc. et in *Catech.* Gourlin, tom. 1, cap. 9, § 3, p. 273. Denominatio vero *capitis ministerialis*, tributa Romano Pontifici, proscripta fuit in Constitutione Pii VI, *Auctorem fidei*, prop. III, his verbis: « De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa, sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius ecclesiae caput pollet in universa ecclesia; *haeretica* ».

personis, sed *unitati* concessit. Alias semper incerti fluctuare deberemus.

123. Ad 2. *N.* pariter; siquidem ejusmodi universalis obscuritas est commentum jansenistarum, merito confixum a Pio VI in constitutione *Auctorem fidei* (1). Etenim Christus semper vigilat super ecclesiam suam, eidem prospicit, ac *semper* cum ipsa est.

124. Inst. Cur itaque, cum nova oritur controversia, tot disquisitiones fiunt, tot exoriuntur dissidia?

125. Resp. Quia Christus non per modum inspirationis, sed per *modum adsistentiae*, ut jam notavimus, ecclesiae suae praesto est; neque excludit media, studium scilicet, humanam industriam, etc. ad finem obtinendum. Et eadem ratione ac, cum quis cum altero contendit de possessione bonorum suorum, iste inquirit in instrumenta et titulos propriae possessionis, maxima qua potest diligentia, ut sibi vindicet bona propria, sic ecclesia inquirit diligenter in monumenta scripturae et traditionis, ut ea opponat istorum novatorum audaciae, et consulat multorum infirmitati. Praeterea, nonne et in concilio jerosolymitano inter apostolos, et seniores *magna conquisitio* (Act. XV, 7.) facta est ad dirimendam controversiam de legalium observantia, etsi apostoli omnes et singuli infallibiles essent?

126. II. Obj. Episcopi sunt successores apostolorum, qui immediatam habuerunt a Christo missionem, et quidem illimitatam, et super ipsos non minus quam super Petrum aedificata ecclesia est, dicente Apostolo, quod fideles aedificati sunt *super fundamentum Apostolorum et prophetarum* (Ephes. II, 20); ac, teste praeterea beato Joanne, civitas Hierosolymorum (ecclesia) habet *fun-*

(1) Prop. 1. « Propositio, quae asserit postremis hisce saeculis esse generalem obscuritatem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et *quae sunt basis* fidei et moralis doctrinae Jesu Christi, *haeretica* ».

*

damenta duodecim, *et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni* (Apocal. XXI, 14); ergo falsum est unitatem regiminis ecclesiastici ab unitate capitis seu Romani Pontificis provenire, ab eaque pendere.

127. Resp. *D.* primae propositionis sensum. Episcopi simul unum corpus efficientes sunt successores apostolorum seu collegii apostolici, *C.* singillatim sumpti, *subd.* quoad potestatem ordinis, *C.* quoad potestatem jurisdictionis *N.* Addo, licet extraordinaria fuerit apostolorum potestas, eam tamen non fuisse illimitatam atque independentem. Nam extraordinariam hanc potestatem habuerunt quidem apostoli a Christo, sed subordinatam Petro, qui unus plenitudinem potestatis accepit ad suos successores transmittendam, utpote ordinariam. Hinc istud intercedit discrimen inter potestatem Petro collatam et potestatem collatam apostolis singulis: licet utraque fuerit plena et universalis, attamen potestas Petri fuit *ordinaria*, *suprema*, et *independens*, potestas apostolorum *extraordinaria* et subordinata Petro quoad exercitium, quae propterea cum ipsis terminare debebat. Etenim potestas ista extraordinaria concessa fuit apostolis ad fundandam ecclesiam, ac necessaria fuit illis ecclesiae primordiis, potestas Petro insuper concessa fuit ad unitatem ecclesiae conservandam, ideoque perpetua atque, ut loquitur Tertullianus, *cum jure traducis*.

128. Hinc rursum idem Tertullianus: *Memento*, scribebat, *claves hic Dominum Petro*, *et* per eum *Ecclesiae reliquisse* (1); ac reliqui Patres passim vocant Petrum, *caput*, *coriphaeum*, *praesidem*, *principem*, *pastorem supremum Apostolorum et Ecclesiae* (2), quia, ut loquitur s. Cyprianus: *Exordium ab unitate proficiscitur*, *et primatus Petro datur*, *ut una Christi*

(1) Scorp. c. 10.
(2) Vid. Bolgeni, *l'Episcopato*, 1789, Part. 1, c. 2

ecclesia, et cathedra una monstretur, et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, et ecclesia Christi una monstretur (1), *ecclesia est in episcopo .... Petro primum Dominus potestatem dedit, et post ad apostolos quoque loquitur ... super Petrum aedificat ecclesiam, inde episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit* (2); ac rursum: *Una ecclesia a Christo Domino super Petrum* origine unitatis *et ratione fundata* (3); et alias saepe eamdem veritatem inculcat. Consonat s. Cypriano s. Augustinus, dicens: *Et dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani* ab apostolica sede *per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, ... culmen auctoritatis obtinuit* (4)? ut alia innumera his similia Patrum testimonia praetermittam.

129. Ad 2. prop. partem, *super ipsos non minus*, etc. *D.* Sed diversa ratione, ut nuper declaravimus, *C.* eadem ratione *N.*

130. Ad 3. ad prolata nempe testimonia scripturarum, *D.* Fideles aedificati sunt super fundamentum, id est, super fidem praenuntiatam a prophetis, et praedicatam ab apostolis, qui per praedicationem diversas ecclesias fundarunt, *C.* secus *N.*

131. I. Inst. 1. s. Cyprianus dicit: *Episcopatus unus*

(1) *De unitate ecclesiae.*
(2) Ibid.
(3) *Epist.* LXX, Ad Januarium.
(4) *De utilitate credendi*, cap. XVII, n. 35. Jam vero si ad haec aliaque prope innumera antiquitatis documenta, quae adduci possent, animadvertissent vel animadverterent protestantes, profecto tot nova systemata non excogitassent vel quotidie excogitarent ad detegendam veram Christi ecclesiam, et constitutam a Christo religionem. Via enim brevissima nobis a patribus unanimiter proponitur, ecclesia Christi est illa, cui praesidet ut caput Romanus Pontifex, beati Petri successor et Christi vicarius, quaeque a Christo ad nos usque perpetua successione pervenit. Haec est via regia, quae fallaciae vel errori seu deceptioni obnoxia non est. Haec obtinet summam auctoritatem. Ubi haec abjicitur, nihil certi superest, nullum omnino effugium, per quod desperationem vitare possimus, ut ex dicendis magis patebit.

est, cujus a singulis in solidum *pars tenetur* (1); 2. idem praeterea addit : *Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus , pari consortio praediti et honoris et potestatis* (2); et 3. s. Hieronymus : *Licet . . . cuncti* (apostoli), inquit, *claves regni caelorum accipiant, et* ex aequo *super eos ecclesiae fortitudo solidetur* (3); ergo.

132. Resp. ad 1. *D. A. A singulis in solidum pars tenetur* , quoad individuam unitatem ipsius episcopatus et ecclesiae , quae non dividitur per multitudinem episcoporum , qui cum Petro et sub Petro *tenent* et pascunt *partem* sibi commissam , *C.* quasi episcopi singuli episcopatum in solido tenerent , *N.* Talem porro esse germanum sensum textus allati , patet ex verbis , quae immediate praecedunt : *Quam unitatem* , inquit , *firmiter tenere et vindicare debemus* , *maxime episcopi* , *qui in ecclesia praesidemus* , *ut* episcopatum *quoque* ipsum unum atque indivisum *probemus . . . episcopatus unus est* etc. Ipsemet s. Martyr , scribens ad Cornelium , vocat : *Petri cathedram atque ecclesiam principalem* , *unde* unitas sacerdotalis *exorta est* (4). Hinc illae similitudines solis , unde radii , fontis , unde rivuli , arboris , unde rami exoriuntur , quibus passim ipse utitur ad ecclesiae naturam et unitatem designandam (5).

133. Ad 2. *D.* Hoc erant in dignitate apostolatus ac potestate extraordinaria , *C.* in potestate episcopali , *subd.* simul sumpti , *C.* seorsim sumpti *N.* Etenim hic s. Cyprianus non videtur spectare nisi solam dignitatem apostolatus , sub quo respectu dici poterant *ceteri* apostoli Petro aliqua ratione pares ; etsi in hac ipsa dignitate,

(1) *De unitate ecclesiae.*
(2) Ibid.
(3) Lib. 1. *Cont. Jovinianum*, n. 26.
(4) Epist. LV.
(5) *De unit. eccl.* loc. cit. Cons. in hunc textum s. Cypriani Bolgeni, in opere inscripto L'*Episcopato*, cap. 2 , n. 20 , et cap. 6 , n. 68 et seq. edit. Rom. 1824; et Petrus Ballerinius , *De vi ac ratione primatus Rom. Pont.* cap. 13, §. 3.

juxta eumdem Cyprianum, essent Petro subordinati; protinus enim subjicit: *Sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur.* Quod si adversarii contendant, loqui s. Martyrem de dignitate seu potestate episcopali, tunc dicimus sub duplici respectu tum apostolos tum episcopos considerari posse, quatenus nempe unum constituunt corpus et individuum cum suo capite, et quatenus singillatim sumpti singularia membra sunt ejusdem corporis; sub primo respectu omnes utique pari potestate praediti sunt, ut senatores in senatu sub et una cum suo praeside, qui omnes gaudent potestate suprema, legislativa, etc.; sub altero respectu nullam aliam potestatem habent, quam eam, quae eis conceditur seu communicatur; haec autem extraordinaria potestas apostolis a Christo ipso data est cum subordinatione ad Petrum quoad exercitium, ut superius notavimus, episcopis autem quoad proprias dioeceses a Romano Pontifice tribuitur ac communicatur (1).

134. Ad 3. *D.* ut supra; etenim prosequitur ibidem immediate s. Hieronymus: *Inter duodecim unus eligitur* (a Christo), *ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

135. II. Inst. Ecclesiae orientales et apostolicae independentes semper fuerunt ab ecclesia romana, seu a Romano Pontifice; ergo.

136. Resp. *Neg. antec.* Nam Romani Pontifices toties veram exercuerunt auctoritatem in ecclesias orientales, quoties sese obtulit occasio vel necessitas, ut pleraque ecclesiastica monumenta testantur, ipso fatente Fleury (2).

(1) Cons. Muzzarelli, in *Dissertatione: An Summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi Episcopum invitum*, etc., inter dissertationes ejusdem selectas, Romae anno 1807 editas, n. IV.

(2) Opere citato. Cons. praeterea Opusculum Domini Marchetti: *Del concilio di Sardica*, vol. I, in 8, nec non eruditissimi fratres Ballerini, tum in cit. op. *De vi et ratione primatus Romanorum Pontificum*, tum in ad-

Et sane frequentes fuerunt recursus ad Apostolicam Sedem. Non raro sane patriarchae alexandrinus, antiochenus, jerosolimitanus, Apostolicam Sedem adierunt; non raro ad ipsam appellationes detulerunt; non semel etiam ipsos patriarchas Romani Pontifices deposuerunt; s. Athanasius, a sua sede arianorum machinationibus expulsus, appellavit ad Sedem Romanam; s. Sophronius jerosolymitanus et Sergius constantinopolitanus in causa monothelitarum Romam miserunt. In schismate antiocheno id ipsum factum est (1). Quod primis etiam ecclesiae saeculis passim factum ipsemet Wetsteinius concedit, eidemque assentitur Gibbon (2).

137. III. Inst. Non satis patet quandoque, quinam sit Romanus Pontifex legitimus; romana praeterea ecclesia saepe suo pastore caret, sede vacante; ergo in ejusmodi casibus ecclesia nullum habebit caput, nullum centrum.

notationibus ad novam editionem operum s. Leonis Magni, operibus nunquam satis commendatis.

(1) Ibid.

(2) *De lapsu Imp. Rom.* cap. 21, loquens de appellatione interposita a s. Athanasio ad Romanam Sedem, n. 1, refert animadversionem prudentia *plenam*, ut ipse vocat, Wetsteinii (*Proleg.* n. 1, pag. 19): « Si tamen ecclesiasticam historiam velimus consulere, patebit jam inde a saeculo IV, cum, enatis controversiis, ecclesiae graecae Doctores in duas partes scinderentur, ingenio, eloquentia, numero tamen non aequales, eam partem, quae vincere cupiebat, Romam confugisse, majestatemque Pontificis comiter coluisse, eoque pacto, oppressis per Pontificem et episcopos latinos adversariis praevaluisse, atque orthodoxiam in conciliis stabilivisse; eam ob causam Athanasius non sine comitatu Romam petiit pluresque annos ibi haesit ». Admissa in primis confessione adversariorum de usu appellationum ad Romanum Pontificem ex parte ecclesiarum orientalium, IV. ecclesiae saeculo, sciscitari possumus a Wetsteinio et Gibbon, quaenam unquam pars sit, quae *vincere* non cupiat? Certe ipse Nestorius vincere cupiens Romam confugerat, at frustra; ratio est, quia, cum haeresim induxisset, quae numquam in Petri cathedra locum habere potest, hinc nedum vinceret, victus est, ipsi obsistente Romano Pontifice. Sciscitamur secundo, quomodo a Romano Pontifice et episcopis latinis opprimi potuerint Orientales dissidentes tempore persecutionum, quum tamen certum sit, jam III. ecclesiae saeculo Romae accusatum fuisse Paulum samosatenum sub imperatore Aureliano ob novitates quas disseminare coeperat, atque a Romano Pontifice Paulum fuisse depositum, quod cum intellexisset imperator Aurelianus, qui ad episcopum Romanum querelas sibi delatas remiserat, eum exilio mulctavit. Vid. Eusebius, *Hist. eccles* lib. VII, cap. 30.

58. Resp. *Neg. conseq.* In his enim casibus omnes siae particulares communicant cum Sede Romana, centri vices supplet, ut patet ex perpetua praxi. Ne-, quae urgent, sic expediri possunt communi con- tribunalium seu congregationum et Cardinalium, do peculiari non indigent Romani Pontificis aucto-, quae alioquin tamdiu desideratur, donec novus ifex vel certus designetur. Qui bona fide tempore matis uni potius Pontifici dubio adhaerent quam al-, hoc ipso inculpabiles sunt, et virtualiter saltem ano seu vero unitatis capiti adhaerent (1).

59. IV. Inst. Concilia Basileense et Constantiense non erunt Romanum Pontificem veluti unitatis centrum aput; ergo.

60. Resp. *Neg. antec.* Haec enim Concilia, si ta- in decretis quae Romani Pontificis auctoritatem spe-, oecumenica sunt, quod plerique jure negant, unitatis centrum in Pontifice ultro admiserunt; eo- disceptatio non erat nisi de amplitudine pontificiae statis. Ceterum hac in parte concilium Basileense tan- n schismaticum vulgo habetur, Constantiense autem icit tempus schismatis, atque passim quoad ista de-

Sane ecclesia nonnullos, qui Pontificibus, errore decepti, serant, fastis suis adscripsit. nonnulla hic exempla afferre. 1 Maii in *Martyrologio roma-* entio fit s. Paschasii, qui er- leceptus adhaesit schismati Lau- antipapae adversus s. Symma-, de quo sic scribit s. Grego- Magnus, lib. IV, *Dialog.* cap. 41: « Qui enim non malitiae morantiae errore peccaverat, ri post mortem a peccato po-. Vid. Baronius in *Notis ad r. rom.* loc. cit. Sic sub die 5. s recensetur nomen s. Vincen- rerii, quem schismati Benedi- II antipapae, eodem errore de- ceptum, ad tempus adhaesisse con- stat. B. Petrus luxemburgensis vive- re desiit, quum adhuc adhaereret schismati antipapae Clementis VII, a quo creatus fuerat Cardinalis, et in- ter beatos a vero Pontifice ejusdem nominis, Clemente VII, adscriptus est. Vid. Raynaldus, ad annum 1387, n. 11, s. Antoninus, 3. part. tit. c. 2, § 1, cujus verba referuntur ab eodem Raynaldo, loc. cit. Ciacconius, *Vitae et res gestae Pontificum Rom. et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium*, vol. 1, fol. col. 1012. Romae 1630, Bolland. *Acta SS. mensis Julii*, sub die 2 Julii, § 12, *Vindiciae*, etc.

creta rejicitur, vel saltem ut dubiae habetur auctoritatis, ideoque nullius roboris (1), sed de his uberius et ex professo in Tractatu *De locis theologicis*, ubi de Romano Pontifice.

PROPOSITIO VI.

Quicumque quovis tempore, spiritus privati placita sectando, se opponunt ecclesiae catholicae magisterio, rebelles sunt, sectarii et novatores

141. Una est omnium haereseon origo, systema videlicet spiritus privati (2), seu privatorum hominum, qui sese erigunt adversus legitimam auctoritatem, divinitus institutam ad fidem docendam, propagandam atque intemerate servandam usque ad consummationem saeculi, quam solam esse ecclesiam catholicam praecedenti propositione ostendimus, ut sua propria sectentur placita (3).

142. Christus, ut vidimus, soli ecclesiae, nempe *do-*

(1) Cons. opus Schelestrate: *De Conciliis Constantiensi et Basileensi* in 4. necnon *Animadversiones Roncaliae et Mansi*, ad *Hist. Eccles.* Natal. Alex. in diss. IV, saeculi XV, et XVI, in decreta sess. IV, et V Concilii. Constantiensis, § I et seqq.

(2) Hic notanda est confusio nuper inducta a plerisque recentioribus scriptoribus, qui promiscue accipiunt has duas denominationes *spiritus privati* et *rationis individualis*, perinde ac si idem significarent, at longe a se distant. Etenim *ratio individualis* in bonam partem accipi potest, cum homo etiam individualis recte ratione sua uti possit ad inquisitionem veritatis, et passim recte eadem utatur; at denominatio *spiritus privati* semper in malam partem accipitur, pro oppositione nempe rationis propriae adversus legitimam auctoritatem a Christo institutam, id est, ecclesiam catholicam; hinc factum est ut Bellarminus, Becanus, Bossuet etc. aliique controversistae nunquam impugnaverint *rationem individualem*, sed semper *spiritum privatum* protestantium.

(3) En verba, quibus Hegesippus omnium haereseon originem declarat: Ἕκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισήγαγεν; id est, *Qui* (haeretici) *seorsim singuli proprias opiniones induxerunt.* Apud Eus. *Hist. eccles.* lib. IV, c. 22, qui praeterea refert ex eodem Hegesippo, qui floruit sub Imperatore Hadriano, ipsum, cum Romam proficisceretur, *Plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam*; Ὅτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντων παρέληφε διδασκαλίαν ἀκοῦσαι γέτοι πάρεστι, etc. Unde patet perpetua unitas in ecclesia catholica, dissensio et divisio perpetua in sectis heterodoxorum.

centi, a se institutae missionem dedit, eamque perpetuam constituit fidei depositariam ac magistram cunctis gentibus. Ecclesia hac facultate utens per suos ministros auctoritative, ut ajunt, seu nomine ipsius Christi, quovis tempore omnibus gentibus sibi commendatas veritates tradit, ac suos filios edocet. Hinc sicut ecclesiae officium ac munus est *docere*, sic privatorum est *doceri* et *credere*, seu, ut loquitur Apostolus, *in captivitatem redigere intellectum in obsequium Christi* (II Cor. 5), seu fidei christianae, et *obedire fidei* (Rom. I, 5 et alibi passim). Fides proinde seu veritas *necessario* a legitima auctoritate est (1); haeresis contra seu error *necessario* a spiritu privato huic legitimae auctoritati opposito. Haec autem oppositio ex parte horum privatorum hominum necessario includit perduellionem, et quotquot ecclesiam catholicam deserunt, ut privatorum hominum placitis adhaereant, hoc ipso adhaerent perduellioni, sectarii fiunt, novatores vel novatorum participes.

143. De his novatoribus jam scribebant apostoli in concilio hierosolymitano congregati: *Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus*, etc. (Act XV, 24); et Apostolus ad Galatas: *Sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi; sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (cap. I, 8); et ad Thessalonicenses: *Rogamus vos, ... ne quis vos seducat ullo modo* (II Thess. II, 3); atque ad Timotheum:

(1) Praeclare s. Augustinus, lib. *De utilitate credendi*, cap. IX, cum hoc inter ecclesiam catholicam et haereticos dixisset esse discrimen, quod ecclesia catholica venientibus ad se praecipiat fidem, haeretici autem promittant rationem, concludit: « Vera religio, nisi credantur ea, quae quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest ». Ed. Maur. tom. VIII.

Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, . . . hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem (II Tim. III, 2 et seq.); denique, ut alia innumera his similia testimonia praetermittam, Christus ipse in Apocalypsi reprehendit atque objurgat episcopum Pergami, eo quod haberet in ecclesia sua *tenentes doctrinam nicolaïtarum*. Ex doctrina igitur Christi et apostolorum isti omnes, qui insurgunt adversus legitimam auctoritatem, ut ipsius doctrinae ac magisterio sua propria placita substituant, tanquam totidem perturbatores, seductores, evangelicae doctrinae corruptores, superbi, mente corrupti, reprobi circa fidem, anathematizandi, sectarii, haeretici habendi sunt absque ullo discrimine; nam Apostolus loquitur etiam de iis, qui subsequentibus aetatibus insurrecturi erant, scribit enim ad Timotheum: *In* novissimis diebus *instabunt tempora periculosa*, etc. (II Tim. III, I). Ergo omnes et singuli, qui quovis tempore, quovis colore ac praetextu, priorum novatorum vestigia sectantes, spiritus privati figmenta opponunt receptae ab ecclesia doctrinae, omnes, inquam, indiscriminatim tanquam rebelles, seductores, perturbatores, reprobi circa fidem hoc ipso sunt et erunt usque ad consummationem saeculi.

144. Et sane in rebus fidei, vel legitimae standum est auctoritati vel spiritui privato. Si primum dicatur, cum nulla alia auctoritas legitima sit nisi ecclesia catholica a Christo instituta, quod jam demonstravimus, et cum omnes et singuli novatores, nullo facto discrimine, ab ecclesia damnati et proscripti sint, hinc omnes indiscriminatim rebelles et sectarii ex aequo sunt, incipiendo a nicolaitis, quos Christus ipse reprobavit, usque ad unitarios et methodistas. Quanam enim ratione methodistae, unitarii, protestantes ausint sese praeferre nicolaïtis, gnosticis, cerinthianis, carpocratianis, arianis aut aliis haereticis, quasi nempe illi erraverint, ipsi vero a

veritatis tramite minime deflexerint? Quis judex erit? Ergo vel omnes pariter damnandi et reprobandi, vel omnes pariter ut veritatis cultores ac veri Christi discipuli habendi sunt; quod postremum cum dici non possit, nisi impie dicatur, tum Christum, tum apostolos errasse, dum hos insectati sunt et rejecerunt ab ecclesiae communione, restat ut primum affirmetur. Nulla via media.

145. Quod si contendant adversarii, spiritui privato vel, ut in praesentiarum loqui malunt, rationi individuali uniuscujusque standum esse in negotio fidei, tunc frustra damnati fuissent omnes novatores seu haeretici a temporibus apostolicis usque ad nos; omnes admittere possemus errores non semel contrarios et contradictorios, quos delira hominum quorumdam ratio invexit; omnis prorsus veritas sic prolaberetur; nullum jam dogma esset retinendum. In Deo tres essent personae et una tantum; Christus Deus esset simul et non esset; duae essent in Christo naturae et una solum; una esset in ipso persona et duplex; Deus auctor esset peccati et non esset; in homine esset liberum arbitrium et absoluta necessitas, etc. etc. vel saltem esset indifferens unicuique sic diversa, imo et contraria sentire et credere; et quod consequens est, cum identidem homines isti nonnihil novi induxerint etiam circa moralem seu practicam doctrinam, fas unicuique esset tanquam licita habere homicidia, adulteria, fornicationes, incestus, infanda denique omnia flagitia, quae tum veteres tum recentiores approbarunt (1).

(1) *Fletcher 's Works*, vol. III, p. 10, refert moggletonianos et labbadistas, qui sunt ex secta methodistarum, sub praetextu obsequendi interiori lumini, se flagitiosissimis impietatibus dedisse, prout adhuc faciunt nonnullae aliae sectae methodisticae. *Adulterium et homicidium*, inquit supranominatus Richardus Hill, « non nocent filiis Dei, imo sunt ipsis utilia. Peccata mea possunt Deo displicere, sed persona mea semper ipsi chara erit. Etsi magis peccarem quam Manasses, non ideo minus dilectus filius Dei essem, quia semper me videt in Christo; exinde fit, ut inter ipsa adulteria, incestus et homicidia possit ad me verba convertere: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Ibid. vol. IV, p. 97) ». Etsi ego vitupero eos, qui dicunt: « *Peccemus, ut in nobis gratia*

Itane Ecclesia, a Christo instituta, erit sine dogmate et sine morali? Quorsum igitur revelatio? Ergo vel catholici vel rebelles, vel in ecclesia catholica vel in synagoga Satanae vel Christi vel Belial, vel catholica fides vel quodlibet spiritus privati deliramentum, omnia contradictoria aeque vera, aeque laudanda sunt!

146. Ex his sequitur 1. quod quicunque protestati sunt adversus ecclesiam catholicam, protestati fuerint adversus veritatem et adversus Deum ipsum.

147. 2. Quod, cum protestantismus sit actus rebellionis adversus ecclesiae auctoritatem, quotquot haeretici fuerunt et sunt, totidem fuerint ac sint *protestantes*, ejusdem nempe criminis rei, et ipsis idem conveniat nomen.

148. 3. Quod, cum *Protestantismus* vox sit negativa, significans actum protestationis adversus articulos fidei ab ecclesia definitos, fiat ut, quo quis minus credit, seu quo plures articulos rejicit, eo magis sit protestans, eique magis conveniat talis denominatio, ita ut perfectus incredulus ac rationalista sit perfectus protestans.

149. 4. Quod protestantismus partialis sit plena et formalis incohaerentia; si enim regula fidei est spiritus pri-

abundet; attamen, his non obstantibus, adulterium, incestus, homicidium me sanctiorem reddent super terra et gloriosiorem in coelis » (Fletches Duybeny's Guide to the Church pag. 82). D. Milner (*Letters to a Prebendary*) refert et ipse Salomonem quemdam, ministrum apud *Conventry*, populum docuisse jurare, blasphemare, liberumque laxare frenum excessibus omnibus. Quoniam abhorret animus ejusmodi excessus recensere, qui plura cupit praeter citatos auctores, consulere potest ipsos scriptores protestantes, Trembley, *Considérations sur l'état présent du Christianisme*, pag. 239, et Baronem de Starck, *Entretiens philosophiques sur la réunion des différentes communions chrétiennes*, traduits de l'allemand, Paris 1818, praesertim pag. 285, ubi refert excerptum cujusdam dissertationis *De s. Pauli christianismo*, auctoris anonymi, insertae in *Repertorio Semleri*, in qua auctor praefert ethnicismum christianae religioni, et §. 3. quaerit: « Si le rétablissement de la religion des Grecs et des Romains ne serait point le meilleur parti qu'on pût prendre ». Id ipsum praestiterunt *magistri populi* seu pastores, ut constat ex nota 72 operis Thiess; sic imitati sunt nonnullos philosophos gallos, nominatim vero Raynal, qui in sua *Historia philosophica* amare queritur *De ce que la Croix de J.-C. avait remplacé les divinités riantes de Rome et de la Grèce*. Si tamen hoc opus citati auctoris foetus est.

vatus, nulla est ratio cur vel unus fidei articulus admittatur ob ecclesiae auctoritatem. Hinc protestantismus partialis non est status consistentiae ; quisquis enim a fide catholica recesserit, ille profecto in nullo statu medio diu permanebit , sed deistarum vel ad rationalistarum partes accedet ; et sane deismus ac rationalismus sunt naturalis ac ultimus fructus protestantismi (1).

DIFFICULTATES

150. I. Obj. S. Cyprianus aliique quamplurimi africani episcopi dissentiebant a Romano Pontifice, ideoque ab ecclesia universali, circa valorem baptismi haereticorum, nec tamen rebelles habiti sunt. Sic semipelagiani , licet errarent circa gratiae necessitatem ad initium fidei, non propterea damnati sunt. Frequentes sunt, in ecclesia ipsa catholica , concertationes circa fidei articulos , divisae scholae sunt thomistarum , congruistarum, augustinianensium , etc. nec propterea alterutra contendentium pars rebellis censetur. Jam ipse Apostolus scripserat : *Unusquisque in suo sensu abundet* (Rom. XIV, 5); necesse propterea non est auctoritati acquiescere in iis, quae ad fidem pertinent.

151. Resp. *D.* Ante expressam ecclesiae definitionem, et quidem sub anathematis poena latam, *C.* post ejusmodi definitionem *N.* Aliud est errare , aliud in proprio sensu persistere, seu resistere legitimae auctoritati definienti. Jam vero citati africani episcopi errabant quidem ante expressam illam definitionem ; cum tamen dubium fortasse adhuc superesse posset , num ipsorum doctrina

(1) Leibnitzius merito praedixit, in epis. inedita ad Arnaldum, atheismum vel saltem naturalismum postremam haeresium fore : « Il est vraiment à craindre que la derniére des hérésies ne soit l'athéisme , ou du moins le naturalisme ». *Vid.* Exposition de la doctrine de Leibnitz sur la Religion , Paris 1819, p. 415. Eventus veritatem praedictionis ostendit.

contraria esset ecclesiae doctrinae, innoxii erant; non autem post ejusdem ecclesiae definitionem, cui se reipsa submiserunt. Nec illud omittendum est, quaestionem illam rebaptizantium spectatam ab illis fuisse, juxta non paucos eruditos, ut quaestionem potius disciplinae quam fidei (1). Hinc factum putamus, ut nonnulli, etiam post concilium nicaenum, perrexerint consuetudinem illam inveteratam in suis ecclesiis retinere, ut suo loco dicemus.

152. Semipelagiani nunquam sectam constituerunt, vix enim s. Caelestinus Pontifex dederat rescriptum suum ad controversiam illam dirimendam, cum statim omnes, quos error ille infecerat, eidem decreto ultro adstipulati sunt.

153. Atque hinc responsio patet ad difficultatem petitam a concertationibus theologorum. Ejusmodi enim domesticae concertationes, quae, salva charitate, in scholis catholicis libere agitantur, fidem seu fidei articulos ab ecclesia definitos nullatenus attingunt, sed modum tantummodo ac rationem nonnulla explicandi; praeterea omnes theologi catholici parati sunt privatos sensus subjicere ecclesiae definitioni, si qua ab ipsa daretur (2).

154. Ad verba Apostoli: *Unusquisque*, etc. *D.* circa aliquam praxim praesertim disciplinae, quam ecclesia liberam unicuique reliquit, *C.* in rebus fidei definitis *N.* Hoc enim inauditum in ecclesia est, et Apostolus, ut patet ex contextu, loquitur de libera discretione ciborum et quorumdam legalium observatione.

(1) Vid. Bolgeni, in opere *Risposta al quesito cosa è un appellante?* Testo. x.

(2) Atque hinc patet mala eorum fides, qui, ad cohonestandas propriae sectae divisiones in rebus fidei, in medium afferunt dissensiones theologorum catholicorum, non advertentes ingens interesse discrimen inter divisiones et placita haereticorum, quae oriuntur ex defectione a legitima auctoritate, ac subruunt fidem ipsam, et accidentales, ut ita dicam, levesque dissensiones theologorum, qui in fide unanimes sunt, et quorum controversiae agitantur circa ea, quae nondum ab ecclesia definita sunt, nec habent pro objecto nisi diversam rationem exponendi ea quae ad fidem pertinent, salva semper fide ipsa.

155. II. Obj. Spiritus evangelii est spiritus libertatis; et sane Christus, cum in mundum venit, praestitit erga degenerem judaeorum religionem, quod postea Lutherus efficere tentavit in ipsa religione catholica, tunc temporis foede immutata per usurpationes papales et insectatorem monachorum spiritum medio aevo (1); ergo.

156. Resp. *D. A.* Spiritus evangelii est spiritus libertatis a lege mosaica ac legalibus observantiis, vel per oppositionem ad spiritum servitutis et timoris legis mosaicae, *C.* est spiritus libertatis, ita ut liberum unicuique sit credere, sentire et innovare in rebus fidei, prout magis libet *N.* Absurda enim esset libertas illa credendi quodlibet, verum aut falsum, fidemque omnino destrueret.

157. Ad probationem, *Neg.* impiam et blasphemam comparationem. Ecquis enim, nisi deista vel atheus, impurum ac scelestissimum apostatam, qui immani arrogantia inconsutilem Christi vestem, id est, ecclesiam, dilacerare aggressus est, per rebellionem filiorum adversus propriam suam matrem omnia susdeque vertendo, audeat comparare cum unigenito Filio Dei, qui *non venit solvere legem, sed adimplere* (Matth. V, 17)? Ubinam signa inveniuntur ejus missionis? Ubi vaticinia, ubi miracula? Nisi per summum nefas velis inter ipsius prodigia satanicum plane furorem, fornicationes, adulteria, sacrilegia recensere (2).

(1) Ita auctor operis *Chronologie universelle*, vol. 100. *De la Bibliothèque du citoyen du* XIX *siècle.*

(2) Vid. Lessius, in *Consultatione: Quae fides et religio sit capessenda*, Consid. IX, quinta ratio ex vita et morum conditione; ubi pessima, Lutheri et Calvini vita in propatulo ponitur. Quod attinet ad miracula Lutheri nemo id ignorat, quod testis ocularis refert Frid. Staphylus, in *Absoluta apologia*, pag. 404, de Luthero anno 1545. exorcizante quamdam juvenem de Misnea Wittenbergae; ea nempe ratione, qua (Act. XIX, 16) in filios Scevae daemon insiliit, sic insiliit in Lutherum ejusque socios, nec levi illos damno affecit. Staphylus, quum Lutherum magistrum suum jugulo a daemone arreptum conspiceret, et fugam moliens seram recludere non valeret, securim a clerico per fenestras injectam adeptus, fores excidit salutique

158. Quod si Christus abrogavit legem caeremonialem et judicialem, substituendo umbrae ac figurae rei veritatem, necessario debuit vetus pariter sacerdotium abrogare, lex enim et sacerdotium relativa sunt; attamen novum in se sacerdotium instituit ac sempiternum, cujus ministros voluit perpetuari in ecclesia sua per continuam successionem, usque ad saeculi consummationem, cum potestatis plenitudine, quam in episcopatu, sensu jam exposito, collocavit.

159. Si aliquot praeterea abusus *in ecclesia* (1) circa disciplinam vel individuorum mores identidem exoriuntur, quis poterit tales abusus extirpare, nisi ecclesia ipsa, quae sola talem a Christo auctoritatem nacta est? Nunquam privatorum est potestatem in ecclesia Dei exercere. Ii proinde qui sibi ejusmodi jus arrogant, tanquam sacrilegi et perduelles habendi sunt, ac detestandi veluti profani usurpatores, si fidem approbatam ab ecclesia mutare volunt.

160. III. Obj. Scriptura ubique supponit liberam doctrinae discussionem et examen ex parte fidelium, qui debent *probare utrum spiritus ex Deo sint*, ut praescribit apostolus Joannes (I Joan. IV, I.); quibus praeterea injungit Paulus: *Omnia probate, quod bonum est tenete* (I Thess. V, 21); qui cavere debent, ne quis eos

suae et incolumitati consuluit. Cons. Baddeley, *A sure way to find out the true religion*, Boston 1831, pag. 66.

(1) Vid. Muzzarelli in praeclaro opere, *Il buon uso della logica in materia di religione*, tom. I, edit. Florentiae 1821, opus. II, cui titulus est: *Abusi nella chiesa*; scite Cl. auctor distinguens inter *abusus ecclesiae et abusus in ecclesia*, merito negat, vel aliquando extitisse, vel extare posse abusus ecclesiae, seu totius ecclesiae corporis, nisi Christus promissis suis potuerit deesse; abusus enim quoslibet ecclesia nunquam probavit, sed perpetuo damnavit atque proscripsit, juxta illud s. Augustini effatum: « Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit (Ep. 55 ad Januar.) ». At fatetur, abusus esse in ecclesia, semperque aliquot fuisse, et futuros esse, quia cum ex hominibus ecclesia coalescat, qui fragiles sunt et infirmi, impossibile est, ut nemo sit, qui humana non patiatur.

seducat (Colos. II, 18); quique jubentur omne externum excludere magisterium, cum Spiritus Sanctus unumquemque interius doceat ad fidem necessaria: *Non necesse habetis*, inquit Joannes, *ut aliquis doceat vos; sed unctio ejus* (Christi) *docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo* (I Joan. II, 27). Quod sane consonat veteri prophetiae, in qua dicitur: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* (Joan. VI, 45, coll. Isaïae LIV, 13); quod quidem vaticinium suum adimplementum in Novo Foedere habuisse tradit Christus, qui propterea vetuit, ne quispiam ex discipulis suis vocaretur *magister: Quia magister vester*, inquit, *unus est Christus* (Matth. XXIII, 10); ergo.

161. Resp. 1. *N. A.* Nihil quippe evincunt adducta testimonia, quae alio sensu semper intellexit ecclesia.

162. Resp. 2. *Neg. Ant.* Ad quatuor vero priores probationes, *D.* Et allata testimonia speciatim tendunt ad excludendum systema spiritus privati, *C.* ad illud cohonestandum, sive ad excludendam ecclesiae auctoritatem *N.* Etenim allati textus inducti sunt ad praemonendos fideles, ut caveant a privatis et suspectis doctoribus, qui, cum apostoli adhuc in vivis essent, jam coeperant hac illac disseminare falsa dogmata, ac puram apostolorum doctrinam corrumpere. Quapropter ipsi, utpote vigiles pastores, gregem sibi commissum perpetuo monent de imminenti periculo, ac de necessitate obsequendi legitimae auctoritati, si immunes ab erronea doctrina et seductione esse velint. Subdit enim inter ceteros B. Joannes: *Haec scripsi vobis de iis, qui seducunt vos* (I Joan. II, 26). Apposite Bellarminus, lib. 3. *De verbo Dei*, cap. 10, ad argumentum 12, inter cetera habet: *Haec scribit s. Joannes, quomodo si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab haereticis obsiderentur et perturbarentur; non necesse habetis, ut aliquis luthera-*

nus vel calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim quae vos scire oportet jam didicistis et tenetis ex praedicatione ecclesiae, adjuvante unctione Spiritus Sancti.

163. Ad 5. probationem, *D.* Christus in adductis verbis vanam excludit nominis gloriam, *C.* excludit magistros ab ecclesia *N.* Alioquin quomodo dixisset apostolis: *Euntes docete*? Ex eo autem, quod se unum magistrum praedicet non sequitur quod excludat ecclesiae magisterium. Opportune enim observat s. Augustinus magistrum proprie ac praecipue illum dici, qui doctrinam a seipso habet, non vero item illum, qui doctrinam ab alio acceptam ceteris tradit. Ecclesia autem non aliud filios suos docet, quam quod didicit ab ipso Christo.

164. Inst. Apostolus inquit: 1. *Non dominamur fidei vestrae* (II Cor. I, 23); et 2.: *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (I Cor. II, 15); ergo.

165. Resp. ad 1. *D.* Non dominamur, id est, non intendimus ob praedicatam vobis fidem arbitrarium in vos exercere dominatum cum ostentatione potestatis, *C.* non intendimus germanam in vobis fidem conservare *N.* Ut patet ex scopo et contextu istius capitis, et prout ipse exponit Rosenmüller (1). Et sane solus Deus est, qui dominatur fidei nostrae; ecclesia nos non docet nisi ea, quae Deus revelavit.

166. Ad 2. *D.* Judicat omnia judicio privato, quod tamen non dissentiat ab ecclesiae magisterio, *Tr.* judicio definitivo ac independenter ab ecclesiae auctoritate *N.* Addendum, non deesse qui ita explicent citatum textum,

(1) In hunc locum, cui praeiverat Bern. a Piconio; si quid enim boni in suis commentariis habent protestantes, id a nostris mutuati sunt, nec unquam fere fontes indigitant. Hoc praeclare ostendit Dr. Petrus Fourer. Ackermann Canonicus lateran. in opere, quod inscribitur *Prophetae minores perpetua annotatione illustrati*, Viennae 1830.

ut hinc falsum ostendant ethnicorum vel profanorum judicium de religione christiana ; nullus enim christianus erroris circa doctrinam quam profitetur argui potest (1), et sane congruit contextus. Sed dato etiam, quod de christiano a Spiritu Sancto interius edocto sermo sit, sciri nunquam potest certitudine fidei, quinam ejusmodi homo spiritualis sit.

167. IV. Obj. Ea, quae ad salutem spectant diligentissimo examine ponderanda ac discutienda ab unoquoque sunt, nisi velimus ipsum naturae jus prorsus violare ; liberum ergo unicuique erit ecclesiae judicio adhaerere, vel ab eo recedere, quoties conscientia aliud suadet.

168. Resp. *D. A.* Antequam fidem christianam quis amplectatur, seu quamdiu infidelis est, jus habet inquirendi in motiva credibilitatis, *Tr.* postquam fidem suscepit *N.* Fideli enim nullum *dubitativum*, ut vocant, examen permittitur, quod cum vera fide consistere nequit. Permittitur tamen iis, qui idonei sunt, examen tantum *discretionis*, ut magis magisque se in fide confirment.

169. Inst. Saltem unicuique examen dubitationis licebit instituere circa veram ecclesiam, alioquin sequeretur, quempiam posse, imo et debere, sectae, quae christiana dicatur, et in qua natus sit, adhaerere, quod est absurdum. Quod si examen dubitationis necessarium est ad veram Christi ecclesiam dignoscendam, quidni etiam ad cetera fidei dogmata discutienda ?

170. Resp. *D. M.* Unicuique licitum est examen dubitationis circa veram ecclesiam, imo necessarium iis omnibus qui extra catholicam ecclesiam versantur, *C.* catholicis *N.* Ratio summae disparitatis inter utrosque ex eo patet, quod catholicis per examen discretionis evidentia morali constet de perpetua et nunquam interrupta suc-

(1) Cons. citatus auctor in hunc locum.

cessione episcoporum ab apostolis usque ad nos, prout omnia publica monumenta testantur. Contra vero eadem morali evidentia constat omnibus sectariis de epocha, in qua ipsorum majores ab eadem ecclesia discesserunt ad novam societatem instituendam, quae se se opposuit tum auctoritati tum fidei quam reliquerunt, vel a qua ob suam pervicaciam expulsi sunt. Ideoque primi certi sunt, et quidem certitudine fidei, de infallibilitate propriae ecclesiae, cui promisit Christus se adfuturum usque ad consummationem saeculi; sectarii autem nunquam sibi hanc infallibilitatem possunt polliceri, nisi velint sibi arrogare, quod denegant ecclesiae universae quam deseruerunt. Hinc catholici ex propriis principiis dubitare *non possunt*, sectarii autem ex propriis principiis dubitare *debent*. Verum de hoc argumento alias iterum agemus.

PROPOSITIO VII.

Iis, qui auctoritatem rejiciunt catholicae ecclesiae, ut spiritus privati placita sectentur, nulla est vera fides, sed opinio tantum vel dubium

171. Ut omnis tollatur amphibologia, antequam manum admoveamus ad veritatem enunciatae propositionis evincendam, praemittimus:

172. 1. Ex recepta apud omnes doctrina, actum fidei bifariam constare, tum nempe ex objecto, ut vocant, materiali, cujusmodi sunt veritates ipsae revelatae, tum ex objecto formali, seu motivo, auctoritate scilicet et veracitate Dei revelantis, quae quidem duo una cum divinae gratiae auxilio requiruntur et sufficiunt ad actum fidei theologicae constituendum. Quum proinde dicimus respectu eorum, qui auctoritatem ecclesiae catholicae rejiciunt, ut sectentur placita spiritus privati, nullam dari fidem, id intelligimus ex defectu regulae proximae uni-

versalis atque infallibilis, quae nobis tuto proponat tum veritates revelatas tum verum sensum revelationis, ita ut circa objectum materiale decipi nulla ratione possimus. Quod enim revelatio supernaturalis data divinitus fuerit, et quod talis et non alius sensus sit ejusmodi revelationis, est *quoddam factum*, de quo nobis certo constare non potest, nisi per eos, quos Deus ipse constituit ejusdem testes, depositarios ac interpretes, quales ab initio fuerunt apostoli una cum Petro, in quibus coepit ecclesia docens, quae viva semper est, ac jugiter perseverat vivo magisterio suo in Romanis Pontificibus, Petri successoribus, atque in episcopis, qui cum ipsis conjunguntur et ipsis subordinantur (1).

173. 2. Non spectari a nobis hunc vel illum peculiarem fidei actum, quem quispiam circa unam vel alteram revelatam veritatem, independenter ab ecclesiae magisterio, elicere posset, eo quod ipsi ex motivis, ut vocant, credibilitatis, vel evidenti morali certitudine de aliqua revelata veritate constare posset, ac de sensu obvio ejusdem revelationis: sed a nobis agi de toto potissimum fidei systemate, seu de universis articulis, quos omnes credere tenemur utpote a Deo revelatos. Christus enim, ut vidimus, integrum fidei depositum ecclesiae suae concrediddit, ut haec usque ad consummationem saeculi eamdem, fidem quam accepit, doceret omnes gentes: *Docentes*, ait, *servare omnia quaecumque mandavi vobis*; integrum propterea materiale fidei objectum intelligimus, non autem partiale. Quanquam, quod sedulo observandum est, nemo positive fidei actum eliciat, nisi dependenter ab ecclesiae auctoritate, a qua, saltem ab origine, didicit tum esse revelationem, et talem sensum esse revelationis circa illam peculiarem veritatem. Si quandoque enim protestantes positive aliquid credunt, credunt ex principio,

(1) Cons. Bolgeni in opere L' *Economia della fede cristiana*, Brescia 1790, cap. 1, art. 1 et seqq.

ut ita dicam, catholico, et ex ea parte catholici sunt, quod et de ceteris haereticis est intelligendum; nam nemo est haereticus vel protestans, nisi quatenus de suo vel adjecit, vel detraxit ab iis, quae ecclesia docuit aut docet.

174. 3. Adstruimus, eos hoc integrum materiale fidei objectum habere non posse, qui opponunt spiritus privati placita, seu substituunt spiritum privatum magisterio et auctoritati ecclesiae a Christo institutae; hocque ex duplici causa: tum scilicet ob regulas fidei remotas, cujusmodi sunt scriptura et traditio, de quibus ipsis constare non potest independenter ab ecclesiae testimonio; tum ob ejusdem genuinum scripturae et traditionis sensum, quem independenter ab ejusdem magisterio agnoscere nequeunt. Quae quidem evincere intendimus tum a priori, ut dicunt, tum a posteriori, a jure scilicet et facto, seu agendi ratione ipsorum protestantium. Quae quum ita sint, accedimus ad enunciatae propositionis probationem.

175. Systema fidei est systema auctoritatis. Fides enim in genere non est nisi assensus alicui praestitus ob ejus auctoritatem. Apostoli autem a Christo edocti de veritatibus fidei, has easdem tradiderunt successoribus a se delectis, ut isti pariter has easdem integras transmitterent ad seram usque posteritatem, quales eas acceperunt absque ulla discussione. Apostoli rursum eorumque successores infidelibus eas ipsas credendas proposuerunt, et, cum totum istud supernaturale systema captum rationis excederet, signa ediderunt, vel motiva credibilitatis exposuerunt, ut rationabile esset eorum obsequium erga fidem. Quod tamen spectat ad veritates ipsas, prout in se sunt, id semper expostularunt, ut omnes captivarent intellectum, et eas crederent, comminantes aeternas poenas his, qui eas credere detrectassent. Quotquot proinde crediderunt, crediderunt ob auctoritatem ecclesiae, quae testabatur a Christo seu a Deo se eas accepisse.

176. Propter infallibilem hanc ecclesiae catholicae au-

ctoritatem, divinitus institutam, fideles omnes has et non alias crediderunt veritates tanquam totidem fidei articulos, has et non alias admiserunt traditiones tanquam divinitus acceptas, hos et non alios canonicos libros tanquam divinitus inspiratos, juxta celebre Augustini effatum: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas* (1). Augustino praeiverat s. Irenaeus, eumdem sensum exprimens, dum ait, non apud alios quaerendam veritatem quam apud ecclesiam; *cum apostoli*, inquit, *quasi in depositarium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus*, etc. (2); deinde exposita successione ecclesiarum apostolicarum, ac praecipue ecclesiae romanae, a quibus quaerenda veritas esset, concludit. *Hac ordinatione et successione ea quae est ab apostolis traditio et veritatis praeconizatio pervenit usque ad nos* (3). Praeiverat s. Polycarpus, qui ex testimonio ejusdem Irenaei: *Vir multo majoris auctoritatis et fidelior veritatis est testis quam Valentinus et Marcion et reliqui, qui sunt perversae sententiae. Hic docuit semper, quae ab apostolis didicerat, quae ecclesia tradidit, et sola sunt vera* (4). Praeiverat Clemens Romanus, quem idem Irenaeus asserit, *vidisse ipsos apostolos, et contulisse cum eis, cum adhuc insonantem praedicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet* (5). Praeiverat s. Ignatius martyr,

(1) Lib. *Contra epist. fundamenti*, cap. v, n. 6.

(2) *Contra haereses*, lib. III, cap. 4.

(3) Τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διδαχῇ ἥτε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς. S. Iren. *Contra haereses*, lib. III, cap. 3, p. 176, edit. Maurin.

(4) Μαρτυροῦσιν τούτοις αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον, πολλῷ ἀξιοπιστότερον καὶ βεβαιότερον ἀληθείας μάρτυρα ὄντα, Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν κακογνωμόνων· ὃς καὶ ..... μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀλήθειαν κηρύξας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παρειληφέναι, τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδεδομένην. Ibid. pag. 177.

(5) Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους ἀποστόλους, καὶ συμβε-

quem Eusebius testatur, *hortatum esse fideles, ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent* (1), nec non Origenes, de quo pariter idem Eusebius scribit: *Ecclesiastico insistens canoni, quatuor dumtaxat evangelia testatur, his verbis: Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor evangeliis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur* (2). Eusebius ipse, eodem loco primam Petri memorans epistolam, hoc ei testimonium reddit: *Petrus autem, cui tanquam fundamento superstructa est ecclesia Christi, adversus quam nec ipsae inferorum portae sunt praevalitarae* (3). Ut nihil dicam de Tertulliano, qui in suo libro *De Praescriptionibus*, totus est in hoc principio evolvendo adversus omnes haereticos, et de iis, qui recensitas sententias exscripserunt, Cyrillo Alex., Capreolo Carthaginiensi, Vincentio Lirinensi, etc., qui unanimes in hoc principio adstruendo auctoritatis ecclesiae catholicae insistunt, sive ad veros scripturae libros ac traditiones apostolicas cognoscendas, sive ad germanum earumdem sensum excutiendum (4). Propter idem idcirco universale motivum, quo infideles christiani facti sunt, crediderunt omnibus et singulis veritatibus ab ecclesia propositis, propter auctoritatem nempe infallibilem ipsius ecclesiae, seu per idem motivum facti sunt catholici per quod facti sunt christiani.

177. Si igitur norma et regula proxima fidei nostrae est auctoritas ecclesiae proponentis, seu applicantis no-

βληκώς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κέρυγμα τῶν ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων, οὐ μόνος. Ibid. pag. 176.

(1) Προὔτρεπέ τε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 36.

(2) Τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα, μόνα τέσσαρα εἰδέναι εὐαγγέλια μαρτύρεται, ὧδέ πως γράφων· ὡς ἐν παραδόσει μαθὼν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνα ἀναντίῤῥητά ἐστιν ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. Ibid. lib. VI, cap. 25.

(3) Πέτρος δὲ ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία. Euseb. loc. cit.

(4) Cons Gerdilius, in *Comm. adv. Boehmerum*, opp. edit Rom. tom. II. pag. 77.

bis divinam auctoritatem, et conditio *sine qua certo* et infallibiliter constare nobis non potest, quaenam sint de fide tenenda, patet quod quicunque hanc rejicit, seu contra ejus auctoritatem protestatur, veram fidem habere nequeat. Nulla enim est ratio, cur quis hoc credat, aliud vero non credat; praeter proprium spiritum privatum; et eodem modo, quo quis rejicit unum articulum, potest pariter et alium respuere, atque ita porro, donec ne vel unus quidem supersit, juxta Tertulliani dictum: *Idem licuit valentinianis, quod Valentino, idem marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare* (1). Cum autem spiritus privatus per se fallibilis sit et errori ac deceptioni obnoxius, evidens est nullam esse infallibilem regulam quoad eos, qui rejiciunt auctoritatem ecclesiae, propter quam aliquid de fide credatur, ideoque intra humanae opinionis limites non concludatur quidquid ab ipsis vel admittitur vel rejicitur. Cum nemo insuper possit tanquam certam propriam tueri sententiam, alienam autem, quae suae opponitur, certe ut absolute falsam rejicere, in iis praesertim, quae humanae mentis captum superant, infertur, per hanc substitutionem spiritus privati auctoritati ecclesiae, necessario oriri dubium aliquod universale, nec quemquam unquam posse verum fidei actum elicere, ac necessario in dubio absoluto in iis, quae ad fidem pertinent, versari debere; vel si quis actum fidei elicit, non elicit, prout adnotavimus, nisi ex principio catholico.

178. Haec magis ac magis confirmantur ex doctrina et agendi ratione ipsorum protestantium. Aliquot enim dog-

(1) *De praescrip*, cap. 42, cujus integer textus ita est: « Mentior, si non etiam a regulis suis variant (haeretici) inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quod accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suae morem, profectus rei. Idem licuit valentinianis quod Valentino.... Denique penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur » (pag. 217. edit. Rigaltii, Lutetiae Paris. 1664).

mata ab initio rejecit Lutherus, alia negavit Calvinus, alia Zwinglius, alia anabaptistae, omnia demum rejecerunt sociniani, methodistae, rationalistae, deistae. Pastores genevenses adeo desciverunt a placitis Calvini, ut postremis hisce annis bellum, hactenus non sopitum, moverint adversus doctores et ministros quosdam, qui, a proposito sibi systemate discedentes, aliquot dogmata, ex. gr. peccati originalis, Trinitatis, Divinitatis Christi, adhuc retinere ac defendere conabantur (1).

179. Hinc in Recognitione protestantica protestantismus definitur : *actus independentiae rationis humanae in negotio religionis* (2). Juxta Anglicanum Watson, protestantismus est *actus*, *quo quis credit quidquid vult*, *et profitetur quidquid credit* (3) ; vel prout traditur in cathechismo anglicano nuper evulgato: *Protestantismus est detestatio papismi* (catholicismi) *et exclusio papistarum* (catholicorum) *ab omni officio ecclesiastico et civili* (4); juxta quam definitionem, licet omnia rejiciantur fidei dogmata, et omnia subvertantur moralitatis principia, dummodo rejiciatur ecclesia catholica, quisque poterit esse protestans, ideoque et judaeus et islamita imo et ethnicus. In controversia nuper habita in provinciis confoederatis Americae septentrionalis a Breckenridge, protestantismus definitur : *Religio reformata et opposita ecclesiae catholicae romanae*, *quoad doctrinam*, *moralitatem*, *regimen*, *disciplinam ac cultum*; et alibi : *Religio revelata ac consistens cum ss. Scripturis*

(1) Vid. edictum senatus genevensis latum adversus eos, quos vulgo nuncupant *Momiers*, in *Mém. cath.* Févr. 1824.

(2) *Revue protestante.*

(3) Apud Milner, *The end of religious controversy*, etc. part. 3, pag. 125.

(4) *The protestant's catechism*, *by the Bishop of Saint-David*, pag. 12. Juxta Tzschirner professorem Lipsiensem protestantismus *est un christianisme dégagé de formes gênantes* ; juxta theologos tigurinos, protestantismus consistit *in triplici libertate examinis interpretationis et publicae professionis*; et ita porro, adeo ut mira sit dissensio in ipsa protestantismi definitione.

ruam unicis fidei ac praxis seu morum regulis, *uae contra errores et corruptiones ecclesiae roma- protestatur* (1). Quae quidem definitiones congruunt ceteris allatis, cum statuant essentiam protestantis- consistere in privata scripturarum interpretatioue et estatione adversus ecclesiam catholicam. Istiusmodi cipiis insistentes nonnulli ex protestantibus rejiciunt vel illud caput e sacris libris. (2), hunc vel illum ım e censu Scripturarum divinarum; sunt qui reji- t omnem inspirationem librorum sacrorum; sunt qui mant christianismum necessarium non esse nisi ad so- moralem institutionem; sunt denique qui asserunt as actiones esse per se immorales, seu nullas dari ones *subjective immorales*, sed solum *illegales*, enus minus congruunt cum humanae societatis legi- et institutis. Omnia enim affirmant subesse necessi- naturae, nec posse dari pugnam et oppositionem in-

In *Controversy between rev. ers Hughes and Breckenridge*, delphiae 1833, cont. n. xx, p. nunquam hic provocator stetit is utrimque statutis, sed omnia t atque confundit. Mire in eum uit Cl. Comitis De Maistre di- : « Sur les points où il n'est ossible de bien raisonner, l'es- le secte fait ce qu'il peut, il *di-* », il donne le change, et sur- s'étudie à laisser les choses dans rtain demi-jour favorable à l'er- ». Soirée 8, p. 96. Et ipse qui- confugit ad loca communia in- ionis, noctis s. Bartholomaei, etc. Speciminis gratia nonnulla in- imus exempla. Duo priora ca- evangelii s. Lucae rejecerunt son in *The dissonance of the generally recei ed Evangelist, he evidence of their respecti- thenticity examined*, Ipswich, 8; J. E. C. Schmidt, *Das ähc- vangelium des Lucas*, *eine uthung*; seu *Evangelium au- thenticum Lucae*, in Henckii *Collect. pro religiosa philosophia*, *exegesi et historia ecclesiastica*, part. 5, sect. 3, pag. 473 et seqq.; Horst, *Ueber die beyden ersten Kapitelen im Evangelium Lucas*, seu *De duobus primis capitibus evangelii Lucae*, in Henckii *Musaeo*. Authentiam ultimae sectionis evangelii s. Marci, a versu 8 ad finem, multi impugnarunt; cfr. Michaelis *Begräbnis-und Auferstehungs Geschichte*, seu, *Historia sepulturae et resurrectionis*, p. 179; Telleri, *Neues magasin* etc., seu, *Nova collectio pro concionatoribus*, vol. 3, § 5, aliique non pauci apud Kuinoel, in *Comment. in lib. Novi Testamenti hist.* Caput 21 s. Joannis praeter novos templarios in ipsorum codice, qui *Levitikon* inscribitur, Parisiis vulgatus anno 1831, fere omnes recentiores biblici protestantes rejiciunt, vel saltem in dubium revocant. Cons. Kuinoel, op. cit., Clericus, etc.

ter mentem et *sensibilitatem* (1). Jam vero quis non videt hac agendi et quidlibet sentiendi licentia omnem funditus tolli christianam religionem, vel ad summum non amplius retineri christianismi nisi nomen et larvam?

180. Propterea ex dictis jam sequitur 1. Protestantismum non esse, ut cum chemicis loquar, nisi *principium dissolvens* religionis christianae, quae vitam non habet nisi in sola ecclesia catholica, quae cum ea quodammodo identificatur (2).

181. Sequitur 2. Protestantes, ac proinde haereticos omnes, nullum habere vinculum unitatis religiosae, cui propterea consulere non possunt nisi per auctoritatem civilem et politicam (3), vel per commune odium

(1) Apud Baronem De Stark, op. cit. et Trembley, pariter op. cit. Nos inferius ex his omnibus aliquot eorum, quae hic indicavimus, documenta proferemus; interim omissis quae Sociniani, antinomii, aliique sectarii docent, satis sit ea in medium afferre, quae testatur Trembley, op. cit. pag. 262 et seqq. in ipso nempe reformationis sinu doceri: « Qu'il n'y a point d' actions immorales par elles-mêmes, quoiqu' elles puissent être illégales, d'après les lois et les conventions de la société, qu' il n'y a point d'action *subjectivement immorale*, mais, que tout est soumis à la nécessité de la nature, et qu'il ne peut y avoir d'opposition entre la sensibilité et la raison ».

(2) Apposite Comes de Maistre in opere, quod inscribitur *Du Pape*, liv. II, ch. 5, scripsit: » Si le protestantisme porte toujours le même nom, quoique sa foi ait immensément varié, c'est que son nom étant purement négatif, et ne signifiant qu'une renonciation au catholicisme, *moins il croira, plus il protestera*, plus il sera lui-même. Son nom devenant donc tous les jours plus vrai, il doit subsister, jusqu'au moment où il périra, comme l'ulcére périt avec le dernier atome de chair vivante qu'il a dévoré ». Quod plane congruit cum iis quae habet Apostolus: *Sermo eorum* (haereticorum) *ut cancer serpit* (II Tim. II, 17).

(3) Experimento compertum est plurium saeculorum, sectas quae se subduxerunt legitimae auctoritati spirituali, prolapsas fuisse sub imperium saeculare seu civile, quod multo duriorem in ipsas exercet potestatem, quam unquam ante earum rebellionem in ipsas exercuerint Romani Pontifices. Quare merito scripsit Feller, *Dict. hist.* tom. VII, pag. 262. « Tous ceux, qui se sont séparés du grand corps de l'église et de son chef, n'ont jamais manqué de tomber sous une autorité profane et arbitraire ». Hoc jamdiu observaverat Melanchthon in *Praefatione* suorum operum, ubi vehementer conqueritur, jugo papali, quod non erat nisi ligneum, suffectum fuisse jugum ferreum *politicorum* seu laicorum, qui sibi arrogaverant auctoritatem terribiliorem papali. Centuriatores magdeburgenses, in *Introductione ad centuriam* VII, graviter et ipsi de eodem malo conqueruntur. Sic anglos non puduit pro Romano Pontifice Elisabetham veluti papissam habere. Sic alibi supremi

ersus ecclesiam catholicam a qua discesserunt (1).

82. Sequitur 3. quod si nonnulla adhuc christianis-
lineamenta supersunt apud heterodoxos, et omnes fru-
suos nondum protulit protestantismus apud populum,
nice repetendum esse ex incohaerentia pastorum ac
istrorum qui propriam *auctoritatem* auctoritati eccle-
catholicae substituerunt, vel ex influxu validissimo,
m adhuc, saltem indirecte, exercet catholica eccle-
in istas sectas, etsi ab ea divisas et rebelles.

83. Sequitur 4. merito nos affirmasse rationalismum
aturalismum, etc. esse verum, naturalem et neces-
um fructum illius principii, in quo tota posita est re-
atio seu protestantismus, independentiae nempe ab-
tae et completae a legitima auctoritate, seu ab au-
itate ecclesiae catholicae, quam unice Christus con-
it custodem, interpretem infallibilem, depositariam
estem suae doctrinae ac religionis.

DIFFICULTATES

84. I. Obj. Protestantes auctoritatem ecclesiae a Chri-
institutae minime rejiciunt, sed abusum istius auctoris, qui posterioribus saeculis inolevit. Immo *emen-
res sacrorum* (2), qui quovis saeculo insurrexerunt,

tiatus omnia spiritualia nego-
synodos, liturgiam, etc. mode-
r, et ministri non aliud possunt
auriculas demittere, et abjectis-
in his omnibus, velint nolint,
tiri.

Odium omnium sectarum ad-
s religionem seu ecclesiam ca-
am potest vere dici ipsarum vi-
alimentum. Indidem tot machi-
nes oriuntur, insectationes, frau-
quibus consuli potest Lessius,
cit. *Quae religio sit capessen-
Septima ratio ex dolo et frau-*
. Superius vidimus definitum pro-
testantismum in catechismo anglicano, *odium papismi*; deputati genevenses ad synodum dordrectanam declarant omnium nomine : *Nous ne voulons avoir aucune sorte d'union avec les catholiques, au contraire nous les méprisons, et nous les haïssons* (§ 15, et sess. XXV et XXVI).

(2) Ita passim Wegscheider aliique protestantes Lutherum et Calvinum designant. At apposite Cl. Comes De Maistre, lib, IV. *Du Pape*, sic ironice eos pingit : « Jésus-Christ reparut parmi nous, pour assurer solennellement à son église une assistance

nihil innovarunt in rebus fidei, sed solum protestati sunt adversus novitates, quae in eamdem ecclesiam identidem irrepserunt, fidem revocantes ad simplicitatem ecclesiae purioris ac primitivae; ergo.

185. Resp. *N. A.* et adversariorum suppositionem. Nullus enim ejusmodi auctoritatis abusus in iis, quae ad fidei ac morum integritatem spectant, juxta Christi promissa in ejus ecclesia locum habere potest. Haec autem appellatio ab ecclesia praesenti ad ecclesiam primitivam ac puriorem praeteritorum saeculorum non est nisi pallium, quo semper nisi sunt isti (non *emendatores*, sed *corruptores* sacrorum, id est, *haeretici*) cohonestare propriam perduellionem, ut populis fucum facerent. Ebionitae, elceseitae, simoniani, nicolaïtae, cerinthiani, gnostici insurrexissent adversus novitates apostolorum, et appellassent in istorum hypothesi ad puriorem ecclesiam, qualis erat vivente adhuc in terris Christo Jesu (1).

186. II. Obj. 1. Independentia religiosa protestantium non est absoluta, sed circumscribitur sacris bibliis, quae sunt codex revelationis. Cum igitur quidpiam ipsi de fide tenent, illud tenent ob auctoritatem sacrae scripturae, quae perspicue ejusmodi articulos, in quos credunt protestantes, in se continet; ergo independentia religiosa ab auctoritate ecclesiae in sensu protestantium non officit, quin aliquid de fide credatur (2). 2. Imo ex hoc intelligitur, quomodo ecclesia protestans *una* sit, non minus quam ecclesia romana, quum una fide et sacramentorum administratione juxta mentem sui fundatoris

aussi durable que le monde. Mais hélas! cet effort de l'amour tout-puissant n'eut pas à beaucoup près tout le succès qu'il annonçait. Par défaut de science ou de force, ou par distraction peut-être, Dieu manqua son coup et ne put tenir sa parole.... bien tôt cette religion sainte, révelée à l'homme par l'Homme-Dieu, ne fut plus qu'une infâme idolâtrie, qui durerait encore, si le christianisme n'eût été brusquement ramené à sa pureté originelle par deux misérables ».

(1) Cfr. s. Iren. *Contra haereses*, loc. cit.

(2) Ita *Revue protestante*; cui addi potest D. Breckenridge, in *Controversia americana*, loc. cit.

ristì) omnes fideles conjungat, ut Otto bene expo-
(1). Vel prout rem explicat D. Tittmann, 3. adeo si-
ecclesia protestans unitatem vindicat, ut *a*) sacram
pturam pro unico revelationis fonte habeat, *b*) sem-
rnam veritatis propagationem et *c*) continuum eccle-
christianae progressum admittat (2); ergo.

87. Resp. Ad I. *Neg.* rursum *antec.* et suppositum.
ecta semel ecclesiae catholicae auctoritate, unde con-
protestantibus libros sacrae scripturae fuisse inspira-
et divinos, vel inspiratam fuisse quamlibet ipsorum
em nisi ex ipso spiritu privato, qui est solus judex
pendens inspirationis? Nonne Lutherus expunxit in-
os libros e censu scripturae divinitus inspiratae? Et
Lutherum nonne recentiores quidam Germaniae pro-
ntes divinam inspirationem plurimarum partium scri-
ae, imo et totius scripturae formaliter rejecerunt (3)?

In opere, quod inscribitur *Der olik und der Protestant*, id est, *olicus* et *Protestans*.

Ueber die Einheit in der evan-hen Kirche, seu *De unitate in sia evangelica*, Lipsiae 1826.

Cons. *On the state*, etc. seu *tatu religionis protestantis in ania*, R. Hugh James Rose; uctor licet anglicanus deplo-latum, ad quem demum deve-rotestantismus in Germania; ibi stantes nonnulli accusant s. Pau-postolum judaismi, Semlerus e ipsum affirmat fuisse gnosti-alii, ut Ammon, Wegscheider, e, etc. omnem supernaturalem tionem et inspirationem Spiri-ncti ab auctoribus sacris explo-imo scriptura universa non est uaedam introductio ad rationem 1. Baro de Starck, op. cit. pag. cum nonnulla excerpta attulis-udii doctoris biblici ac superin-tis protestantis Heldesiae, qui s *Aperçus primitifs du Chris-me*, edit. anno 1808, accusat Christum Dominum velut falsarium ac perjurum in mortis conspectu, utpote qui prodidit veritatem solemni jurejurando coram judaeis, etc. demum refert ejusmodi tractum: « D'aprés l'évangile de Matthieu, la doctrine est exposée avec beaucoup de supplémens étrangers et de changemens; il ne peut par conséquent servir de règle de foi. L'évangile de Jean et ses lettres ne sont pas de lui, mais l'ouvrage de quelque juif. On y trouve plusieurs choses blâmables et contradictoires; la doctrine en est gnostique. Paul, dans ses lettres, n'a point quitté ses idées judaïques; il continue de croire à la divinité de la religion juive, d'admettre une résurrection réelle de la chair, et on ne trouve point chez lui la doctrine de la providence. Les lettres de Pierre et de Jacques et celle aux Hébreux sont comme celles de Paul; en général, les écrits du Nouveau Testament ne peuvent produire aucun corps de doctrine bien lié et bien avéré, etc ». Sed satis est oculos conjicere in ipsos bibli-

Nonne ex reformatis Benjaminus Constant, cui concinit recognitio protestans, aperte tradit libros Veteris Testamenti corruptos magna ex parte fuisse a spiritu sacerdotali Esdrae, quem exasperaverat infortunium (1)?

188. *Neg.* praeterea *conseq.* Etenim si spiritus privatus est solus interpres et quidem independens sacrorum codicum, quidquid putat quis se invenisse ad fidem pertinens, de fide erit, quidquid vero ad fidem minime pertinere existimaverit, omnino respuet. Tot proinde erunt fidei symbola, quot capita, immo cum quisque opinionem suam saepe mutet, erit de fide hodie, quod cras erit falsum. Nihil proinde fixum in tali systemate habetur praeter perpetuam inconstantiam et fluctuationem. Nulla alia fidei regula erit praeter subjectivam ac privatam uniuscujusque persuasionem, seu potius opinionem vel dubium. Experientia et historia id evidentissime ostendunt (2).

corum neotericorum libros, ut quisque certior fiat, quo tandem devenerint protestantes. Quae enim adduximus non sunt nisi levia lineamenta, et tamen hi sunt, qui pro unica religionis basi sumpsisse sacram scripturam gloriantur!

(1) Op. cit. *De la religion considérée dans sa source*, etc. tom. II. pag. 242: « L'Histoire des juifs, *scribit*, ayant été recomposée de nouveau par Esdras (ut ipse gratis affirmat) qui était de race sacerdotale, et qui, dans son zèle, *aigri* par le malheur, exagérait la sévérité des lois de Moïse, les livres hébreux durent se pénétrer de l'esprit sacerdotal, etc.

(2) Cons. *Lettre de M. Laval ci-devant ministre à Condé-sur-Noireau, à ses anciens correligionnaires*, Paris 1823; in qua inter cetera invictissime ostendit, protestantes ex suis principiis non posse affirmare aut in quo consistat vera fides, aut quid sint biblia, quia eadem ratione qua primi reformatores e sacrorum librorum numero aliquot expunxerunt, eodem jure et ex eodem principio quisque potest alios et alios expungere, quin argui possit, vel tolli e numero protestantium, cum ita se gerat ex subjectiva persuasione et juxta libertatem, qua primi reformatores usi sunt, prout reipsa se se gesserunt, ut vidimus, biblici protestantes. Atque hic obiter praevenienda est difficultas, quae objici posset, nempe etiam inter catholicos extitisse atque extare non paucos, qui non minus absurda circa religionem ac sacros libros protulerunt, nec tamen istorum aberrationes adscribi posse seu imputari religioni catholicae, sic a pari protestantismo imputari non posse privatorum deliramenta. Reponimus enim, ingens esse discrimen inter catholicos et protestantes; illi enim agunt *contra* propriae religionis principia, quae ejusmodi deliramenta proscribit et damnat, resistunt auctoritati, etc., at protestantes agunt *ex reformationis principiis*, *natura et essentia*, quae consistit, ut toties diximus, in libertate examinis quam habet spiritus privatus, cum indepen-

189. Ad 2. *D. Una* sit nomine ac negative, *Tr.* re et positive, *N.* Nisi velis sub unica fide totam omnium contradictionum congeriem comprehendere; ut si quis dicat: *Christus est Deus*, alter vero: *Christus non est Deus*, haec eadem fides est, ideoque ambo eamdem fidem profitemur et ecclesia nostra una est; et sic dicatur de ceteris omnibus articulis. Quare saepe provocati protestantes ad communem fidei professionem edendam nunquam adduci potuerunt ad id praestandum; cur vero, nisi quia ex protestantismi fundamento hoc est ipsis impossibile? Si enim fundamentum ac ipsa natura et essentia protestantismi, ut protestantes saepe professi sunt, consistit in independentia religiosa individuali in materia fidei, clare patet, impossibile omnino esse, ut ipse possit unam habere fidem, imo nec fidem ipsam, cum fides in hoc systemate non pendeat nisi a subjectiva uniuscujusque persuasione, quae et individua est, fallax atque inconstans. Ex quo sequitur, non aliam in protestantismo reperiri posse unitatem nisi negativam, quae scilicet consistit in negatione fidei cujuscumque.

190. Ad 3. *Neg.* vindicari etiam hac ratione posse fidei vel ecclesiae unitatem, sive tria argumenta a Tittmann adducta seorsim, sive simul sumantur. Non sufficit *a*) quod ecclesia protestans habeat scripturam sacram pro unico revelationis fonte; alioquin sociniani et methodistae, unitarii omnes, rationalistae, etc. qui omnia dogmata rejiciunt, sive Trinitatis, sive Divinitatis Christi, Incarnationis, transmissionis peccati originalis, realis Christi praesentiae, etc. constituerent unam ecclesiam, et profiterentur fidei unitatem cum lutheranis et supernaturalistis protestantibus, qui illa se adhuc profiteri contendunt; omnes enim recensiti sectarii habent Scriptu-

dentia a quacumque auctoritate, et proinde nemo jus habet istos erroris arguendi, contra accidit in communione catholica, cujus fundamentum est principium auctoritatis ecclesiae docentis.

*

ram sacram pro unico revelationis fonte. Imo omnes prorsus omnium saeculorum haeretici, qui tot paradoxa effutierunt, servarent fidei et ecclesiae unitatem, eo quod omnes Scripturam pariter pro unico revelationis fonte habuerint, quod quam absurdum sit nemo est qui non videat.

191. Id ipsum dicatur de sempiterna veritatis propagatione, quae secundo loco recensetur, quid enim sibi vult adversarius illa *sempiterna veritatis propagatione*? Haec enim vel sunt verba sensu vacua, vel si quem sensum habent, nihil aliud significant nisi sempiternam *confusionis* et *chaos* propagationem; tot enim pene sunt, ut vidimus, in protestantismo sententiae quot capita; alter ex ipsis affirmat quod alter negat, donec desperatione compulsus protestantismus omnes ubique fere rejecerit libros symbolicos, omnemque fidei professionem; et tamen Tittmann loquitur de sempiterna veritatis propagatione, quamvis ignoret penitus, quale sit hujus veritatis objectum.

192. Sed neque sufficit quod tertio loco posuit, quod scilicet *continuum ecclesiae christianae progressum* admittat, cum non alius progressus in protestantismo sit, nisi de errore in errorem. Adeo enim protestantismus hodiernus differt a protestantismo primitivo, ut, excepto principio fundamentali nuper memorato de independentia individuali, toto coelo ab illo differat; cum omnes abjecerit veritates, quas primi protestantes cum ecclesia catholica adhuc retinuerant; ad quam defectionem cohonestandam recentiores excogitarunt principium *perfectibilitatis*, id est, destructionis.

193. Dixi praeterea illam unitatem tria haec a Tittmann recensita etiam simul sumpta non constituere, cum nulla secta sit cui accommodari non possint; simoniani, nicolaïtae, etc. potuissent pariter sibi ejusmodi unitatem vindicare, etsi jamdiu evanuerint, prout evanescet protestantismus, non obstante sua *sempiterna veritatis propagatione et continuo progressu.*

194. Inst. Satis saltem erit implicite credere ea omnia, quae Christus docuit, seu ut loquitur Otto (1), juxta mentem sui Fundatoris; ergo.

195. Resp. *Neg.* Necesse enim est credere ea, quae Christus docuit per ecclesiae magisterium, id Fundator religionis christianae voluit, id non semel patefecit, ut ex adductis testimoniis patet. Alioquin inutilis plane fuisset ejus revelatio, penitus ignoraremus fidei nostrae objectum, religionis veritates jam nullum in nos influxum exercerent, et in perpetua versaremur fluctuatione. Eo magis quod ejusmodi ignorantia voluntaria sit, atque a perduellione et contumacia proveniat.

PROPOSITIO VIII.

Haeretici et schismatici declarati extra Christi ecclesiam sunt

196. Hic non loquimur, ut ipsa propositionis enunciatio indicat, de iis qui in haeresi vel schismate ignorantia invincibili seu, ut ajunt, bona fide versantur. Hos siquidem anima saltem seu spiritu ad veram Christi ecclesiam pertinere, ut infantes omnes rite baptizatos, nemo est qui dubitet. Neque pariter loquimur de haereti-

(1) In opere *Der Katholik und der Protestant*, in quo ea refricat, quae ante ipsum alii dixerunt, atque inter ceteros Baronissa de Staël, in suis *Considérations sur les principaux événemens de la révolution française*, tom. III, p. 15; ubi scribit: « Il n'est aucune question ni de morale, ni de politique, dans laquelle il faille admettre ce qu'on appelle autorité. La conscience des hommes est en eux une révélation perpétuelle, et leur raison un fait inaltérable. Ce qui fait l'essence de la religion chrétienne, c'est l'accord de nos sentimens intimes avec les paroles de J. C.; *et alibi* : Le droit d'examiner ce qu'on doit croire est le fondement du protestantisme. Les premiers réformateurs ne l'entendaient pas ainsi. Ils croyaient pouvoir placer les colonnes d'Hercule de l'esprit humain aux termes de leurs propres lumières; mais ils avaient tort d'espérer qu'on se soumettrait à leurs propres décisions, comme infaillibles, eux qui rejetaient toute autorité de ce genre dans la religion catholique » (*De l'Allemagne par Mad. Staël*, IV part. ch. II, in 12, pag. 13).

cis aut incredulis, vel occultis, vel nondum ab ecclesia solemni judicio declaratis. Quamdiu enim isti ab ecclesia sejuncti aut expulsi non sunt, ad ejus saltem corpus spectant. Propositio igitur est de illis, qui exterius ab ecclesia divisi sunt, et in separatam ac distinctam ab ipsa societatem aut coetum coalescunt, et quidem per voluntariam ac culpabilem defectionem.

197. Hos autem neque ad animam, neque ad corpus, ut ajunt, ecclesiae, seu nullo modo ad ecclesiam pertinere facile est evincere. Sectarii atque schismatici, ut superius vidimus (1), sunt veluti totidem rami excisi a magna illa arbore, quam Christus plantavit, ut crescerct usque ad consummationem saeculi, sunt rivuli a fonte separati, membra a corpore recisa. Utpote perduelles, atque in proprio sensu pervicaces contra ecclesiae definitiones, ipsos eadem ecclesia damnavit atque exscidit ab unitate. Ecclesia juxta Christi mandatum eos habet velut ethnicos et publicanos, et cohaerenter ad Pauli aliorumque apostolorum doctrinam et praxim veluti proprio judicio condemnatos et subversos devitat (2), nec ulla ratione cum eis communicat, nec sinit in spiritualibus communicare cum ipsis filios suos. Ergo haeretici atque schismatici voluntarii tam alieni sunt ab anima ecclesiae, quam alienus et extraneus est error a veritate, et divisio et confusio ab ordine et individua unitate; tam sunt alieni a corpore ipsius ecclesiae, ut membrum a corpore abscissum, ut ramus ab arbore avulsus, ut rivulus a fonte divisus, ut rebelles ac refractarii a societate depulsi atque extorres. Hinc sicut nulla est conventio Christi ad Belial, et nulla societas lucis ad tenebras, sic nulla haereticis et schismaticis pars et cum Christo ejusque regno seu cum vera Christi ecclesia.

198. Haec proinde semper fuit et sententia et praxis

(1) Prop. IV, corol. 2. (2) loc. cit.

antiquitatis in revelatione fundata. Christus ipse, ut supra animadvertimus, in Apocalypsi acriter objurgat Angelum seu episcopum ecclesiae Pergami, eo quod pateretur in sua ecclesia quosdam *tenentes doctrinam nicolaïtarum*, et idcirco injungit ipsi poenitentiam (Apoc. II, 15). Apostolus Paulus in Epistola ad Galatas anathema dicit iis, qui docerent diversam doctrinam ab illa, quam ipse tradiderat (Galat. I, 6). S. Joannes scripsit ad Electam et filios ejus: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (II Joan. v, 10 et 11). Hinc ab aetate ipsa apostolica cerinthiani, ebionitae, etc. jam segregati erant ab ecclesia, Irenaeo teste (1). Cum idem s. Joannes Cerinthum in balneo invenisset: *Fugiamus*, inquit, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus est veritatis inimicus* (2); sic B. Polycarpus Joannis discipulus, cum ei obviam Romae venisset Marcion, dicens: *Agnosce nos*, respondit ei: *Agnosco te primogenitum Satanae*, ut refert idem Eusebius, qui post hujus facti narrationem e vestigio subdit: *Adeo religiose cavebant apostoli eorumque discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant* (3). Origenes deseruit domum cujusdam ma-

(1) *Contra haereses*, lib. III, cap. 28. Id etiam aperte affirmat apost. Joannes, qui Epist. I. cap. II, 18 et 19, loquens de haereticis, dicit: *Et nunc antichristi multi facti sunt.... ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis*, permansissent *utique nobiscum*, etc. Et s. Hieronymus, *De scriptoribus ecclesiasticis*, testatur eumdem apostolum, rogatum ab Asiae episcopis, se contulisse ad conscribendum suum evangelium, ut illud opponeret Cerintho aliisque haereticis, et maxime ebionitarum dogmati tunc consurgenti; cons. praeterea Tertull. *Adv. Marcionem*, lib. III, cap. 8.

(2) Apud s. Iren. loc. cit. cap. 3, et apud Eusebium *Hist eccles.* lib. IV, cap. 14. Verba, quae ab apostolo Joanne prolata refert s. Irenaeus, haec sunt: Φύγωμεν, μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ.

(3) Τοσαύτην οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μὴ δὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχασσόντων τὴν ἀλήθειαν. Euseb. loc. cit. Haec quidem Eusebius ex Irenaeo *Contra haereses* lib.

tronae a qua alebatur, maluitque pauper ac sine hospitio esse quam ibi diutius commorari, eo quod quidam haereticus ibidem degeret, licet ipsius occursum omni studio effugere contenderet (1). Tertullianus haereticos omnes interrogabat: *Qui estis, et unde venistis*, etc. (2)? Tum: *Edant ergo*, sic eos perstringebat, *origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem* (3). Hinc prodierunt haereticorum catalogi, quos exhibuerunt s. Irenaeus, s. Epiphanius, s. Augustinus aliique ad nostram usque aetatem (4). Ergo haeretici schismatici quavis aetate tanquam omnino ab ecclesia Christi extranei habiti sunt.

199. Cujus rei causa obscura non est. Alioquin enim ecclesia Christi esset commixtio veritatis cum omnibus erroribus atque absurditatibus, quae ab humana ignorantia ac perversitate excogitari unquam possent, prout reipsa excogitatae sunt ab haereticis sive antiquioribus sive recentioribus (5); si cuilibet impune fas esset innovare, jam nullum daretur adjumentum ad cognoscendam atque intemeratam servandam veritatem, quam Christus e coe-

III, cap. 3, edit. Maurinorum.

(1) Eusebius *Hist. eccles.* lib. VI, cap. 2.

(2) *De praesc.* cap. 2.

(3) Ibid. cap. 32.

(4) Cons. *Historia haereseon* Bernini; ac postea Petri Paletta S. J. *Storia ragionata delle eresie*, Verona 1797; *Dictionnaire des hérésies*, par M. l'abbé Pluquet; etsi plures in his operibus desint ex recentioribus sectis nuper exortis.

(5) Vere affirmari potest de haereticis cujusque aetatis, quod de philosophis dicebat Tullius, nihil esse tam absurdum, quod dictum non fuerit ab aliquo philosophorum; sic nihil est tam absurdum ac impium sive circa fidem, sive circa mores, quod dictum non fuerit ab aliquo haereticorum, et quidem prout observatum est, juxta germana haereseon principia earumque naturam, quae tota est in substituendo spiritum privatum auctoritati legitimae. Nos, qui brevitati studemus, nonnisi pauca exempla dedimus, sed interea, ex paucis quae adduximus et adducemus, quisque poterit speciem aliquam sibi efformare absurditatum, in quas ducit haeresis natura et principium fundamentale.

lo detulit, atque ecclesiae suae patefaciendam gentibus omnibus tradidit, dareturque in ecclesia absoluta confusio ac sententiarum perturbatio ; in tanta porro opinionum varietate et discrepantia nulla via pateret ad veritatem cognoscendam, anceps quisque esset circa id quod esset credendum vel agendum ad salutem obtinendam, vel cuipiam saltem pro lubito fas esset credere vel agere quidquid sibi bonum videretur. Quae omnia, quam absurda sint et Christo iujuriosa, quisque videt ; siquidem actum esset de ipsa revelatione.

200. Sequitur autem ex dictis 1. inepte sibi placere protestantes, perinde ac si ad Christi ecclesiam pertinerent, vel ceteros omnes, qui christianum nomen gerunt, eo quod in Christum se credere profitentur. Necesse enim praeterea est, ut pertineant ad unitatem tum fidei tum regiminis, qualem Christus instituit, et ut teneant eam doctrinam, quam Christus per ecclesiam suam homines docuit.

201. Sequitur 2. ex desperatione inveniendi veritatem et ob insitam eorum systemati fluctuationem et perpetuas varietates, protestantes adductos ad hoc fuisse, ut scilicet proclamarent tolerantismum religiosum universalem omnium sententiarum, opinionum ac paradoxorum quarumcumque sectarum, quae eodem innituntur principio independentiae a quavis auctoritate, ejusdemque fructus legitimi sunt (1).

202. Sequitur 3. hanc veram esse causam communis

(1) *Les protestans*, inquit Sismondi (*Revue encyclopédique*, Paris, Mars 1826, art. *Opinions religieuses*), « n'ont pas toujours bien compris leur propre système ; ils n'ont pas toujours senti que l'indépendance des opinions individuelles était l'essence de leurs églises (haeretici enim habent *ecclesias*, nunquam *ecclesiam*), ils n'ont pas toujours renoncé à l'uniformité de croyance, et ils ont paru quelquefois embarrassés de ce qu'on leur reprochait leurs variations et les nombreuses dissidences qu'on trouvait entr'eux. Encore aujourd'hui une moitié des protestans, persistant dans la même erreur, combat pour l'unité des doctrines, quoiqu'avec bien peu de chances de l'obtenir, parce que chacun cherche cette unité dans un système différent ».

illius odii, quo protestantes, quodcunque gerant nomen, prosequuntur ecclesiam catholicam, quae ipsis nunquam cessat objicere verba Christi: *Nescio vos*, neque eos in sua unitate et communione consistere patitur.

203. Sequitur 4. haereticos et schismaticos se quidem ab ecclesia separasse, vel fuisse per eamdem expulsos ab unitate, nec tamen eorum errores ac perduelliones ecclesiae Christi unitatem vel scindere vel laedere unquam potuisse.

DIFFICULTATES

204. I. Obj. Si haeretici vel schismatici in ecclesia non essent, nullam in ipsos ecclesia jurisdictionem exercere posset; atqui ex sententia catholicorum ecclesia veram potest in eos exercere jurisdictionem; ergo.

205. Resp. *D. M.* Si nullo titulo ad ecclesiam pertinerent, *C.* aliter *N.* Jam vero haeretici et schismatici ratione baptismi subditi ecclesiae facti sunt, et cum perpetuus atque indelebilis sit character, quem ipsi ex baptismo receperunt, hinc ecclesia perpetuum atque inalienabile jus habet in ipsos, licet perduelles ac refractarios, quamdiu ipsi in vivis sunt, multo magis quam princeps in subditos suos, licet rebelles contra ipsius auctoritatem.

206. Inst. Ecclesia ipsa haereticos quandoque atque schismaticos e societate sua rejicit atque expellit; ergo.

207. Resp. *D. A.* Rejicit atque expellit, ut puniat et corrigat, atque a contagionis periculo filios suos innoxios servet, *C.* abdicando jus, quod in ipsos habet *N.*

208. II. Obj. 1. Licet sadducaei graviter in fide errarent, 2. ac decem tribus schismaticae essent respectu ecclesiae judaicae, non ideo cessabant pertinere ad veram ecclesiam; ergo a pari, licet haeretici atque schismatici a fide ecclesiae catholicae ejusque unitate discesserint, ad veram Christi ecclesiam pertinere non cessant.

209. I. Resp. ad 1. *D.* Quia nullo solemni judicio

fuerunt a synagoga expulsi, ideo pertinebant ad verae ecclesiae corpus, *Tr.* pertinebant ad animam *N.* Erant enim in corpore ecclesiae, prout nunc sunt tot increduli, qui ad ecclesiae corpus pertinent, etsi nullo modo nec illi pertinuerint, nec isti pertineant ad ecclesiae animam. Juvat praeterea iterum referre, quod de sadducaeis habet Josephus Flavius, quod scilicet ceteri judaei illis nullum munus publicum concrederent, nisi publice saltem a corporis morte animas superstites esse profiterentur, (1), seu nisi assentirent pharisaeorum sententiae.

210. Ad 2. *D.* Schismaticae erant civiliter seu politice, *C.* religiose *subd.* plerique, *C.* omnes *N.* Plures enim semper fuerunt in decem tribubus, qui mosaica instituta rite servabant, et statutis temporibus Jerosolymam Deum adorandi causa ascendebant, nisi per vim ab hujusmodi officio impedirentur (2); qui vero in decem tribubus idololatriam sectabantur, neque ad animam neque ad corpus ecclesiae judaicae pertinebant.

211. Resp. II. *N. conseq.* et paritatem, quia Christus apertis verbis alium rerum ordinem induxit in ecclesiam suam.

212. III. Obj. 1. Omnes, qui in Christum credunt et habent charitatem erga proximum, sunt veri Christi discipuli, dicente Domino: *Creditis in Deum, et in me credite* (Joan. XIV, 1); tum: *Qui credit in me, habet vitam aeternam* (Joan. VI, 47); et alibi passim; 2. ac rursum. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. XIII, 35); ergo quicumque in Christum credunt et proximum diligunt, sunt in vera ecclesia Christi.

(1) *Antiquitatum*, lib. XVIII, cap. 1, n. 4. En ejus verba: Ὁπότε γὰρ ἐπ' ἀρχὰς παρέλθοιεν, ἀκουσίως μὲν καὶ κατ' ἀνάγκας, προσχωροῦσι δ' οὖν οἷς ὁ φαρισαῖος λέγει, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γινέσθαι τοῖς πλήθεσιν.

(2) Atque hinc patet, quam insulse Voltaire in *Questions sur l'encyclopédie*, art. *Prophéties*, dicat plures prophetas fuisse schismaticos.

213. Resp. ad 1. *D. A.* Omnes qui credunt in Christum et credunt ea omnia, quae Christus docuit, et credenda per ecclesiam proposuit, seu eo modo quo Christus vult, *C.* eo modo quo volunt haeretici *N.* Quandoquidem Christus ipse apostolis dixit : *Docentes servare* OMNIA QUAECUMQUE *mandavi vobis* (Matth. ult.); ergo non partem aliquam, et prout unicuique libet. Addo adhuc haereticos ignorare quid Christus sit, utrum Deus scilicet an homo tantum, etc.

214. Ad 2. *D.* Cognoscent an sint *veri* discipuli, et non solum fidei professione, sed et operibus bonis, quorum praecipuum est charitas, *C.* an discipuli *simpliciter N.* Vult enim Christus Dominus discipulos suos cognosci ex bonis operibus, quae fidem commendent. Sunt enim aliqui, de quibus loquitur Apostolus, qui *verbis profitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit. I, 16); quo sensu etiam dicebat apostolus Jacobus : *Ostendam tibi ex operibus fidem meam* (Jacob. II, 18). Addatur haereticos nec veram hanc charitatis dilectionem habere, nec habere posse. Etenim sine fide nulla veradatur charitas, quae commisceri non debet cum liberalitate, docente Apostolo : *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultas meas . . . charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (I Cor. XIII, 3).

215. IV. Obj. Plures interdum in schismate vixerunt, in eoque defuncti sunt, nec tamen ab ecclesia Christi extorres habiti fuerunt, quin etiam nonnulli in sanctorum album sunt relati. Tales fuerunt sancti Meletius et Paulinus antiocheni episcopi, talis Lucifer calaritanus, plures ex iis, qui Acacii schismati adhaeserunt; ergo.

216. Resp. *D. A.* Plures, bona fide, atque in dubio de vero ac legitimo episcopo vel Pontifice, *C.* alias *N.* Idem enim dicendum est de schismatibus partialibus quod de generalibus, quando scilicet Pontifex est dubius, ut supra notavimus. Meletius porro et Paulinus viri sancti erant,

et uterque communicabat, saltem mediate, cum universa ecclesia. Lucifer calaritanus vel in unitate ecclesiae defunctus non est, neque inter sanctos ab ecclesia universali recensetur, vel saltem eum ante mortem poenituit, ut aliqui volunt (1). Nulli pariter ex iis, qui Acacii schismati adhaeserunt inter sanctos relati fuere, quin potius Euphemii et Macedonii constantinopolitanorum Antistitum nomina e sacris dypticis expuncta sunt, eo quod Acacii nomen in dypticis retinuerint (2).

PROPOSITIO IX.

Protestantismi origo ac variae phases ipsius arguunt falsitatem

217. Eadem nempe ratione, qua origo, stabilitas ac perpetuitas ecclesiae catholicae, prout superius demonstravimus (3), ejus divinam institutionem invictissime ostendunt, sic origo ac perpetua vicissitudo et successus, quos subiit protestantismus, non minus quam sectae omnes, quae in ecclesia passim excitatae sunt, invictissime ejus arguunt falsitatem.

218. Divinum opus omnes praesefert characteres divinos, quibus facile ab humano quocumque molimine secernitur; talis porro est ecclesia catholica, quae a sua origine semper eadem immutabiliter stetit, semper sibi constans, semper praeseferens divinae adsistentiae, ac divinarum promissionum signa atque argumenta, ut ex iis, quae hactenus dicta sunt, quisque intelligit. *Dei enim perfecta sunt opera; apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (Deut. XXXII, 4; Jacob. I, 17).

(1) Vid. Nat. Alex. *Hist. eccles. saeculi* IV, cap. 6, art. 11.

(2) Ibid. *Saec.* V, cap. 3, art. 16, circa finem. Nec non Petrus Ballerinius in appendice ad § 1, cap. 2, operis *De vi ac ratione primatus.*

(3) Part. I, cap. 4, prop. 1 et seqq.

219. Jam vero protestantismus saeculo XVI ortum suum habuit ab apostata Luthero ex aemulatione privata Ordinis, cui ipse nomen dederat; dein incrementum coepit ex pervicacia ac perduellione contra constitutionem Leonis X, qui nefarios illius proscripserat errores. Tunc primum rerum *sacrarum hic restitutor* proclamavit principium protestantismi de absoluta spiritus privati independentia ab ecclesiae auctoritate. Quo principio semel constituto coepit totum religionis christianae aedificium labefactare, prout ipsi libuit. Rejecit indulgentias, purgatorium, missas privatas, necessitatem bonorum operum, statuit articulum de *sola fide justificante*, sustulit omnia fere sacramenta. Ad haec adjecit Scripturarum corruptionem, expunxit plures libros e censu *hagiographorum* scriptorum, nec tamen in hac re sibi unquam constans fuit; saepe affirmat quod negaverat, negat quod affirmaverat (1), projectus in omnem libidinem, arrogantia tumens, ita ut saepe videatur spiritu satanico correptus (2).

220. Ex eodem protestantismi destructivo principio velut ex equo trojano plures statim proinde *sacrorum emendatores* Zwinglius in Helvetia, Calvinus in Galliis, Carolostadius in Germania, Munsterus in Westphalia, etc. qui *emendarunt* suo sensu quod *inemendatum* reliquerat Lutherus, seu verius subverterunt quod intactum adhuc ille servaverat. Sed et isti *novos emendatores* nacti sunt in quakeris, fratribus bohemis, pietistis, herrnhutanis, swedenborgianis, arminianis, et in socinianis, qui rursus dejecti de loco, quem sibi usurpaverant, *emendati* fuerunt ab illuminatis et philosophis, ac demum a rationalistis ac naturalistis. Protestantismus in innumeras

(1) Vid. *Catechismus christianus D. Martini Lutheri*, ex ejus operibus simul collectus per Ludovicum Upleber, 1744, qui denuo recusus fuit Augustae Vindelicorum anno 1828, cum hac inscriptione: « Diss. Christophori Besold, motiva sui reditus ad rom. cathol. ecclesiam elaborata, translata et edita per P. W. K. appendix secunda ».

(2) Vid. Lessius, diss. cit. cum ejus appendice.

e sectas sive frustula divisas est, quae se invicem ita pridem damnabant atque anathematizabant (1), quantum poterant, morte mulctabant (2).

21. Donec, ad saniora consilia se recipientes ejusi emendatores coeperunt serio secum consulere de foeineundo, praesertim inter duas principales sectas lunorum et calvinistarum, plures prodiere libri ex utraparte ad pacem hanc conciliandam (3), ast irrito co-

Sic enim, ut diximus, protes vocant haeresiarchas saeculi Simon magus fuit primus *emensacrorum*, quem postea tercenalii subsecuti sunt usque ad Lum et Calvinum. Postremum lointer hos *sacrorum emendato*btinent rationalistae, seu potius, qui sacra omnia plenissime larunt.

Nemo est, qui ignoret Luthe-Melanchthonem, Bugenhagen, m ac theologos Ulmae et Tue pronuntiasse, anabaptistas, ut*haereticos*, posse morte mulcta: reipsa Müller, Kraut et Peisker s sententiam Jenae subisse, coote Melanchthone notum est; emprunt submersiones aliaque sup, quibus in Helvetia isti enthuie affecti fuerint; Servetum Calvisu fuisse igne combustum, Gentiapite truncatum res pariter noa est. Poët reformatorum coryis in Galliis decrevit imitandum Calvini exemplum in catholicosupplicio, quod ipse dederat res. Serveti (isti tamen accusant caos intolerantiae!); et sane epissacerdotes, religiosos cathopassim ab ipsis morti datos esraesertim in rusticorum bello, dirigebant reformationis praecoindubiis monumentis compertum id. Baro de Stark, op. cit. pag. et seqq.

Foederis conditiones, a theoloeidelbergensi David Paraeo, in *Irenico*, 1614 propositae, non stomacho rejectae sunt a Luthe; proponebant autem, ut doctrinae, in quibus ambae sectae a se invicem non discrepabant, fundamentales declararentur, quique hoc inficiaretur *syncretista* vocaretur. Gustavus Adolphus, occasione cujusdam principum conventus, auctor fuit, ut collatio institueretur inter theologos lutheranos et calvinistas anno 1631, in qua confessio augustana velut fundamentum sumeretur, quam reformati, absque propriae doctrinae detrimento, facile admittere potuissent, nihil tamen factum est; prout nihil pariter profuit colloquium in urbe Cassel anno 1661 habitum inter theologos marburgenses et wittenbergenses. Decretum tamen ibi editum est, quo statuebatur, ne propter articulos, de quibus convenire non poterant, se invicem injuriis lacesserent, neve calumniis objurgarent, vel odio prosequerentur, sed unusquisque alterius partis assectas vera membra *unicae veraе ecclesiae* haberet. Haec porro conventio dicta fuit *unio conservativa*; verum theologi lutherani, qui illius participes fuerant, in *syncretistae* notae suspicionem incurrebant. Paria prae se ferebant ea, quae proposuit theol. tubingensis Pfaff in diversis opusculis collectis et vulgatis anno 1723, 2. vol. in 4, quibus titulus: *Gesammelte Schriften, so zur Vereinigung*, etc., seu, *Collectiones ad stabiliendam concordiam*, etc. Utraque pars, aiebat ipse, habet articulos necessarios ad salutem; diligant ergo se ut fratres, et adhuc residuam opinionum diversitatem patienter ferant, ita quidem ut in posterum liberum unicuique sit, *coenam* ex manu luthe-

natu; saepius instituta sunt colloquia religiosa, praecipue Lipsiae anno 1631, et Maulbruni anno 1654, ast nec ipsa optatum effectum consequuta sunt. Sub saeculi XVIII initium, adnitente vel maxime Borussiae rege, qui Berolini templum pro utraque confessione, ut ajunt, erexit ac dedicavit, denuo tentata pax est, sed obsistentibus lutheranis res infecta cessit. Novi exarati libri ad eumdem scopum obtinendum, ac nova data edicta praesertim a Borussiae rege Guillelmo I, anno 1736, quibus jubebat calvinistas recedere a doctrina de praedestinatione, lutheranos vero a consuetudinibus abstinere, quas adhuc cum religione catholica retinebant; donec Fridericus II anno 1740 sectis omnibus plenam libertatem restituit. Quo tempore etsi nihil directe ad unionem ineundam molitus fuerit Fridericus, attamen longe lateque recentiori philosophia, rationalismo ac naturalismo sese diffundentibus, omnis difficultas sublata videbatur. Sed necdum optatam pacem sunt assequuti. Ipsius successor Guillelmus III, 18. Junii 1798, emisit edictum, in quo proposuit novam liturgiam, qua ambae confessiones uterentur, quin tamen ulli liturgiam illam acceptandi obligationem imponeret; sed et istud edictum nullum alium effectum obtinuit, quam ut scriptores non pauci e grege rationalistarum uuionem plenis buccis praedicarent, ac omnibus eam factam esse suaderent. Cum anno 1817 jubilaeum reformationis celebraretur, qui illic sacra moderabantur, die 27 Septembris publice declararunt se optare, ut unio quam primum locum haberet; plura ad illam stabilien-

rani vel calviniani praedicatoris accipere. Hoc vero consilium, saltem apud lutheranos, fautores non habuit; ipse Leibnitius et Molanus ei adversabantur. Vid. Amiraldus calvinista, in op. cui titulus; « De secessione ab ecclesia romana, deque pace inter evangelicos in negotio religionis constituenda, 1647, *et dein in* Irenico, *anno* 1662; *Calixtus*, De tolerantia reformatorum circa quaestiones inter ipsos et augustanam confessionem professos controversas consultatio, 1697; « vid. *Hist. eccles.* D. Hortig, continuata a Joan. Jos. Ignat. Doellinger, sacrae theologiae prof. in universitate Monachiensi.

praescripta sunt, indictae synodi, Berolini aliisque cis calvinistae et lutherani in eodem templo sacram um celebrarunt, ea lege, ut quisque circa realem ti praesentiam crederet quidvis prius quisque sibi aserat, sive panem scilicet, sive reale Christi cor- Haec unio, quae partialis fuit, *ecclesiae evange-* sibi nomen adscivit anno 1818. Synodis nova ec- e constitutio proposita fuit, et anno 1820 edita de- est nova liturgia, quae librum symbolicum unitae iae constituit, atque omnibus ecclesiis commenda- uae rursum anno 1834 indicta est (1); attamen hoc 1 anno 1834 contra hanc liturgiam scripsit D. J. G. bel (2).

2. Et haec de varietatibus sectarum protestantium in d doctrinam vero quod attinet, et haec, ex prin- a Luthero posito de omnimoda independentia spiritus i ab ecclesiae auctoritate in bibliorum interpretatio- uas conversiones subiit (3). Non pauca dogmata, ut us, rejecerat Lutherus, multo plura rejecerunt ejus uli, donec agentibus potissimum gallis et anglis na- tis et latitudinariis necnon Friderico II, Borussiae ac demum philosophia kantiana, eo deventum est, es omnis ac ipsa etiam religio revelata, si tamen 1 excipias, extincta videatur.

ic inita tandem, aliqua sal- parte, pax fuit religiosa in- ranos et calvinistas, licet tam ina quam in constitutione, es maxime essentiales, diffe- er se, ac tam acriter inter micatum fuerit, ut, teste io, in *Hist. eccles.* vol. IV, 2, a tempore reformationis i majori odio et detestatione fuerint calvinistas quam ipsos s. Quoad unionis seu socie- us documenta consulatur fo- riodicum religiosum, cui ti- *Der katholik*, id est, *Catho- licus*, editum a D. Weiss, Spirae anno 1834, mens. April. fasciculo IV, pag. 1=26; mens. Mai. fasc. V, pag. 141—181; mens. Jun. fasc. VI, pag. 280—310.

(2) *Actenmaessige Geschichte*, etc. seu, *Historia authentica tentaminis reformatam et lutheranam ecclesiam uniendi per quamdam* agendam *communem*, etc. Lipsiae 1834.

(3) Quae quidem jamdiu praedicta fuerant a Bossuet ac Fenelon inter catholicos, ac Leibnitio inter protestantes.

223. Etenim ex systemate kantiano distingui debet religio vera a religione seu fide ecclesiastica. Religio vera est religio rationis, quae sola admitti potest; fides ecclesiastica est fides praestita veritatibus positivae revelationis. Religio revelata nec potest nec debet aliud esse quam simplex vehiculum ad facilius invehendam religionem rationis, quam alio nomine vocat *fidem religiosam*, cujus objectum ex propria cujusque hominis ratione erui potest. Quo purior et universalior fiet fides haec religiosa, sensim sine sensu deficiet fides ecclesiastica. Hinc statutus canon ad exponendas sacras Scripturas, non aliud scilicet in illis esse quaerendum quam solam religionem rationis; reliqua vero non esse nisi involucra vel accommodatitium quid ad vulgi opinionem, quae tunc vigebat, quum scripturae editae sunt, vel ad privatam biblici scriptoris opinionem. Juxta Jacobium ejusque asseclas religio, perinde ac quaevis alia scientia philosophica, in naturali et immediata fide, in perceptione veri et supernaturalis absque probatione, id est in scientia intuitiva consistit; alia, praeter hanc internam, revelatio nec ulla forma externa religionis existit (1). Quo convenit, saltem ex parte, *philosophia identitatis*, invecta a Schelling ejusque discipulo Daub, nec non doctrina de *absoluto*, quod in historia tantum sui conscium (id est personale) sit, et de reditu, qui aliquando fiet omnis separati ad identitatem, adeoque de annihilatione omnis personalitatis (2).

(1) In lib. *De rebus divinis*.

(2) Dum dicimus ex principio independentiae spiritus privati a legitima auctoritate omnes sectas ortas esse, omnesque errores illos profluxisse, inter quos fluctuant protestantes, non exclusis ipsis rationalismo ac naturalismo, quos affirmavimus fructum germanum esse principii reformationis, duo haec confundere non debemus, quae occasionem querimoniae dederunt protestantibus. Plures enim inter ipsos conqueruntur, catholicos injuste adscribere principiis reformatoris saxonis errores, qui non solum ex illius doctrina non profluunt, verum etiam toto coelo eidem adversantur; Lutherus enim per Adae peccatum prorsus periisse hominis arbitrium autumavit, humanamque rationem penitus obtenebratam; rationalistae autem utrumque rejiciunt, ac

4. Hinc nova prodivit exegesis sacrorum librorum, quam sublata sunt miracula et vaticinia omnia, incti mythi, adoptatum systema, ut vocant *accomtionis* (1). Eminent in hac schola Paulus Hetzel, iorn, uterque Rosenmüller (2), Koppe, Heinrichs ünoel.

5. Semler oppugnat inspirationem scripturarum, plubros expungit e canone, Vetus Testamentum in contum adducit, opponit religioni exteriori ac publicae ecclesiasticae religionem interiorem et moralem pri- ı (3). Gruner asserit christianismum, jam sub fi-

m sibi solam sufficere obten- ssentimur propterea et nos do- professori Möehler, qui in sua *ica*, pag. 353. primae edit. adstruit, recentiorem theolo- rotestanticam reactionem esse ssimam atque completam ad- antiquam, rationemque terri- ne modo se vindicasse de to- ressione, ad quam eam re- it reformatores, quae onus ea in se suscepit in omnibus icendi illorum doctrinae. Ast obstantibns, verissimum est, se principium formale prae- a reformatoribus, cuique Lu- t rationalistae inaedificarunt, s ope propugnarunt suas re- nes atque doctrinas. Absolu- sitio, quam invenimus inter li protestantes, maxime evin- tatem illius principii formalis entalis, atque necessitatem il- toritatis, quae nobis verum t sensum verbi Dei, et propo- nservet ac semper tueatur di- revelationem in sua integrita- e in unico suo sensu. Itaque ec distingui debent, princi- ilicet generale ac fundamen- rmationis a Luthero invectum endentia rationis ab auctori- peculiare doctrinae Lutheri. Systema rationalismi adver- peculiari doctrinae Lutheri, ideoque ab eo recedit rationalista; quatenus autem hoc systema provenit ex independentia, rationalismus genuinus fructus est reformationis, ut ceteri errores omnes, quos recensuimus.

(1) Cujus auctor videtur Semler. Cons. Hug. James Rose, op. cit. *Sur l'etat de la religion protestante.*

(2) Etsi Rosenmüller junior in suis scholiis in libros Veteris Testamenti majori moderatione usus esse videatur, in Daniele tamen, edit. anno 1832, nullam plane temperantiam servavit, sed abjudicat, Danieli prophetiam ejus nomine inscriptam, vel saltem suspectam reddit, valde probabile existimans ante annum Christi ducentesimum aut centesimum octogesimum nondum fuisse scriptum vilumen, quod Danielis nomine inscribitur. Ad gravissimam vero Christi Jesu auctoritatem, qui, referente Matthaeo (cap. XXIV, 15) et Marco (cap. XIII, 14), praedictionem, quae in Daniele cap. IX, 27 legitur de futuro templi jerosolimitani excidio, Danieli prophetae tribuit, respondet Jesum ex recepta tunc aequalium suorum sententia loquutum esse; de ipsius scholiis tacebo; vid. proëmium § 3.

(3) Recolantur superius relata ex opere ministri protestantis Baronis de Starck.

*

nem saeculi I, in suis principalibus doctrinis per doctrinam platonicam fuisse corruptum, atque idcirco rejicit christiana mysteria. Eckermann contendit doctrinam Jesu nihil amplius esse quam popularem instructionem ad moralem et rationabilem cultum Dei; insuper evangelia esse corrupta, et apostolicas epistolas falsas continere interpretationes et errores. Henke querebatur de nimis adhuc dilatata *christolatria* tanquam de impedimento magnae et beneficae *revolutionis* in rebus religiosis. Wegscheider, cujus operis dogmatici, quod classicum apud rationalistas audit, saepe in priori hujus tractatus parte mentionem fecimus, supernaturalem revelationem minime necessariam, quin imo impossibilem declarat. Ad eumdem censum pertinent Roehr, Boehme, Schultess, nec non Schott, Bretschneider et de Wette, qui postremus in dogmatibus christianis non aliud videt praeter expressionem symbolicam religiosarum idearum. Utpote omni humanitate expertes, incredibilique arrogantia tumentes, doctrinas christianas aggressi sunt Basedon et Car. Frid. Bahrdt (1).

(1) *Generalis bibliotheca germanica*, ab anno 1768, medium erat sive organum ac vehiculum omnium aptissimum ad omnes ejusmodi impietates disseminandas. Quique alios audacia et impietate superabat, primas habebat, summis laudibus in hac pessima bibliotheca afferebatur. Cum impossibile sit errores, quos isti docuerunt et docent, singillatim persequi, ut aliqua saltem idea habeatur istarum impietatum, placet ea referre, quae scribit protestans Joan. Tremblay, in op. cit. « Considérations sur l'état present du christianisme » *pag.* 62 : « Plusieurs prédicateurs, *ait ipse*, (en Allemagne) ne nient pas, à la vérité, l'existence de Dieu, la Providence, une vie future, et cependant enseignent publiquement qu'on ne peut proprement rien savoir de ces vérités fondamentales de la religion, représentent, non seulement dans les églises mais aussi dans les écoles, comme nulles les preuves de l'existence de Dieu tirées de la considération de l'univers, soutiennent que tout ce qu'on peut affirmer c'est qu'on homme vertueux doit désirer qu'il y ait un Dieu. On sait qu'ils en disent autant du christianisme, et affirment que J.-C. a enseigné la même doctrine, et que la bible ne doit être employée que comme une introduction à la raison pure, quisqu'on ne peut pas plus prouver la révélation que l'existence de Dieu ». Et tamen isti sunt professores in universitatibus et curam gerunt animarum! Cons. praeterea opus cui titulus: *Der Triumph.* etc. seu, *Triumphus philosophiae saeculi* XVIII, Germantown 1803, auctore eodem De Starck, qui edidit *Convivium Theoduli*. Nunc in medium prodeat minister genevensis Chastel, et principii loco statuat; « Qu'on peut

226. Post haec, non est quod aliquis quaerat, quid sentiant protestantes, praesertim rationalistae et naturalistae, circa singulos fidei christianae articulos. Satis sit observare nonnullos ex ipsis eo devenisse, ut dicere non erubuerint, Joannem Baptistam et Christum Jesum foedus inter se iniisse, ut alter Praecursoris, alter Messiae personam sustineret (1), et alii scripserint apologiam Judae Iscariotis (2).

227. Libros fere omnes, sive veteris sive novi foederis, vel prorsus rejecerunt, vel eorumdem authenticita-

distinguer en deux classes les dogmes du christianisme; les uns sont reconnus antérieurement à l'interprétation de l'évangile, et sans eux il n'y a point de christianisme; ce sont les dogmes de l'existence de Dieu, de la mission divine de J.-C. et l'inspiration des écrivains sacrés; nous les appellerons *primitifs*. Les autres dérivent d'une interprétation déterminée de l'évangile, après que celui-ci a été reconnu pour règle de foi... nous les appellerons *d'interprétation* (*De l'usage des confessions*, etc. pag. 2)»; circa prima dogmata affirmat omnes christianos convenire; quoad dogmata interpretationis asserit convenire catholicos; reformatos vero consentientes esse circa dogmata *primitiva*, dissentientes vero in dogmatibus *interpretationis*. At ex allatis documentis patet falsum esse protestantes et reformatos consentientes esse circa dogmata primitiva, nam et illa destruxerunt. Observat praeterea fidei confessiones non fuisse obligatorias nisi saeculo III, easque causas fuisse divisionum et multiplicationis haereseon. At in hoc dupliciter labitur, quia fides coepit esse obligatoria a sua promulgatione, ut patet ex epistolis apostolorum; et symbolum apostolicum statim obtinuit ab ipsa praedicatione evangelica, etsi daremus non esse confectum ab ipsis apostolis, quod tamen Rufinus cum aliis affirmat; 2. adeo multiplicatae fuerunt haereses duobus prioribus ecclesiae saeculis, ut Hippolitus, Eusebio test, *Hist. eccles.* lib. VI. cap. 20, secundo saeculo labente, librum scripserit adversus triginta duas haereses; quod ante ipsum jam praestiterant Hegesippus, qui floruit sub Hadriano, et Melito, et Bardesanes haereticorum malleus nuncupatus, apud eumdem, lib. IV, cap. 22, An haec ignorantiae vel malae fidei ministri protestantis vel utrique simul adscribenda sunt?

(1) Ita Becker *Historiae universalis ad usum juventutis*, vol. III, ubi Christum Dominum et Joan. Baptistam velut ferventioris ingenii homines (Feuerkoepfe) traducit, qui ad excutiendum jugum sacerdotum judaeorum, quorum detestabantur superbiam et hypocrisin, post longas deliberationes convenerunt inter se, ut alter Praecursoris, alter Messiae personam gereret. Wieland in *Agathodemon*, Berolini 1799, vocat Christum *nobilem theurgum judaeum*; alibi eum ut enthusiasten traducit, lib. IV, pag. 335 et 355.

(2) Edita est a praedicatore evangelico, qui nititur Christum accusare, quod sibi socium adsciverit Judam, hunc vero ab omni macula purgare suae proditionis. Cons. *Correctiones pro amicis et inimicis catholicismi*, a Joan. B. Pfeilschifter, edit. Offenbachii ad Moenum 1831, pag. 116 et seqq.

tem in dubium revocarunt. Quo potissimum tempore protestantismus sibi ecclesiae evangelicae titulum adscivit, ut observat Reinhard, scripturae et evangelii auctoritatem plerique ex protestantibus rejiciebant. Inter libros Veteris Testamenti maxime Pentateucho historica abjudicatur auctoritas; eum Davidis aut Salomonis aetate confectum asserunt Vater atque Gesenius, tanquam epos declaratur a de Vette. Alii, ut Fulda et Nachtigal, universum Vetus Testamentum serius ortum aperte pronunciant. Idem contigit libris Novi Testamenti; Eichhorn omnia evangelia tardiorem habuisse originem contendit; Vogel, Horst, Ballenstedt, Bretschneider evangelium Joannis genuinum esse negant, imo opus cujusdam gnostici illud esse autumant (1). Schleiermacher, Borussiae regis concionator, primam epistolam ad Timotheum Apostolo Paulo abjudicat, Eichhorn utramque rejicit, ac illam praeterea quam Paulus ad Titum scripsit. Juxta hunc auctorem Apocalypsis non est nisi drama, in quo excidium judaïsmi atque ethnicismi exprimitur; Semler prius eamdem rejecerat veluti furentis auctoris librum. Tria priora Evangelia, Matthaei nempe, Marci et Lucae a communi quodam fonte syrochaldaico, quem *Urevangelium* vocant, hausta fuisse tradunt Lessing, Semler, etc. ac praesertim Kuinoel (2). Quod vero accidit integris libris, a fortiori singulis librorum sacrorum partibus evenit, quarum vix ulla est, quae non traducatur ab uno vel altero tanquam subdititia vel interpolata; nos nimis taederet singula persequi.

228. Interea ex his, quae vix a nobis delibata sunt, sive circa protestantismi originem et vicissitudines, sive

(1) Cons. Hughes James Rose, op. cit.

(2). Vid. Joan. Gregorii Rosenmüller *Scholia in Novum Testamentum*. edit. VI,. tom. I, in praef., ubi *de quatuor evangeliis*, pag. 2. et seqq., nec non Kuinoel, *Comment. in lib. N. T. historicos*, Lipsiae 1832, vol. I, prolegomena § 1, *De origine evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae.*

circa fructus, quos protulit tum in doctrina, sive theoretica sive practica, sive circa exegesin et criticam sacram, sic argumentum perstringimus. Quod a pessimo atque eversore principio originem ducit, quodque natura sua infert opinionum et sententiarum divisionem et sectas, et eo tendit ut omnem fidem, proindeque religionem omnem revelatam e medio tollat, ac nonnisi ad dubium quoddam universale inducat, et morum corruptionem inferat, certo non potest esse a Deo ejusdem revelationis auctore, et secum fert propriae falsitatis ineluctabilia argumenta, dicente Christo, *non potest arbor bona malos fructus facere .... ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Atqui ex dictis talis est protestantismus; ergo.

229. Atque hinc sequitur 1. divisionem intrinsecam esse atque essentialem protestantismo, nec nisi per quamdam conventionem ac mutuam cessionem posse inter se diversas sectas coalescere, facultatem praebendo, ut unaquaeque in negotio religionis id sentiat, quod unicuique magis lubet, prout factum vidimus in foederatione inita inter lutheranos, et calvinistas, quasi ageretur de latifundio; proindeque unitatem essentialiter opponi naturae protestantismi.

230. Sequitur 2. neminem protestantium, si principio essentiali reformationis adhaerere velit, habere jus alteri exprobrandi propria sensa religiosa ut impia et absurda (1).

231. Sequitur 3. frustra nonnullos protestantes adhuc gloriari, quod protestantismus habeat pro basi ac regula purum verbum Dei, tum quia seposita ecclesiae auctoritate nunquam ipsis constare potest, quodnam sit istud Dei verbum, quum nullus fere sit liber, cujus authen-

(1) Sic enim statuit *Revisio protestantica* : *Notré croyance n'est que la liberté d'examen*, (anno 1825, 4. livraison, pag. 153), et alibi : *Ce principe fondamental du protestantisme est admis aujourd'hui sans restriction* (5. livr. pag. 151).

ticitas in dubium revocata non sit, et non revocetur; tum quia absque ecclesiae auctoritate nunquam ipsi certi esse possunt de inspiratione divina sacrorum librorum, quae pariter vel penitus abjudicata est ab universa scriptura, vel saltem in dubium revocata quoad plures libros; tum denique quia, si verbum Dei pendeat ab interpretatione spiritus uniuscujusque privati, nullus est error, nullum paradoxum, quod non cohonestetur per verbum Dei sic expositum, prout anabaptistae, quakeri, sociniani, methodistae et alii novatores faciunt. Quomodo enim verbum Dei, prout litteris consignatum est, potest regula esse fidei, si tota lis fere semper vertitur circa sensum verbi Dei? Quicumque in judicio lites agitat, legem pro se habere contendit, et nisi judex foret, qui sententiam ferret, nullus unquam liti et controversiae finis esset. Nullus unquam haereticus extitit, qui non jactaret pro se esse verbum Dei, ita gnostici, ita manichaei et ceteri omnes qui non secus ac protestantes in innumeras prope sectas seu frustula divisi sunt, quod pariter contigit arianis, aliisque omnibus sectis ab ecclesia separatis, quae proinde omnes aeque perierunt (1).

232. Sequitur 4. hanc potissimam rationem esse cur tot ex privatis et principibus viris, doctrina et eruditio-

(1) Gnostici cito in quinquaginta sectas divisi sunt, ipsis fatentibus Moshemio, Clerico, Beausobrio, apud Gibbon, op. cit. lib. 1, cap. 15. Tertullianus, loquens de Marcionitis, dicebat: *Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et marcionitae.* Recensentur novemdecim fidei confessiones spatio quatuordecim circiter annorum editae ab arianis apud Petavium, *De Trin.* lib. 1, cap. 7, n. 13. Et sic ceteris omnibus evenit. Quod attinet ad nostros protestantes, res adeo aperta est, ut ipsimet nunc de hac variatione glorientur. Certe impossibile est, ut ipsi possint confessionem fidei elicere sive communem sive perpetuam; non *communem*, quia juxta ipsos fides est *negotium individuale*; non *perpetuum*, quia eorum religio assimilari potest tabulis metereologicis, in quibus attendendum est ad diem, horam, locum atque atmospherae statum, utrum humidus an siccus, supra vel infra *nero*. Hinc protestantes non possunt dicere nisi: *Ego credo in me, protestor contra ecclesiam romanam.* Cons. epistola data ad redactores Revisionis protestanticae in *Mémorial catholique*, mense Februario, anno 1827.

onspicui, ejusmodi chaos, quod necessario protestano inest, animadvertentes, ad ecclesiae catholicae grem, a quo eorum patres, recesserant, se se recepe, ut in illa conscientiae pacem nanciscerentur, quam ra inter tot sententiarum varietatem ac fluctus protetismi quaesierant. Dum contra nonnisi pauci sordidiapostatae, caelibatus ac propriae vocationis pertacad protestantismum defecerunt aut deficiunt (1).

DIFFICULTATES

33. Obj. 1. Etiam ecclesia catholica suas vicissitudipassa est. 2. Fidei definitiones, quas identidem eca catholica emisit, totidem argumenta sunt progresac perfectibilitatis systematis, quod adoptavit protetismus. 3. Quid porro sunt fidei dogmata, quibus

Innumeri prope sunt nobilitaoctrina et eruditione insignes, d religionem catholicam ab inijus saeculi, tum in Germania, n Anglia, Gallia et foederatibus Americae redierunt. Lonesset catalogum texere. A mulnis in Hungaria id animadverquod singulis annis ex *frigebus catholicis* ad religionem tanticam a 30 ad 40 migrent; vero ex protestantibus a 500 ad d ecclesiam catholicam se con; licet provocati protestantes, factum negarent altum tamen um servarunt. Cons. *Universaticus relig. et eccles. et Cordens eccles.* a D. Benkert Her(Würzburg) edit. n. 9, 28 1834, pag. 10 et seqq. Dixi*frigescentibus catholicis*, quia ma est observatio Cl. Comitis istre, hoc discrimen intercenter catholicos et protestantes ad firmitatem in sua religiouod quo catholicus innocentioae est, eo tenacius ecclesiae suae adhaeret, et eo magis fluctuat, quo inquinatioribus moribus diffluit; e contra, quo magis protestans vel sectarius corruptus mente et corde est atque in vitia effusus, tanto est firmior in sua secta; et quo integrioribus moribus praestat, eo magis dubitat de veritate suae sectae, et ad religionem catholicam accedit. Et sane ut plurimum, qui ad protestantismum nunc accedunt quinam sunt, nisi perditi quidam apostatae sacerdotes vel religiosi ad omnia vitia projecti? Nempe quod veteribus haereticis solemne fuit, recentioribus etiam familiare est, quod citatus Tertullianus illis exprobrabat, dicens: « Ordinationes eorum temerariae, leves.. Nunc neophytas conlocant ... Nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est » (*De praescr.* cap. 41, edit. Rigaltii). Hoc possem pluribus exemplis illustrare, nisi ageretur de re notissima.

gloriatur ecclesia catholica, nisi unius vel alterius Patris istius ecclesiae inventa, vel formulae verborum sine sensu (1)? 4. Cum proinde vera lux non prodierit nisi saeculo XVI, ex illo tempore clariores semper radios emisit ad tenebras dissipandas, quas ecclesia tum decipiens tum decepta effuderat, ac fanatismus et dominandi libido foverant, donec emendatores sacrorum, captivitatis illius vincula solventes, in libertatem et se et nos asseruerunt. 5. Atque hinc ratio eruitur cujusdam inconstantiae atque fluctuationis, quae tum in ipsis tum in primis eorum discipulis interdum conspicitur, circa plures vel pauciores articulos quos retinuerunt, cum nec uno temporis momento potuerint omnes ideas illas deponere, in quibus ab infantia fuerant enutriti (2). Nec est 6. quod rationalismus nobis objiciatur aut naturalismus; si enim res bene perpendatur, rationalismus est proprius ecclesiae catholicae; et caput ecclesiae romanae spectari debet ut verus rationalista; etenim ipse praetendit spiritum suum internum seu rationem suam, intra sui pectoris veluti penetralia, posse per immediatam inspirationem divinam sententias legesque proferre, quae norma sint in rebus fidei, etiamsi desit, vel illi opponatur Scriptura. Item concilia ecclesiae catholicae sint *naturalistica*, *rationalistica* seu phantastica, quatenus ipsa confirmant proprias sententias, non jam in solo canone infallibili verbi Dei scripti, sed in praetensa ac fallaci illustratione interna et inspiratione Spiritus Sancti, prout potissime concilium Tridentinum se gessit (3); ergo.

(1) Sic Henke in *Hist. eccles.* cujus iteratae editiones, continuationes et compendia communem plausum, quo apud protestantes fuit excepta, ostendunt. In hujus porro historiae initio statim evangelistae ut mendaces, apostoli vero ut corruptores doctrinae Jesu Christi traducuntur. Huc referuntur pariter historiae dogmatum a protestantibus passim vulgatae.

(2) Ita respondere solent protestantes, cum ipsis objicitur recessus a doctrina emendatorum suorum.

(3) Sic Ernestus Sartorius, prof. Theol. dogmat. et moral. *Dorpart.* in *Beitraege zur*, etc., id est, *Collationes ad defensionem evangelicae orthodoxiae*, Heidelbergae 1825.

234. Resp. ad 1. *Dist.* In disciplina mutabili et accidentali, *Tr.* Vel *C.* in fidei morumque doctrina *N.* Jam enim ostendimus ipsos adversarios nobis ultro dare vel a primo ecclesiae saeculo omnia germina catholicae doctrinae reperiri. Saepius provocati adversarii, ut assignarent epocham mutationis, quam nobis objiciunt, nunquam id efficere potuerunt, prout superius ostendimus.

235. Ad 2. *D.* Id est majorem recepti jam dogmatis dilucidationem, ex occasione eorum qui aliquem articulum impugnarunt *C.* per novorum dogmatum introductionem *N.* Nempe ex occasione, qua aliqui receptam in ecclesia doctrinam temerare infami ausu aggressi sunt, ecclesia accuratiori examini subjecit controversum articulum, ipsumque sibi vindicavit per expressam illius articuli definitionem et condemnationem oppositae novitatis. Ita constanter se gessit ecclesia, quod ut obtineret, semper ad vetusta monumenta ac receptam fidem provocavit, ut ex historia conciliorum unicuique constare poterit. Protestantismus contra, per suum perfectibilitatis inventum, unum post aliud omnia fidei dogmata rejecit, donec vel ipsum fidei nomen sustulerit, et tunc demum summam adeptus est, ad quam tendebat, perfectionem, omnia scilicet destruendo (1).

236. Ad 3. Respondeo fidei dogmata esse totidem veritates divinitus revelatas, quas a Christo ecclesia accepit ad posteros transmittendas et intemerate servandas ab edaci novatorum dente, prout, divina ope suffulta ha-

(1) Vadem damus hujus assertionis non suspectum D. Müller profess. Schaffusiae: « Des Théologiens mêmes, *inquit*, se font une affaire de noyer la religion dans un vain déisme,... Tous ensemble sciemment ou sans s'en douter tiennent la même conduite, et le langage suivant: déchirons et jetons loin de nous ces liens, qui attachaient à la foi et au devoir nos ignorans et ténébreux ancêtres ». *Vid.* « Recherches hist. de Müller dans ses lettres confidentielles à Briester, » 1801, pag. 41, et pag. 69, 88, ubi citat textus Schrock et Vincentii Lirinensis ad judicium ferendum novi *perfectibilismi* protestantium. *Celui-ci*, inquit De Starck (op. cit.) *est au but, quand il aura atteint l'athéisme.*

ctenus praestitit, ac praestabit usque ad consummationem saeculi, juxta fundatoris sui pollicitationes. Quod attinet ad supposita Patrum inventa, respondeo non esse istam nisi gratuitam adversarii assertionem, omni destitutam fundamento, imo plane contrariam omnibus historicis documentis. En quid de ecclesiae Patribus jam suo tempore scripserit s. Augustinus : *Quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt* (1); et longe ante s. Augustinum Tertullianus dicebat: *Quicumque hac regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri* (2), et ita distinguebat catholicos ab haereticis, qui suis novitatibus antiquam doctrinam ecclesiae catholicae temerare audebant, ut innumera ejusmodi testimonia praeteream, quae impudentissimi mendacii arguunt adversarium nostrum, qui nonnisi imperitis fucum facere potest. De formula verborum, quam dicit sensu vacuam, satis disseruimus, nec opus est eadem refricare.

237. Ad 4. *D.* Qualis lux nempe jam affulserat simonianis, nicolaïtis, ceterisque haereticorum pestibus, usque ad Lutherum et deinceps, seu a diabolo excitata, *C.* lux quae a Deo sit *N.* Optime Tertullianus : *Sed quaeritur a quo intellectus interpretetur eorum, quae ad haereses faciant? A diabolo, cujus sunt partes intervertendi veritatem* (3). Mirum sane est Christum ecclesiae suae non prospexisse nisi a tempore Lutheri ejusque sociorum perduellionis et apostasiae nec antea cognitum fuisse principium regenerationis per sexdecim integra saecula. Apposite rursum Tertullianus : *Quod apud multos unum invenitur non est erratum sed traditum. Audeat*

(1) Lib. II, *Contra Julianum*, n. 34, tom. X, edit. Maur.

(2) *De praescript.* cap. 37.

(3) Ibid. cap. 11.

ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt? Quoquomodo sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu haereses non erant. Aliquos Marcionitas et Valentinianos (Lutheranos et Calvinistas) *liberanda veritas expectabat; interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot chrismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata* (1). Libertas vero, in quam nos asseruerunt, est solutio ab omni freno et subjectione legis evangelicae divinorumque mandatorum, ita ut neque islamitae tanta licentia, credendi nempe quidquid placet, et faciendi quidquid lubet, utantur.

238. Ad 5. *D.* Id est in destructionis progressu, a quo sive quodam irresistibili conscientiae clamore, sive contraria animorum dispositione detinebantur, *C.* secus *N.* Nimirum ejusmodi *emendatores* vel statim non agnoverunt omnes principii a se constituti pessimas consecutiones, vel nondum satis firmi in impietate ab iis exhorruerunt, atque ut proprium est eorum, qui periculum vident nec pedem a praecipitio retrahere valent, nituntur per incohaerentiam in medio itinere consistere. Ast abyssus aperta erat, impulsum ipsi dederant, eorum discipuli omnem harum consecutionum necessarium nexum sequuti sunt, magisque obfirmati antecessorum exemplo, post varias fluctuationes demum fructus omnes illius destructivi principii collegerunt, quos afferre debebat. Sic cadaver per aliquot tempus lineamenta servat, quae postea, cum corruptum ac dissolutum est, amittit. Sic contigit protestantismo. Bossuet ac Fenelon ejusmodi dissolutionem jamdiu praeviderant atque praedixerant; eventus veritatem ejusmodi praedicationis comprobavit.

(1) Ibid. capp. 38 et 39, edit. Rigaltii.

239. Ad 6. *D.* Ea nempe ratione, qua datur participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, aut conventio Christi ad Belial, *C.* alia ratione *N.* Si rationalismus est proprius ecclesiae catholicae, ut impudentissimus auctor affirmat, qui fit, ut ecclesia catholica illum damnet et anathematizet, et rationalistae pejus quam a cane et angue abhorreant ab ecclesia catholica? Nonne hoc est vocare lucem tenebras et Christum Antichristum? Quanquam hic opus non sit plura congerere ad depellendam calumniam, quum vel ipsi protestantes rationalistae ejusmodi invento glorientur; Wegscheider unus ex ejus antesignanis recenset auctores rationalismi, qui omnes protestantes sunt (1). Kantius, a quo potissimum originem duxit, nonne protestans est? Nonne protestantes ii sunt, a quibus mysticismus et fanatismus prodiere (2)? Porro, si jus suum est cuique tri-

(1) Op. cit. Sic enim inter cetera scribit in praefatione: cap. 11, « Omnino progressus in litterarum doctrinis ... effecti *plerosque protestantium ecclesiarum socios* ad altiora quasi scientiae atque culturae templa adduxerunt, unde aliam fidei religiosae formam ac speciem intuentur, quam majoribus nostris pro illius aetatis rationibus licuit ». Et clarius adhuc. (proleg. cap. 1, §. 13): « Protestantismus autem, *inquit*, quum accurata et subdita librorum sacrorum indagatione nitatur, eorumque argumentum ad verum vitae usum transferre studeat, utrumque autem pro illorum librorum diversa indole, saepius obscura, nisi rationis artisque usu obtineri nequeat, jam ab initio reformationis ecclesiae primis ejus auctoribus hic rationis usus adeo observabatur, ut in ipsa sacrorum emendatione *rationalismi germina* clarissime appareant ». Ac demum ibid. not. *k*, ostendere nititur rationalismi principia fuisse a Luthero posita, et concludit: « Quae cum ita sint, theologi recentiores, qui ad Lutheri exemplum, clarissimisque rationibus ducti ultra libros symbolicos et usum rationis, quem dicunt formalem, sapere tandem aliquando didicerunt, suo jure, sicut Lutherus, recte, uti videntur, neque ideo calumniandi sunt ».

(2) Celeres rationalismi progressus inter protestantes, ejusque aperta oppositio contra quodlibet christianismi principium divisit protestantes in duos, ut ita dicam, ingentes exercitus, in *naturalistas*, qui rejiciunt positivam Dei revelationem, et *supernaturalistas*, qui ipsam admittunt. Qui quidem postremi iterum in duas classes subdividuntur, quarum altera ad unguem sectatur Lutheri placita, admittitque propterea libros symbolicos seu fidei professiones una cum aliqua hierarchica constitutione suarum ecclesiarum, prout in Borussia potissimum viget; altera vero est *pietistarum* seu *mysticorum*, qui libros symbolicos rejiciunt, neque obsequi se profitentur nisi interiori Spiritus Sancti lumini. Pietistae in Ger-

buendum, teneant protestantes quod suum est; iste est fructus sive effectus illius magnae lucis, quae demum regnum suum adepta est saeculo XVI, et illius libertatis, quam in mundum intulit Lutherus cum ceteris suis *sacrorum emendatoribus*.

240. Atque hinc responsio patet ad id quod subdit idem auctor de Romano Pontifice ac de conciliis ecclesiae catholicae rationalistis, naturalistis, phantasticis, eo quod definitiones edant per inspirationem immediatam sine scripturis et contra scripturas. Cui unquam id persuadere poterit? Nunquam Pontifex aut concilia definitiones fidei edunt nisi in verbo Dei seu revelatione divina fundatas, quae pervenit ad nos tum per scripturam tum per traditionem (de qua in tractatu de locis theologicis); nihil sive Pontifex sive concilia de suo obtrudunt, sed testes sunt doctrinae, quam Christus docuit et apostoli tradiderunt, prout supra exposuimus. Aliud porro est divina adsistentia, qua suffulta est ecclesia juxta Christi promissa, aliud illa divina immediata inspiratio, de qua loquitur adversarius, quam nunquam sive Pontifex sive concilia sibi vindicant, quum edunt fidei definitiones. Divina inspiratio non tribuitur a catholicis in iis, quae ad religionem pertinent, nisi hagiographis scriptoribus. Sola divina adsistentia tribuitur tum Romano Pontifici ex cathedra, ut ajunt, decernenti, tum ecclesiae sive dispersae sive in conciliis congregatae. Divinae autem adsistentiae nomine designant illam peculiarem opem atque specialem providentiam, qua Deus ita praesto est ecclesiae suae, ut non patiatur illam in errorem labi, quacumque demum ratione id obtineat; verificari enim debent Christi dicta: *Portae inferi non praevalebunt adversas eam;* et: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem*

mania suae sectae fundatores agnoscunt Philippum Jacobum Sperner, comitem Zinzendorf, Frid. Wantenville et Spangenberg.

saeculi, aliaque ejusmodi. Si adversarius legisset concilium Tridentinum, reperisset, nullum esse fidei decretum, in quo non referantur testimonia tum ex scriptura tum ex traditione deprompta (1).

PROPOSITIO X.

Sterilitas Protestantismi in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum

241. Inter ceteros divinos characteres et dotes, quibus praestat catholica ecclesia, mira ipsius foecunditas in conversione infidelium debet recenseri. Cum enim ipsa missionem a Christo acceperit per ea verba: *Euntes per mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae*; nunquam destitit filios suos in diversas regiones mittere, qui spiritu vere apostolico repleti eas de tenebris infidelitatis ad evangelicam lucem revocarent. Innumeros propterea recenset, qui in ejusmodi ministerio non solum magnos exantlarunt labores, sed et sanguinem profuderunt, ac plures praeterea, qui quovis saeculo tum prophetiae tum signorum dono ditati religionem mirifice propagarunt. Non solum nullum regnum vel provincia, sed nec regio, nec civitas, nec vicus est in toto terrarum orbe, qui ad Christi fidem aliter venerit quam per ecclesiae catholicae operarios. Historia ecclesiastica in suis

(1) Praeclare Vincentius Lirin. in suo *Commonitorio*, n. 32, scribit: « Christi vero Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena... denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur?... Hoc, inquam, semper, nec quicquam praeterea, haereticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit ecclesia, nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturae chirographum consignaret ».

ılibus quovis fere saeculo aliquam gentem vel regio-
ı refert, quae evangelium amplexa est per operarios
omanis Pontificibus ad praedicandum missos (1).

42. Haereticae sectae e contra semper sterilitate a Deo
tatae sunt, adeo ut nulla proferri possit gens, quam
uando ab infidelitate aliqua haeretica secta ad Chri-
idem converterit. Hujus sterilitatis conscii haeretici in-
lium conversionem penitus neglexerunt, vel animum
onderunt post infelicia tentamina nullosque succes-
, ac semper ad Christi fideles seu catholicos perver-
los studium omne adhibuerunt: *Cum hoc sit nego-
ı illis* (haereticis), ut jam scripsit suo tempore Ter-
anus, *non ethnicos convertendi, sed nostros ever-
ti, hanc magis gloriam captant, si stantibus ru-
ı, non si jacentibus elevationem operentur; quo-
n et ipsum opus eorum non de suo proprio acci-
ı venit, sed de veritatis destructione. Nostra suf-
unt, ut sua aedificent* (2). Ac talis constanter om-
n haereticorum indoles fuit, talis perpetua eorum
ıdi ratio.

43. Ac proinde ita se gessit protestantismus. Ab ini-
reformationis, ut ipsi vocant, de conversione infide-
ı protestantes ne cogitarunt quidem. Omnes eorum
hinationes dirigebantur ad perversionem catholico-
, ad extirpationem antiquae fidei. Licet vero nonnul-

S. Innocentius I. jam saeculo
ist. XXV. *ad Decentium Episc.*
b. scripsit: « Cum sit manife-
in omnem Italiam, Gallias,
niam, Africam atque Siciliam
ıulas interjacentes nullum insti-
ecclesias nisi eos, quos venera-
Apostolus Petrus aut ejus succes-
constituerint sacerdotes ». Ad-
utem D. Constant in nota *c*:
larius iis, qui una fidei com-
one ac societate copulabantur,
n de synodis scribens, cum iis-
Germaniae primae et secundae
Britanniarumque episcopos recenset.
His si adjungantur variae Illirici pro-
vinciae, quas Innocentius epist. XIII,
n. 2, suam in eas vicem Rufo com-
mittens, recenset, diocceseon, quae
ad Romanum Patriarchatum attinent,
satis accurata habebitur enumera-
tio ». De Anglia, Hibernia, Scotia,
Hungaria, Polonia, reliquisque se-
ptentrionalium regionum gentibus,
ad Christi fidem conversis Romano-
rum Pontificum sedulitate subsequen-
tibus temporibus, res vulgatissima est.

(2) *De praescrip.* cap. XIII.

lae protestanticae respublicae classibus instructae essent, et maritimo potirentur imperio, quibus subsidiis uti potuissent ad Christi fidem inter paganos disseminandam, iis uti maluerunt ad catholicas missiones evertendas, ut se gesserunt Batavi, et heu nimis felici successu in Japonia praesertim et Indiis orientalibus! Imo ut protestantes zeli defectum in evangelii propagatione tegerent, declarabant minime per conscientiam licere paganos in sua fide turbare, atque in dordracena synodo objectioni remonstratentium respondebant: *Qui sine peculiari vocatione et missione paganis evangelium annunciat, haec in eum quadrat Apostoli Petri objurgatio, quod se videlicet rebus alienis immisceat, Deumque tentet, cum sine vocatione tanto se objicit periculo.* Subsequentibus temporibus decanus cantuariensis in oratione habita coram rege Angliae asserebat nemini licere, quin habeat, ut apostoli, extraordinarium mandatum, illudque probare possit, religionem etsi falsam regionis alicujus aggredi, hominesque ab ejus professione contra magistratus voluntatem dimovere (1).

244. Ast perculsi gloriosis catholicorum successibus, demum et ipsi protestantes coeperunt serio de missionibus apud infideles cogitare sub finem saeculi XVII (2). Anno 1647 jam exorta erat quaedam societas in Anglia ad hunc finem, quae a senatu (parlamento) approbata est, tamen nonnisi tardius aliquid profecit. Fridericus IV Daniae rex missionem instituit anno 1706 pro sua colonia Tranguebar in Indiis orientalibus; in Groenlandia vero ab anno 1708 evangelium praedicavit *venerabilis Joannes Egede.* Anabaptistae inchoarunt missiones suas anno 1792. Anglia praesertim sub hujus saeculi XIX ini-

(1) Cons. *Hist. eccles.* D. Hortig continuata a Joh. Jos. Ignat. Doellinger, sac. Theol. Doct. et Profess. ordin. in universitate Monachiensi.

(2) Dixi *demum*, nam notum est missionem anno 1536 a Genevensibus tentatam non fuisse nisi abortivam.

tium maxime coepit suum exercere zelum ex occasione missionum anabaptistarum et methodistarum, pluresque ibi institutae sunt societates generales et particulares ad propagandas missiones; ab anno 1807 insudatur convertendis nigris in Sierra-Leone Africae; Societas Britannica nuncupata et extranea bibliorum propagandorum erecta est Londini anno 1804, quibus aliae auxiliares adjectae sunt.

His porro delibatis circa originem et progressum missionum protestantium, expendamus breviter media, quibus ad finem obtinendum ejusmodi societates usae sunt, deinde successum et fructum.

245. Jam vero si spectemus *numerum* missionariorum protestantium, constat ab anno 1824 societatem ecclesiae anglicanae 419 missionarios permanentes habuisse (1). Eodem anno methodistae numerabant 623 (2). Hae duae proinde societates jam tunc suppeditarant 1042 operarios. Nunc supputatione instituta ad ceteras societates, quas mox recensebimus, in sola Anglia haberemus 3442 emissarios; ex America societates, quae illic sunt, miserunt ad missiones saltem 1000 concionatores; itaque, non computatis missionariis, quos protestantes regiones suppeditarunt, habemus summam 4442 (3). Licet vero missionarii societatis propagationis evangelii teneantur juxta tenorem diplomatis, dati 16 Junii 1801, prospicere instructioni coloniarum anglicanarum, cui tribuuntur 122 missionarii ac 96 ludimagistri, attamen certum est, hos ipsos debere operam navare conversioni infidelium.

(1) Vid. eruditam dissertationem Cl. D. Nic. Wiseman, rectoris collegii Anglorum in alma hac Urbe, et prof. linguarum orientalium in Archigymnasio Romano, quam prius recitavit in academia religionis catholicae, postea typis vulgavit Romae 1831; ex qua pleraque documenta, quae hic recensentur, desumpsimus, et quae interea proferimus, ut videant protestantes, in quorum manus haec dissertatio non venit, quibus fundamentis ea, quae hic traduntur, nitantur.

(2) *Quarterley Review journ.* 1825, p. 29 et *Christian register*, in quo solum enumerantur 210.

(3) *Nouveau journal asiatique*, Paris 1828, tom. 11, pag. 29, computat 5000 missionarios.

*

246. Si vero spectemus *numerum* societatum, quae pecunias ac libros quotannis subministrant ad opus conversionis infidelium, inveniemus ex Anglia, Statibus Foederatis Americae, Gallia, Germania, Hollandia, Helvetia ac regionibus septentrionalibus XIX societates principales, quibus aliae quatuor addi debent institutae ad distribuenda *biblia*, *tractatus religiosos*, *libros precum et homilias ecclesiae anglicanae* (1). Unaquaeque vero ex his societatibus suas habet numerosas veluti minoris gentium sodalitates, quas vocant auxiliares; in sola Gallia 200 numerantur, in Anglia vix numerari possunt. Scopus harum societatum est, pecunias ac libros subministrare missionariis, qui conversioni infidelium dant operam. Porro hae societates jam ab anno 1824 subministrabant singulis annis 1,715,500 nummos scutatos (francos circiter 9,263,700), id est, 4700 (francos circiter 18,800) in dies singulos (2). Cum vero missionarii adhuc conquererentur de ejusmodi stipendio quasi nimis exiguo, reditus seu proventus annui societatum jam ascendebant ad 3,431,000 scutatos (franc. 18,527,400) (3). Societas biblica innumera exemplaria s. Scripturae, in omnia fere idiomata ac dialectus conversae, quotannis distribuit ope suorum publicanorum et viatorum, qui veluti totidem missionarii spectari debent. Anno enim 1830 solo distribuit 632,676 exemplaria Novi Testamenti (4). Et hoc medium censetur aptissimum ad conversionem infidelium.

247. His addantur subsidia externa, quibus abundant missiones protestantes, nempe favor, qui vel a magistratibus vel legibus tribuitur (5), apparatus moderatorum

(1) Jowett *Christian researches in the mediterranean*, 3. edit. Lond. 1824, pag. 318.

(2) *Quarter. Rev.* pag. 29.

(3) Qui calculus valde moderatus est *Ephemerides* enim *asiaticae* Paris. 1828, tom. 11, pag. 32, illi addunt vicies centena millia libellarum gallicarum.

(4) *Christ. regist.* eodem anno Londini vulgatum.

(5) Societas propagationis evange-

ac omnis gradus magistratuum, publicarum ephemeridum, doctorum virorum, etc., opes et commoda quibus ejusmodi missionarii obruuntur (1), regiones, in quibus ut plurimum commorantur, quae ad Britanniam pertinent; quod si barbaros ac silvestres penetrare interdum tentant, semper armatis provinciae praesidiis utuntur, praemia distribuunt cum magna pompa ac apparatu suis alumnis in scholis, quas gratis aperiunt (2), adeo ut vere scribere potuerit D. Buchanan magnus missionum fautor: *Nulla gens christiana unquam campum tam extensum habuit ad propagationem fidei christianae, qualem nos habemus ex influxu, quem exercemus super centum milliones incolarum Indostan. Nulla unquam natio tot commodis abundavit ad dilatationem suae religionis, qualia nobis offeruntur inter gentes, quae nullam opponunt resistentiam, quae obtemperant libenter miti imperio nostro, quae reverentur principia nostra, et dominationem nostram velut benedictionem aestimant* (3). Talia igitur sunt media, talia subsidia ac commoditates, quibus protestantes instructi sunt ad disseminandam evangelicam doctrinam apud infideles. Restat ut videamus, quo successu ac fructu opus istud perficiant.

248. Ex confessione ipsorummet protestantium fautorumque harum missionum ejusmodi fructus post tot labores et tot impensas nullus aut fere nullus omnino est; vix enim numerant nonnulla individua (4), quae com-

licae anno 1819 a Georgio III litteram regiam, ut vocant, impetraverat, qua praescribebatur stipes expetenda in universo regno, collegitque scutata romana 283200. *Christian remembr.* vol. XI, Lond. 1829, pag. 50.

(1) Quilibet stipendium annuum percipit scutatorum 1132 (fr. circiter 6112); quod si uxorem habeat, augetur aliis scutatis 188 (fr. circiter 1015); quod si filios habeat, alia 94 (fr. circiter 508) adduntur in singulos filios. *Report of the society*, London 1829, pag. 195—197.

(2) *Report.* ibid. anno 1826 et 1827, pag. 51.

(3) *Memoir on the expediency of an ecclesiastical establishment in british India*, by the rev. Claud. Buchanan D. D. 2 edit. Lond. 1812, pag. 48.

(4) Cons. cit. diss. sectione quarta, ubi recensitis missionibus angli-

modioris vitae illecebris inducta sunt, vel quia depulsa a propriis contribulibus. Ipsimet missionarii animum despondent ob invictas et insuperabiles difficultates, quas in conversionibus ubique offendunt; omnes fere missiones in statu decrementi inveniuntur, nonnullae penitus perierunt. Relationes horum missionariorum fere semper reticent conversiones factas, et sese extendunt ad exaggerandam *meliorem spem* in futurum. Si interdum numerum individuorum recensent, statim ab aliis mendacii arguuntur. Et haec non in una vel altera mundi parte, non ab una vel altera secta, sed idem omnino plenus defectus reperitur ubique terrarum, ubi isti missionarii, cujuscunque demum confessionis seu sectae, appulerunt et operam impenderunt ad infidelium conversiones, adeo ut auctor historiarum missionum protestantium non dubitet his verbis narrationi suae finem ponere. *Sub finem hujus libri, cujus erat scopus enarrare propagationem christianae religionis, animos omnino desponderemus, si nostrae religionis propagatio penderet a successu operum, quae hactenus suscepimus, quaeque in his voluminibus descripsimus* (1). Non minus aperta est confessio quam D. Bickerseth, qui erat a secretis societatis missionariae, apud ecclesiam anglicanam exhibet in sermone quem habuit anno 1823, ad novos socios Eboraci cooptandos: *Decem priorum annorum decursu*, ait, *societas nunquam notitiam habuit vel unius individui, quod ab idololatria transierit ad christianam religionem* (2). *Post viginti annorum labores*, alibi dicitur, *felix successus praesens et visibilis non est certe cri-*

canis in Indiis orientalibus missionibus anabaptistarum et independentium in iisdem regionibus, omnium sectarum in India et Australasia, in America circa servos, in Mediterraneo, inter Calmuchos, atque ex confessionibus eorum ipsorum, quorum maxime interest earum fructus patefacere, adductis certissimis documentis, ostendit nullum vel pene nullum esse istarum missionum omnium fructum.

(1) *Month. rew.* 1817, p. 252.

(2) *York Herald*, may 1823.

terium quod labores nostri, Deo accepti sint (1), ut alia innumera prope monumenta ejusdem tenoris omittam (2). Quare his annis gubernium anglicanum, cui cordi est conversio coloniarum suarum, omni spe destitutum, ut videtur, alicujus successus missionariorum protestantium, promovit, saltem indirecte, catholicorum missiones; adeo ut vere affirmari possit, protestantes tot missionariis, tot impensis, tanta bibliorum diffusione nullum alium fructum tulisse, praeter hunc, quod nempe catholicorum missiones vel everterunt, vel exturbarunt, vel earum successus quoquomodo impedierunt, qui semper praecipuus ipsorum scopus et finis est.

249. Contra vero missionarii catholici ut plurimum absque ullo praesidio regum aut magistratuum, pecuniis aliisque humanis facultatibus destituti, soli se conferunt ad efferatos ac silvestres populos, inter continua ac praesentia pericula vitae amittendae quocumque penetrant, atque ubique uberrimos fructus ferunt. Solus s. Franciscus Xaverius ultra decies centena hominum millia sua manu sacro baptismate tinxit, plures principes ac reges ad religionem christianam adduxit, ubique ecclesias aedificavit, quae adhuc consistunt, non obstantibus atrocibus Batavorum aliorumque haereticorum persecutionibus ac conatibus ad eas evertendas. Atque ut ad recentiores missiones veniamus, etiam omissis quae spectant ad Paraquariam, de quibus egregie scripsit Muratorius (3), Brasiliam, Novam Franciam, sive Canada etc. postremis etiam hisce annis plures missionarii in Virginia, apud Iroquenses aliasque septentrionalis Americae silvestres gentes felici exitu laborarunt, ibique adhuc operam suam impendunt (4), et plura hominum millia ad evangelicam

(1) *Report of P. C. K. soc.* Lond. 1829, pag. 43.

(2) Quae videri possunt cit. Diss. sect. IV et V.

(3) *Il cristianesimo felice nelle missioni del Paraguay*, Venezia 1743.

(4). Vid. *Lettera del Padre Car-*

lucem venerunt ac veniunt. Ubique expetuntur ab iis apud quos olim conversati sunt, et unde postea ab Europeis fuerunt ejecti (1). Nuper praeterea ipse praeses, licet protestans, provinciarum foederatarum in America promovit ejusmodi missiones catholicorum, quae jam magnam fructuum copiam producunt. Idem dicatur de missionibus catholicis apud Indos orientales; D. Buchanan fatetur paucorum annorum spatio non obstantibus diris persecutionibus in insula Ceylan auctum esse numerum catholicorum ad 50,000, dum missiones protestantium omnino defecerunt (2). Eumdem habent exitum missiones sinenses; etsi vix unquam ibi quieverit persecutio, attamen ab anno 1800 ad 1827 numerantur 22,000 baptismate initiati in sola provincia Sucinen (3), atque ita non dissimili fere modo augentur in aliis provinciis ejusdem imperii Kansii et Kaukowan, Zokien et Kiansi, Canton et Kouansi, quae excoluntur a religiosis diversorum Ordinum vel a sacerdotibus saecularibus; idem successus in provinciis Thibet, Tunkini, in regno Cocini, Siamensis, etc., et ibidem pariter conatus protestantium irriti omnino sunt, ita ut ne unum quidem hactenus ad religionem christianam adduxerint. Quidam protestans Scotus ex India reversus: *Neminem novi*, inquit, *exceptis missionariis catholicis, qui operetur conversiones* (4). Et haec delibasse sufficiat ad ostendendum ex confessione et factis ipsorum protestantium discrimen ingens inter fructum ac exitum missionum catholicorum et acatholicorum (5) ubique gentium et quovis tempore.

250. His constitutis, sic argumentum nostrum perstringimus: Ubi vis naturalis est maxima, effectus autem minimus, et ubi vis naturalis est minima, effectus autem

lo Vanquickenborne della compagnia di Gesù, vo. Marzo 1829, edita in *Amico d'Italia*, vol. XVI, pag. 165.

(1) Ibid.

(2) *Brist. critic.* Jun. 1828.

(3) *Annales de l'association de la Propagation de la foi*, Lyon 1830.

(4) Ibid.

(5) Cons. Wiseman, diss. cit.

maximus, ejusmodi effectus a causa seu vi naturali repeti nulla ratione potest; atqui ex demonstratis aliisque quamplurimis, quae brevitatis gratia praetermisimus et afferri possent, constat, omnibus perpensis, ex parte protestantium vim seu causam naturalem maximam esse, sive numerus missionariorum spectetur, sive subsidia, sive commoda, etc., minimam vero ex parte catholicorum, effectum vero contrarium omnino tamen produci, minimum scilicet ac pene nullum ex missionibus protestantium, maximum vero et perennem ubique locorum ex missionibus catholicorum; ergo hujus discriminis ratio a causa supernaturali repeti debet; quia nempe soli ecclesiae a Christo ipsius fundatore dictum est: *Euntes docete; Sicut misit me Pater et ego mitto vos; Ego posui vos, ut fructum afferatis, et fructus vester maneant; Faciam vos fieri piscatores hominum; Ecce ego vobiscum sum.* Contra vero haeretici non sunt *de genere virorum illorum, per quos salus facta est in Israel*; de ipsis scriptum est: *Nescio vos; Non novi vos; Discedite a me operarii iniquitatis*; *Scribe virum istum sterilem*; seu, quod idem est: Eadem ratione qua jugis foecunditas ecclesiae catholicae est argumentum ineluctabile divinae ipsius institutionis ac jugis divinae protectionis, ita sterilitas protestantismi in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum. Quod erat demonstrandum.

251. Atque ex his sequitur 1. imputationem illam *proselytismi*, quam toties protestantes catholicae ecclesiae objicere solent, praeclarissimum esse testimonium foecunditatis et gloriae ejusdem ecclesiae, ac nullius spei incredibilisque sterilitatis quae inest sectis omnibus protestantibus; proinde ipsae cum videant irritos ac inanes esse suos omnes conatus et infelicem exitum suarum missionum, invidia quodammodo tabescunt, et illud crimini

vertunt ecclesiae catholicae, quod ipsae attingere, licet maxime velint, omnino non possunt (1).

252. Sequitur 2. protestantes, si fundamentali atque essentiali reformationis principio de omnimoda spiritus privati independentia religiosa in rebus fidei adhaerere velint, nec posse missiones instituere apud infideles. Si enim unusquisque jus habet ex sacris litteris sibi cudendi religionem, non possunt ipsi nisi biblia porrigere, ac dicere pagano: Hinc tibi effinge religionem, cave tamen ne filiis tuis tradas ea quae didicisti, cum eodem jure et ipsi fruantur sibi propriam cudendi religionem. Addo nec posse ipsos affirmare volumen, quod tradunt, verbum Dei purum continere, cum uniuscujusque pariter sit, non solum judicare de sensu sacrae scripturae, sed ex eodem principio praeterea expendere quinam libri genuini sint, quinam divinitus inspirati, num integri sint,

(1) Hic juvat recensere media, quibus utuntur protestantes, qui accusant catholicam ecclesiam *proselytismi*, ad proprias sectas augendas, seu potius procurandam defectionem ab ecclesia catholica, vel, si agatur de infidelibus, ad impediendum, ne ad eam veniant: 1. Jubilaeum reformationis. 2. Anniversarium reformationis festum. 3. Missiones apud infideles, et juxta professorem Elvers, ad impugnandum catholicismum (saltem aliquando verum scopum suum confitentur). 4. Instituta ad convertendos judaeos, ad quod opus ab una tantum ex societatibus londinensibus quotannis 9000 nummi scutati (*thalari*) impenduntur. 5. Societates biblicae et propagationes, quibus addi debent innumeri emissarii ubique locorum, qui causam protestantismi vel clanculum vel aperte omni conatu promovent. 6. Studium occupandi cathedras in catholicis universitatibus et scholis. 7. Domicilium in regionibus catholicis et publicum ibidem exercitium sui cultus. 8. Distributio tractatuum et editiones librorum, in quibus doctrinae distinctivae catholicorum (difformatae, ut supponitur,) et protestantium non sine strepitu traduntur; bibliothecae librorum protestantium, quae omnibus pateant. 9. Incitamenta et exhortationes ad amplectendam religionem protestantem. 10. Theoretica confirmatio proselytismi. Quidam protestans, Thomas nuncupatus, appellat ad Jesum, ad Apostolos, praesertim Paulum, ad reformatores saeculi XVI et ad missionarios evangelico-christianos, qui proselytismum commendant et confirmant. 11. Matrimonia mixta inter protestantes et catholicos, quae illi summo studio promovere satagunt in regionibus praesertim catholicis. 12. Innumerae prope ephemerides, in quibus agitur de religione, adeo ut ipsorum theologia possit dici theologia ephemeridum, prout notavit de Starck. 13. Demum calumniae, dicteria, etc. quibus putide religionem catholicam ubique insectantur; et tamen quotidie deficiunt, et ecclesia catholica propagatur et crescit.

num aliquid adjectum eis fuerit vel detractum ; alioqnin contra proprium principium examinis se gererent, et propria auctoritate imponerent infideli ; cum notum sit ex dictis, plures protestantes hunc vel illum librum, hanc vel illam alicujus libri partem rejicere, negare divinam inspirationem, etc., et quidem ex principio fundamentali protestantismi. Quae cum ita sint, quin protestantismi essentiam destruere velint, nequeunt haeretici vel unam operari conversionem.

253. Sequitur 3. societatem biblicam, dum sacra volumina diffundit ad conversionem infidelium, destruere principium essentiale protestantismi, et praeterea nocere causae propagationis evangelicae ; quia etiam caeteris omissis, cum infideles idonei per se non sint ad intelligendam scripturam, scandalum potius ex diversis ibidem contentis narrationibus patiuntur, et graviter offenduntur, quo fit ut animum magis avertant a religione christiana, ut reipsa passim evenire apud Indos abbas Dubois, qui per annos XXX missionibus illis operam navavit, testatur et factis luculentissimis ostendit (1).

254. Sequitur 4. ingentem illam pecuniae copiam, quam undique corrogant quaestores societatum protestantium ad missiones promovendas, non esse, ex confessione ingenuorum nonnullorum protestantium, nisi totidem latrocinia ac simplicium deceptiones, qui dum sibi blandiuntur cooperari magno operi conversionis infidelium et dilatationis verbi Dei, pecuniam suam non erogant nisi ad alendam seductorum cupiditatem, qui non possunt conversionem paganorum promovere nisi subruendo fundamentum essentiale et constitutivum protestantismi (2).

255. Sequitur 5. nec veram neque christiana denomi-

(1) *Lettres sur l'état du Christianisme dans l'inde*, par M. Dubois.

(2) Fol. period. anglicanum protestans *Age*, 7. Sep. 1831, vocat hos *Latrones immanes*, et *pessimum genus daemonum terrestrium*, *sycophantas*, etc.

natione dignam eam professionem esse, quae si sola obtinuisset, mundus paganus adhuc in tenebris esset suae superstitionis, cujusmodi esse protestantismum ostendimus, spectata ejus intrinseca impotentia annunciandi ac disseminandi religionem christianam. Quin imo neque subsisteret ipse protestantismus, qui non secus ac haereses omnes non prodiit, nisi ex catholicorum quorumdam seditionibus ac perversione. Quod jamdiu significaverat Tertullianus testimonio supra adducto: *Quoniam et ipsum opus eorum* (haereticorum) *non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent.*

DIFFICULTATES

256. Obj. 1. Falsum in primis est, missiones protestantium ea sterilitate laborare, quam fingunt catholici, sed ubique florentissimae sunt. Anno 1830. proselyti religionis wesleianae seu methodisticae jam ascendebant ad 39,000; proselyti vero societatis propagationis evangelii in partes exteras numerabantur eodem anno 6043; et ita porro quoad ceteras societates (1), praesertim 2. fratrum Moravorum. 3 Quis ignorat felices successus missionum Ziegenbald, Schulze et Schwartz? 4. Addatur ejusmodi successus adhuc non esse nisi certum argumentum ulteriorum progressuum. 5. Quod si vel una anima salva facta esset, nonne tot labores ac impensae satis bene erogatae fuissent (2)? Notum praeterea est 6. missiones protestantium plurimum impediri a missionariis catholicis, qui ubique animos christianorum et infidelium commovent adversus nos, quos propterea nec recipi patiuntur; quid mirum

(1) *Christ. regist.* an. 1830.

(2) Vulgus enim deceptum cum nihil aliud pro regno Dei facere velit, sibi maxime placet, si, data singulis annis exigua pecunia, sibi blandiri potest, se cooperari magno operi conversionis paganorum et dilatationis verbi divini.

proinde, si missiones protestantium non omnes adhuc fructus pariant, quos sperare liceret absque hujusmodi impedimento? ergo.

257. Resp. ad I. *D.* Supputatis proselytis vel secundum numerum bibliorum quae distributa sunt, vel secundum numerum discipulorum qui aut scholas aut aliquam congregationem frequentant, *C.* proprie dictis *N.* Admissis itaque exaggeratis ac saepe falsis missionariorum protestantium relationibus, illud serio est animadvertendum, nempe eos solere numerum seu censum proselytorum instituere ex numero bibliorum quae distribuunt. (1). Haec tamen ratio computandi falsa est; plures enim, imo plerique volumen bibliorum accipiunt, ut illud dein adhibeant ad varios usus domesticos, amiciendi ex. gr., ut dicam cum Horatio, *et piper et quidquid chartis amicitur ineptis* (2); ita ut, innumeris distributis bibliis, nemo christianus fiat. Tum etiam, ut magnum faciant numerum suorum proselytorum, solent inter hos accensere discipulos, qui eorum scholas frequentant (3); quae pariter supputatio falsa deprehenditur, eo quod ejusmodi discipuli vix schola abscedunt, ut illico ad idola sua redeant atque illudant magistris suis, a quibus interdum et victum et donaria accipiunt (4). Tum denique in proselytorum censum referunt eos omnes, qui ipsorum congregationibus et concionibus adsistunt (5); et tamen compertum est, plerosque iis non adesse nisi rei novitate et curiositate permotos, tum ut irrideant concionatorem; vel ut eorum subsidiis pecuniariis perfruantur (6), quae ubi cessaverint, cessat proselytorum numerus ac pe-

(1) Vid. Wiseman, diss. cit. sect. v.

(2) *Nouveau journal asiatique* 1828, tom. II, pag. 40.

(3) *The history, design. and present state of the religions*, etc. *by the British in Calcutta and its vicinity* 1824, pag. 217. et seqq. Anno 1831, jam distributa erant a societate biblica 12,000,000 bibliorum exemplaria in 143 linguas conversa.

(4) Ibid. tom. III, pag. 399, nec non *Report*, etc. pag. 211.

(5) *Register*, p. 85 seqq.

(6) *Memoir of the rev. Henry Martyn.* edit. 8. Lond. 1825, pag. 279387.

262. Ad 6. *D.* Impediri apud exteras gentes, *Tr.* apud ntes quae subsunt ditioni protestantium *N.* Itaque obrvo in primis optime fungi officio suo missionarios caolicos, dum sedulam dant operam, ut suos greges a pis avertant; praeterea non a missionariis catholicis, l ab ipsis locupletioribus agrorum possessoribus, non turam, ut aiunt, sed quakeros praedicatores et methostas expelli furca, ne servos ad fugam ac rebellionem ducant, imo et a civilibus magistratibus, ne deterios fiant coloniae per istorum praedicationem. Ceterum issiones protestantes etiam in regionibus, in quibus fare ac protectione regum utuntur, quotidie in pejus unt (1). Deinde si desiderio martyrii flagrarent hi novi ostoli, absterreri nulla ratione deberent ab ejusmodi pedimentis, quae catholicos non absterrent. Ast nimius s tenet cuticulae amor, a minimis periculis fugiunt; mirum proinde, si nemo ex ipsis hactenus pro evanlio sanguinem fuderit; nempe, ut de Pelagio scribet s. Hieronymus, isti fovent inimicam suam, id est, rnem suam.

263. Inst. Saltem in dubium revocari nequeunt proessus, quos religio christiana ingentes fecit, protestanm missionariorum opera, in insulis Sandwichianis, ae jacent in Oceano pacifico, nec non in aliis insulis isdem maris, *Socialibus* nuncupatis, quae sub illorum ltura ita profecerunt, ut altera Paraquaria jure dici ssint; ergo.

264. Resp. *D.* Id est opera missionariorum protestanm dissipatae sunt optimae illorum populorum disposines, *C.* religio propagata est *N.* Nempe jam rex ac incipes illarum regionum, utpote optima indole praci, subditos suos ab idololatria abduxerant, interea mistros religionis christianae exoptaverant atque petierant

(1) Diss. citat.

ab anglis, qui ad ipsos protestantes missionarios, puritanos praesertim, miserunt. Sed simul ac suum influxum suamque virtutem illuc intulerunt ejusmodi apostoli (ut plurimum sutores, sartores, etc.), illico omnia permiscuerunt ac perturbarunt, seditionem, ignaviam, inertiam omniumque vitiorum colluviem quacumque disseminarunt. Sancte adeo instruebant suos proselytos, ut Sandwichianorum rex Riho Riho, qui a quinque annis jam baptismo lustratus erat cum Londini mortuus est, polygamiam sectaretur et incestum ; inter ceteras enim uxores suas habebat propriam sororem, quam secum in Angliam duxerat, quaeque Londini pariter defuncta est (1). Eos non secus ac Pomarem regem insularum *socialium* poenituit accersivisse ejusmodi praedicatores, qui veluti grando ac ventus urens omnia mala secum in illas insulas detulerunt ex confessione ipsorummet protestantium (2). Hinc novi sunt accersiti missionarii, catholici nempe, qui eo appulerunt anno 1827, atque ex tabulis, quae anno sequenti ad nos pervenerunt, colligitur eos cito coepisse tot infortuniis illorum incolarum occurrere, protestantes omnem fere influxum jam amisisse in illos populos, et florere jam religionem catholicam (3). Ecquid aliud haeresis nisi desolationem ac mortem producere potest ? Fructus vitae nonnisi veritas potest afferre.

(1) *Annales de l'association pour la propagation de la foi*, n. LXI, Juillet 1830, pag. 286.

(2) *Times*, 20 Sept. 1830, rev. LXX, pag. 609.

(3) *Annales de l'association pour la propagation de la foi*, pag. 273 et seqq.

PROPOSITIO XI.

Culpabiliter in haeresi vel schismate vel incredulitate ex hac vita decedentibus nulla salus esse potest, seu extra ecclesiam catholicam nulla datur salus

265. Haec propositio, quae sectarios omnes et incredulos valde commovet, non solum ex scripturae auctoritate ac perpetuo et constanti ecclesiae catholicae sensu, verum et ex ipsa ratione apertissime constat, ita ut caecus sit oporteat, qui ejusdem veritatem non videat. Jam vero, ut patet ex ipsius propositionis enunciatione, de iis tantum agitur, qui *culpabiliter* vel in haeresi vel schismate aut incredulitate versantur, seu de iis qui *formales*, ut ajunt, sectarii sunt, minime vero de *materialibus*, ut fertur, seu de iis, qui ab infantia erroribus ac praejudiciis imbuti sunt, quique nec dubitant quidem in haeresi se vel schismate versari, vel si quod dubium in ipsorum mentibus exurgit, toto corde ac sincero animo veritatem inquirunt; hos enim ad Dei judicium remittimus, cujus est cordium cogitationes habitusque introspicere atque scrutari. Dei enim bonitas et clementia non patitur quempiam aeternis cruciatibus addici, qui voluntariae culpae reus non sit. Contrarium affirmare esset contra expressam ecclesiae doctrinam (1).

(1) Huc enim referri possunt propositiones in Bajo proscriptae, nempe LXVIII : « Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est; LXVII : Homo peccat damnabiliter etiam in eo, quod necessario facit, » item XXXIV, etc., quae licet proprie sint de infidelibus negativis, ratio tamen eadem est quoad haereticos, qui invincibili ignorantia laborant. Sed audiatur s. Augustinus : « Qui sententiam suam, *ait*, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae praesumptionis pepererunt, sed a seductis in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi, » epist. 43, edit. maur. alias 162 ; cons. praeterea *tract.* 45 *in Joan.*, et in lib. *De uti-*

66. Porro contumaces adversus ecclesiae definitiones, pertinaciter ab ecclesiae unitate divisos salutem obre non posse, seu in perpetuum damnatum iri, satis te Christus declarat, sive cum apud Matthaeum in: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus ublicanus* (XVII, 17), sive cum apud Lucam ait: *vos spernit me spernit, qui autem me spernit, nit eum qui misit me* (X, 16), vel apud Marcum: *vero non crediderit condemnabitur* (cap. ult.), ac um apud Joannem: *Qui non credit jam judicatus* (III, 18). Quare apostolus Paulus haereticos dicit *ersos* et *proprio judicio condemnatos* (ad Tit. III, t 11); apostolus Petrus eos vocat *magistros menda- qui introducunt sectas perditionis, Dominum ne- t, superinducentes sibi celerem perditionem* (II Pet. I); s. Joannes passim eos vocat *antichristos* (I Joan. 18, 19 et alibi *seductores* (II Joan. 7), qui proea sollicite discipulos suos admonet, ut caveant ab modi seductoribus, scribens: *Videte vosmetipsos, perdatis, quae operati estis; omnis qui recedit et permanet in doctrina Christi, Deum non habet* Joan. 8, 9); apostolus Judas eos vocat *illusores*, *qui-*

credendi, cap. 1, edit. maur. VIII; lib. *De haeres. ad Quodeum*, cap. 1, circa finem, etc. eteri patres, quos longo agmitare possem, qui in eadem atia sunt. Quare merito Sua- *De fide*, etc. disp. XIX, sect. bi quaerit: « Utrum sit de ra- haeresis, ut voluntarie et cum acia committatur? *respondet*: In primo puncto hujus articuneraliter sumpto nulla est diffi- s; certum est enim de ratione s esse, ut voluntarie fiat. Ita t omnes theologi, *D. Thom.* q. 11. a. 2. et 1. p. q. 32. a. 4. liqui scholastici... et Patres an- » etc.; *et num.* 9: Primo statuendum est *pertinaciam* esse de ratione haeresis. In hoc fundamento conveniunt omnes doctores allegati... et merito quia expresse in jure canonico traditur, etc ». Cons. ex recentioribus Bergier, *Diction.* art. *Hérésie*, *Eglise*, § 5; item de la Forest, *Méthode d'instruction pour ramener les prétendus réformés à l'église romaine*, Rome 1817, second entretien, pag. 23 et seqq.; Card. de la Luzerne, *Evangile du* 19. *dim. après la Pentecôte*; Blanco, *Opusculi storici critici*, etc. tom. II, *Lettera sullo stato degli eretici e scismatici*, etc., ut alios quamplures praetercam.

*

bus procella tenebrarum servata est in aeternum (Judae 13); *et hos quidem*, addit, *arguite judicatos* (ibid. 22); quae quidem omnia ita sunt perspicua, ut commentario non egeant.

267. Patres apostolici his principiis inhaerentes eorum vestigia perquam diligenter sectati sunt, et quemadmodum apostoli simonianos, nicolaïtas, cerinthianos, phantasiastas, ebionaeos ab ecclesia expulerunt, iisque poenas aeternas, nisi resipiscerent, denunciarunt, sic eorum discipuli ac successores menandrianis, basilianis, saturnianis, marcosianis valentinianis, gnosticis ceterisque illius aetatis novatoribus ac protestantibus easdem aeternas poenas comminati sunt (1). Ita ss. Ignatius, Polycarpus, Irenaeus, Justinus, Theophilus, etc. Ex quibus s. Ignatius: *Ne erretis*, inquit, *fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur. Si quis in aliena sententia ambulat, iste passioni non consentit* (2); cujus quidem assertionis hanc rationem reddit: *Quotquot enim Dei et J. C. sunt, hi sunt cum episcopo. Quotquot autem poenitentia ducti redierint ad unitatem ecclesiae, et isti Dei erunt* (3); alibi s. Martyr haereticos vocat *feras humanam formam prae se ferentes* (4), *patronos mortis magis quam veritatis, abnegatos a Christo, Christum ignorantes, quos nonnisi raro ac difficulter ad poenitentiam converti affirmat* (5); docet praeterea mortiferum eos propinare pharmacum, quod qui ignorat libenter cum vo-

(1) Euseb. *Hist. Eccles.* lib. IV, cap. 7.

(2) Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου. Εἴ τις σχίζοντι ἀκουλουθεῖ, βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομεῖ. Εἴ τις ἐν ἀλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, οὗτος τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται. Epist. *Ad Philadelph.* cap. 3.

(3) Ὅσοι γὰρ Θεοῦ εἰσὶν καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτοι μετὰ τοῦ ἐπισκόπου εἰσίν· καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, οὗτοι Θεοῦ ἔσονται. Ibid.

(4) Θηρίων τῶν ἀνθρωπομόρφων. Epist. *Ad Smyrn.* cap. 4.

(5) Ὄντες συνήγοροι τοῦ θανάτου μᾶλλον ἢ τῆς ἀληθείας... Ὃν (Χριστὸν) τίνες ἀγνοοῦντες ἀρνοῦνται, μᾶλλον δὲ ἠρνήθησαν ὑπ' αὐτοῦ... ἐάν πως μετανοήσωσιν, ὅπερ δύσκολον. Ibid. cap. 4, 5.

luptate noxia mortem accipit, a quibus propterea omnes custodiendos sollicite admonet (1). Ita quidem de haereticis sui temporis Ignatius. S. Polycarpus vero adeo ab haereticis abhorrebat, ut, cum audiret aliquas adversus receptam doctrinam novitates, obturatis sibi auribus, exclamaret: *Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem?* Atque statim e loco fugiebat, in quo stans aut sedens ejusmodi sermones audiverat (2). S. Justinus non dubitat haereticos vocare *atheos* et *impios*, *injustos* et *exleges* (3), sed praeterea addit eos esse, quos Christus praenunciaverat *lupos* indutos pellibus ovium, *pseudochristos*, *pseudoapostolos*, fidelium seductores, eosque appellari eorum nomine, a quibus secta quaeque et opinio ortum habuit: *Nonnulli enim*, ait ipse, *vocantur marciani*, *alii valentiniani*, *alii basilidiani*, *alii saturniliani*, *alii aliud vocabulum habent ex suae quisque sectae principe* (4) et illos judaeorum pseudoprophetis comparat, qui quae ab impuro spiritu diabolo sunt mentibus suis injecta docuerunt et etiam docent (5). S. Theophilus, cum perbelle ecclesias sanctas per orbem dispersas insulis frugiferis comparasset aqua salubribus, stationibus ac portibus munitis, ut iis, qui tempestate jactati sunt perfugio esse possint, ad quas proinde, qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores se recipiunt, haereticas vero sectas insulis saxosis et

(1) Ὥσπερ θανάσιμον φάρμακον διδόντες μετὰ οἰνομέλιτος, ὅπερ ὁ ἀγνοῶν ἡδέως λαμβάνει ἐν ἡδονῇ κἀκεῖ τὸ ἀποθανεῖν. Epist. *Ad Trall.* cap. 6., et cap. 7, concludit: Φυλάττεσθε οὖν τοῖς τοιούτοις.

(2) Apud Euseb. lib. v, cap. 20.

(3) *Dial. cum Tryph.* n. 35.

(4) Τίνες καλούμενοι Μαρκιανοὶ, οἱ δὲ Οὐαλεντινιανοὶ, οἱ δὲ Βασιλιδιανοὶ, οἱ δὲ Σατορνιλιανοὶ, καὶ ἄλλοι ἄλλῳ ὀνόματι, ἀπὸ τοῦ ἀρχηγέτου τῆς γνώμης ἕκαστος ὀνομαζόμενος. *In Dial. cum Tryph.* ibid. Satis porro est ut protestantes subrogent propriae sectae denominationes, nempe lutheranos, calvinistas, zwingelianos, socinianos, etc. et patebit se ibidem esse descriptos.

(5) Ἀπὸ τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος διαβόλου ἐμβαλλόμενα ταῖς διανοίαις αὐτῶν ἐδίδαξαν, καὶ διδάσκουσι μέχρι νῦν. Ibid. n. 82. Videant hic lutherani praesertim, num haec quadrent in Lutherum, cum scriberet librum *De abroganda missa privata.*

inaquosis, infrugiferis, ferarum plenis, ad perniciem navigantium et tempestatem subeuntium appositis, in quibus naves conteruntur, et qui eo appellunt penitus pereunt, concludit : *Ita se habent erroris doctrinae, haereses dico, ad quas qui accedunt omnino pereunt* (1). Ita quidem patres apostolici unanimiter docent, a quibus hanc doctrinam pariter hauserunt subsequentes patres, ita ut omnes unius sententiae hac in parte sint, et ne unus quidem excipi possit (2).

268. Non est propterea, cur eorum testimonia hic singillatim exscribam ; non possum tamen me cohibere, quin afferam nonnulla s. Cypriani dicta, qui non solum docet apostolos haereticos execratos esse, non solum graphice eos describit, gladiis ac venenis eos subruere veritatem adstruit, negat esse christianos et multos secum trahendo decipere affirmat ; non solum vocat *pestes*, *bestias*, *fures*, *latrones*, *praedones*, *laniones*, aliisque non minus probrosis nominibus compellat, sed praeterea, quod non est sine animadversione praetermittendum, causam aperit et originem haereseon omnium, quas repetit ex eo, quod caput ecclesiae non quaeritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac ecclesia una et episcopatus unus deseritur : *Asserentes*, inquit, *noctem pro die*, *interitum pro salute*, *desperationem pro obtentu operis*, *perfidiam sub praetextu fidei*, *antichristum pro vocabulo Christi*, *ut dum verisimilia mentiuntur*, *veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eo fit*, *fratres dilectissimi*, *dum ad veritatis originem non reditur*, *nec caput quaeritur*, *nec magistri coelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet*, *tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis*, *compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Pe-*

(1) Οὕτως εἰσὶν αἱ διδασκαλίαι τῆς πλάνης, λέγω δὲ τῶν αἱρεσεῶν, αἳ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐταῖς. *Ad Autolycum*, lib. II.

(2) Ita ss. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus ceterique omnes.

trum: Ego dico tibi, *etc.* (1); *Et cum haereses*, prosequitur ibidem, *et schismata postmodum nata sint*, *dum conventicula sibi diversa constituunt*, *veritatis caput atque originem reliquerunt*, (nempe Romanum Pontificem, de quo locutus fuerat); demum concludit; *Tales* (haeretici et schismatici) *etiamsi occisi in confessione nominis fuerint*, *macula ista nec sanguine abluitur . . . esse martyr non potest*, *qui in ecclesia non est*, *ad regnum pervenire non potest*, *qui eam*, *quae regnatura est*, *derelinquit.*

269. Vix tamen opus est auctoritate ad veritatem hanc adstruendam, cum ratio ipsa evidenter eam evincat; quicumque enim peccati alicujus lethalis reus est, et cum ejusmodi noxa ex hac vita decedit, perpetuam damnationem incurrit; atqui peccatum lethale et quidem gravissimum est voluntarie schismati vel haeresi aut incredulitati adhaerere, veritatem a Deo credendam propositam respuere, legitimam et divinitus institutam auctoritatem contemnere, ecclesiam non audire, et privatum sensum pertinaciter adversus ecclesiae doctrinam sequi; ergo.

270. Atque hinc factum puto, ut protestantes ipsi, qui nunc nobis succensent ob istud dogma fidei catholicae, quod propugnamus, nullam videlicet dari salutem extra ecclesiam catholicam, ad haec fere tempora id ipsum docuerint. Licet enim semper fluctuantes fuerint circa molestam ipsis quaestionem, utrum catholici salvi fiant, et licet modo affirmaverint, modo negaverint, attamen certo certius est plures ex ipsis, Barone de Stark protestante referente, spectare suam ecclesiam, seu verius sectam, veluti *solam operantem salutem* (2); ac Sulzer testatur se etiam invenisse in quodam mandato magistratus Tigurini in Helvetia anni 1740, quod ecclesia reformata dicta fuerit *so-*

(1) *De unit. Eccles.* pag. 403.
(2) *Entretiens philosophiques*, etc.

la operans salutem; quin etiam observat Henricum Dodwellum docuisse saeculo XVII. *sola membra ecclesiae episcopalis* posse spem certam habere perveniendi ad aeternam beatitudinem (1); quae doctrina omnes profecto reformatos, presbyterianos, ceterosque omnes, ut ipsi vocant, *non-conformistas* excludit ab aeterna salute. Ecclesia anglicana adhuc retinet symbolum athanasianum nuncupatum, quod certe excludit a salutis consecutione omnes unitarios, methodistas, rationalistas, imo et graecos schismaticos, negantes Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Recens minister protestans affirmat se plures novisse ministros anglicanos dicentes se non posse sibi persuadere, eos qui in Trinitatem non credunt, posse salvari (2). Quo fundamento autem id sentiant diversae protestantium sectae, prorsus ignoro; cum aeque novatores omnes sint, atque ex eodem principio independentiae religiosae progenitae sectae; multo minus intelligo, quare tot fidei confessiones cuderint et recuderint, quas jam inde a suo tempore recensebat Bossuet (3), quibus novus et satis prolixus catalogus addi posset. Sed operam perderet, qui cohaerentiam in protestantibus quaereret. Id solum ex dictis colligo, nullam esse rationem, cur nobis adeo irascantur, dum docemus, quod ipsorum sectae ad haec usque tempora docuerunt. Quod si ipsi postea mutarunt sententiam, ut in ceteris omnibus, numquid et nos catholici mutare debemus? Error mutari potest, veritas non potest (4).

(1) Vid. *Vérité et Amour*, *par Sulzer*, pag. 199 et seq.

(2) Auctor opusculi: *Quelques réflexions sur la maxime chretienne: Hors de l'Église il n'y a point de salut*, Paris 1827; vid. etiam Lessius in append. ad tract. *Consultat. de religione*, etc. cap. 1, quaest. 2, ratione 8.

(3) *Hist. des variations*, praesertim lib. III, § 1 et seqq.; lib. VIII, §§ 16, 17, 63; lib. IX, §§ 86, 87; lib. X, §§ 58, 68, etc.

(4) Sed rursum hic adnotare juvabit perplexitates et arbitrariam docendi ac sentiendi rationem in Babele protestantium, inter quos alii adeo januas coelorum aperiunt, ut velint ipsas patere non solum haereticis, etc. sed etiam ipsis idololatris, ut ex adductis documentis evincitur; alii adeo illas occludunt, ut aditus non pateat

271. Sequitur autem ex dictis, 1. male omnino suae saluti consulere eos, qui effutiunt *probi hominis* non esse deserere eam religionem, in qua unusquisque natus est et enutritus. Idololatrae enim, islamitae, etc. hanc eamdem exceptionem facere potuissent, vel etiam possent adversus apostolorum et ecclesiae praedicationem. Si probi hominis non est deserere religionem, in qua quisque natus est, cur igitur protestantes tot biblia, tot impensas, tot labores insumunt in missionibus, quas tanto studio atque impetu promovent? Ast propterea solum ejusmodi

vel ipsis laborantibus invincibili ignorantia, ut ex citato opere Baronis De Stark patet; alii accusant catholicam ecclesiam veluti barbaram, eo quod profiteatur extra suum sinum nullam dari salutem, et ita porro. Jam vero neque in praesentia inter protestantes desunt, qui adhuc doceant extra suam sectam nullam esse salutis spem. En quomodo scribat D. Harms: « Extra ecclesiam (Lutheranam) non est salus. Neque approbare possumus, si quis nostrum ad catholicam aut reformatam ecclesiam transeat (non obstante inita societate, de qua supra); nam apud nos est selectissima ecclesiastica institutio (quis dubitet?). Potius vero quam ut aliqui nostrum in rationalisticam unionem conveniant (quae tamen est fructus naturalis protestantismi), concedere possumus, ut judaei fiant, etsi hoc ceteroquin legibus civilibus sub capitis poena vetitum sit ». *Einige Winke, etc. id est*, Nonnulli nutus et exhortationes de rebus ad ecclesiam spectantibus, *Kiel* 1820; *Theremin vero sic concionatur*: « Jus alios damnandi utique nos habemus, nam scriptum est: Qui non credit jam judicatus est. Et quare illos non damnabimus, quos Deus ipse damnavit »? *Predigten, etc. seu*, Conciones, *vol.* II, *Berolini* 1819. *Professor Götting Elvers*: « Quia et nos, sicut Lutherus, *inquit*, pericula in ecclesia catholica non ignoramus, et firmam salutis spem in sola fide in hac ecclesia nunquam doceri aut teneri videmus; debemus et nos sicut protestantes majores nostri, huic adhaerere sententiae, non quod omnes catholici aeternum damnentur, nam tam terribile judicium nobis numquam arripuimus (et si arriperent, parum tali judicio catholici commoverentur), sed quod protestans, qui ecclesiam romanam relinquit, et catholicam fidem amplectitur, veram evangelicam fidem (nego suppositum) non inquirendo, neque sibi illam adsciscendo, salutem suam aeternam magno exponit periculo (hui quibus scrupulis tanguntur!) prout et protestans pater filios catholice instituendo, ipsorum aeternam salutem dubiam reddit ». Ita in *Ephem. univ eccles.* 1827, n. 189. Novissima *Agenda Borussiana*, de qua jam supra, continet et symbolum athanasianum, quod sic incipit; « Qui salvus fieri cupit, rectam prae omnibus christianam universalem (symbolum dicit *catholicam*) fidem habeat oportet. Qui illam non omnino integram aut puram habet (qualem vidimus teneri a protestantibus, qui scripturas rejiciunt, apostolos accusant, et Christum ut seductorem habent enthusiasten, etc.), absque dubio in aeternum peribit; *sic vero explicit*: Haec est recta christiana fides; qui ipsam firme et fideliter non tenet, salvus fieri non potest ».

principium inter protestantes invaluit, quia cum viderint suas sectas ubique dilabi, ac plures quotidie ex ipsis ad ecclesiam catholicam se recipere, ejusmodi commentum effutierunt, ut per hunc saltem inanis honoris praetextum sectarii retinerentur. Sane nihil potius probro esse potest homini honesto ac ingenuo, quam non amplecti veritatem, cum ipsius menti affulget, et velle in errore cognito et detecto persistere. Quamquam, ut verius dicam, haeretici, schismatici et increduli, accedendo ad ecclesiam catholicam, inter matris amplexus denuo *redeant*, quam ipsi vel eorum majores per summum nefas deseruerunt.

272. Sequitur 2. unumquemque pro viribus teneri dubia, quae interdum sibi suboriuntur, discutere et veritatem inquirere, eamque statim amplecti, cum eam deprehendit, nisi velit in gravissima habituali noxa vitam degere, ac damnationis aeternae evidenti periculo sese exponere, moras nectendo ad conversionem.

273. Sequitur 3. non solum gravissimi criminis reos illos esse, *qui veritatem Dei in injustitia detinent*, quique quaestum faciunt ex animarum damnatione, verum etiam eos omnes, qui omnem diligentiam non adhibent in inquisitione veritatis, ac negligunt negotium maximi momenti, qui propterea sibi solis imputare debent aeternae damnationis reatum, si ex sua culpabili vel socordia, vel mora, ac praecipue orationis neglectu, veritatem non agnoscunt, et ad ecclesiae sinum non redeunt.

DIFFICULTATES

274. I. Obj. Apostolus scribit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, faenum, stipulam, uniuscujusque opus*

quale sit, ignis probabit . . . si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (I Cor. III, 10); unde sic argumentamur: Qui aedificant super fundamentum Christi foenum et stipulam, ii profecto sunt, qui doctrinas forte erroneas docent; atqui tamen asserit Apostolus eos tantum probandos esse quasi per ignem, non vero aeternis cruciatibus plectendos; ergo.

275. Resp. *N. M.* Etenim haeretici non *superaedificant*, sed destruunt et subvertunt fundamentum Christi, ut patet ex v. 17, quos *destruet Deus*, ut addit Apostolus; in adductis igitur verbis loquitur de iis doctoribus, qui reipsa *superaedificant*, ac docet, eos qui doctrinam germanam et solidam tradunt consequuturos esse mercedem; eos vero, qui vanam, inutilem et ad captandam gloriam praedicant, operam perdituros, et operis jacturam esse passuros (1). Haud dissimilem interpretationem adducti testimonii exhibet ipse Rosenmüller.

276. II. Obj. 1. Licet sectarii errent ab ecclesia dissentiendo, attamen certa persuasione ducuntur, se veritatem tenere et obsequium praestare Christo; 2. Sane, subdit Le Courayer (2), haeresis est semper error involuntarius, propterea prae culpis omnibus venia digna est. Nemo voluntarie errorem profitetur; quod si criminis gravitas a libertate electionis dimetienda est, concludamus oportet, haeresim omnium culparum minimam esse; ergo.

277. Resp. ad 1. *D.* Certa persuasione et erronea atque ex mentis arrogantia ac pervicacia profecta, *C.* persuasione prorsus innocua *N.* Haeresis crimen non consistit praecise in sola mentis aberratione aut ignorantia, sed in pervicacia voluntatis, quae se se opponit ecclesiae magisterio, ex qua fit, ut privatum judicium quis praeferat auctoritati legitimae a Christo institutae, ut suo loco

(1) Cons. Bernardinus a Piconio in hunc locum.

(2) Not. 119 ad lib. 1 *Historiae Conc. Trid.* Pauli Sarpii.

vidimus : quod proinde includit perduellionem , et est omnium criminum in genere suo gravissimum. Ceterum etiam qui occidebant apostolos et martyres, putabant se obsequium praestare Deo, nec tamen propterea excusabiles erant.

278. Ad 2. *N.* Juxta dicta, et sic corruit tota Courayerii argumentatio, quae laborat, ut ajunt, falso supposito.

279. I. Inst. 1. Inhumanum plane ac durum est ob opinionum diversitatem, infinitam propemodum hominum multitudinem sempiternis cruciatibus addici, quorum ceteroquin non pauci charitate et evangelii zelo flagrant; eo magis 2. quod principium istud, de nulla salutis spe extra ecclesiam catholicam decedentibus, contrarium charitati sit, et inducat in animum perpetuum odium adversus proximum; ergo.

280. Resp. Ad 1. *D. A.* Et haeretici praecise ob meram opinionum diversitatem aeternum punientur, *N.* ob contumacem resistentiam ecclesiae doctrinae ac voluntariam perduellionem *C.* Hoc vero posteriori sensu inhumanum ac durum esse quempiam damnari nemo affirmare poterit, nisi dicat inhumanum ac durum esse hominem lethalis peccati reum ejusmodi damnationi subjacere. Cum praeterea, ut ex probationibus patet, Christus et apostoli ita docuerint, jam non est quod quis opponere queat hoc durum esse, quin Christi ipsius doctrinam reprehendat veluti injustam, ipsumque ore blasphemo arguat iniquitatis, quod sine causa aeternas poenas comminetur. Resipiscant, redeant unde discesserunt, et jam nulla erit ratio querimoniae; quod si nolint, atque idcirco aeternum pereant, id sibi imputent. Quod si impune quisque ac pro lubitu innovare posset in rebus fidei, jam actum esset de fide ipsa, et de unitate a Christo instituta. Quod vero attinet ad zelum et charitatem, qua plures inter suos flagrare praedicant, jam vidimus

quid censuerit s. Cyprianus, cui addimus s. Augustinum de haeretico atque schismatico voluntario scribentem: *Foris ab ecclesia constitutus, et separatus a compage unitatis et vinculo caritatis, aeterno supplicio punieris, etiamsi pro Christi nomine vivus incenderis* (1).

281. Ad 2. *N.* Nisi quis contendat contra charitatem esse, quempiam admonere de mortali periculo, si coeptum iter insistere pergat. Ceterum ecclesia nunquam non omnium, sive haereticorum, sive schismaticorum, sive incredulorum conversionem ac resipiscentiam exoptat, atque efflagitat enixis ad Deum precibus, eosque adhortari non desinit, ipsorum ruinam luget; veritas enim nescit odisse nisi errorem, ac diligit errantes, quia charitas est (2).

282. II. Inst. Ad salutem consequendam satis est honeste vivere et opera misericordiae in proximum exercere; et sane Christus, in extremo judicii die, minime sententiam feret in praescitos, quod male crediderint, sed ex eo potius quod male vixerint: *Esurivi enim*, inquit, *et non dedistis mihi manducare*, etc. (Matth. XXV, 42) (3); ergo.

283. Resp. *N. A.* Tum quia Christus aperte dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur* cum reliquis, quae adduximus in probationibus. Non sufficit proinde honeste vivere, prout olim et ipsi pagani dicebant, teste s. Augu-

(1) Epist. 173 alias 204, ad Donat. presbyt. edit. maurin.

(2) Cum doctus quidam protestans feria VI majoris hebdomadae officiis divinis nostris interfuisset, ad teneras effusasque ecclesiae cathol.cae preces, quibus ipsa Deum orat pro *catechumenis*, *haereticis et schismaticis*, *judaeis*, *paganis*, pio quodam enthusiasmo veluti extra se raptus, non potuit se cohibere quin exclamaret: *Date huic infantem vivum; haec est enim mater!* (III Reg. III, 27), Feller. *Catech. philos.* § 495, n. *a*.

(3) Hic error, quem nonnulli sapientes neoterici protestantes velut novum proferunt, antiquissimus est; etenim Apelles, haeret cus saeculi II, inter cetera docebat; « Non esse omnino examinandam fidem: sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, persistere oportere. Quippe eos, qui in Crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur ». Eusch. *Hist. eccles.* Lib. V, cap. XIII.

stino, qui propterea sub hoc praetextu recusabant religionem christianam profiteri, sed necesse praeterea est vivere vita supernaturali, quae per fidem unice haberi potest : *Sine fide enim impossibile est placere Deo*, et *Justus ex fide vivit.*

284. Ad probationem autem, *D.* Quia Christus partialem et inadaequatam causam damnationis exposuit, *C.* totalem et adaequatam *N.* Alioquin et moechi et ebriosi et fures, etc. imo et hebraei et islamitae et idololatrae, qui recensita opera misericordiae exercerent, salvarentur, quod est absurdum. Voluit itaque illis verbis Christus ostendere solam fidem sine operibus ad salutem minime perducere, secus ac docuit Lutherus protestantium parens (1); sed necessaria praeterea esse opera bona, ut quis salvus esse possit, dicente eodem Christo : *Qui non credit, jam judicatus est* (Joan. III, 18).

285. III. Inst. Hujus saeculi sapientia aequo animo ferre non potest immania ejusmodi dictata, 1. quae Dei ipsius indignam prorsus ideam ingerunt ; 2. procul proinde amandandum est istiusmodi ignorantiae ac superstitionis figmentum, cum quo nec philanthropia, nec mutua vivendi consuetudo, nec ipse humanitatis sensus consistere possunt (2).

286. Resp. *D. A.* Et nos debemus componere ac temperare fidei doctrinam ad cujusque aetatis sapientiam, seu

(1) Hinc receptum illud ejusdem Lutheri effatum, quod ei exprobrat ipsemet Grotius : *Pecca fortiter et crede fortius.* Vid. opera Lutheri, edit. Wittembergensis, tom. VI, fol. 160 ; a quo dogmate, ut patet ex adducto nuper testimonio Elvers professoris Göttingensis, nondum recesserunt lutherani, etsi omnem fidem abjecerint ; imo observat Cobbet (Ep. 7, § 199) hanc unicam fuisse doctrinam in quam convenerint omnes illustres reformatores ecclesiae catholicae, nempe *bona opera inutilia esse ad salutem*, et sane, prosequitur ipse, eorum vitae ratio comprobabat sinceritatem talis professionis, quia nemo erat inter ipsos, qui carnificis manum non sibi promereretur. Et hic interim rursum notetur cohaerentia et unitas protestantium, *ex quibus* alii docent ad salutem sufficere solam fidem sine operibus, alii opera sola sine fide. Feliciter !

(2) Ita auctor anonymus operis cit. *Quelques réflexions*, etc.

sapientia saeculi debet esse fidei regula, *N.* lux et sapientia Christi *C.* Si deberemus fidem accommodare pravae hujusmodi regulae, actum omnino esset de fide ipsa, imo et de praeceptis decalogi, quandoquidem nec ista ferre potest, saltem in nonnullis praeceptis, mundana illa sapientia. Hanc sapientiam relinquimus protestantibus, rationalistis et incredulis omnibus, qui cum sibimetipsis sint et sapientiae et legis norma, possunt pro lubito mutare quod ipsis placet; nobis non alia affulget lux, quam ea, quam attulit Christus in mundum, seu in saeculum tenebris obvolutum, cui olim plures restiterunt, quam nunc vero plures a se quotidie repellunt, utpote minus accommodatam suis cupiditatibus, ut aliam lucem luci Christi omnino contrariam sectentur. Apostoli aliter docuerunt, aliter sensit tota antiquitas, aliter ipsi protestantes; donec nova lux philosophica ipsis affulsit, ut ex dictis patet; imo ut proprium est eorum, qui nullam regulam sequuntur, ad aliud extremum plures protestantes accesserunt excludendo a consecutione salutis illos etiam, qui ex invincibili ignorantia sectae ab illa, quam ipsi profitebantur, diversae adhaeserunt (1).

287. Ad 1. prob. *N.* Alioquin dicendum foret ideam Dei prorsus indignum ingerere dictatum, quo adstruitur Deum aeternis poenis illum plectere, qui culpae gravis reatu irretitus ex hac vita discederet, quod nemo nisi incredulus aut insanus dicet; talem vero esse ostendimus eum, qui culpabiliter haeresi vel schismati aut incredulitati adhaerens, migrat ex hac vita.

288. Ad 2. prob. pariter *Neg.* superstitionis ac ignoran-

(1) Hinc Leibnitzius fassus est *Ecclesiam romanam, longius quam protestantes progressam*, non absolute *damnare eos, qui sunt extra suam communionem.* Cons. operum. Leibnit. collectio per Ludov. Dutens. tom. 1, oper Theol. Genevae 1768, *Tentaminum Theodiceae* par. 1, § 96, ubi observat, quod cum alias hoc posuerit ob oculos Cl. Pelissoni, perinde ac sententias plurium theologorum catholicorum, praesertim celeberrimi P. Friderici Spee, ipsum minime abnuisse.

tiae figmentum dicendum esse dogma istud, quod aperte adeo in revelatione continetur, atque in illo puro verbo Dei scripto, quod unice pro regula habere protestantes gloriantur. Sed ita est, quoties istud verbum Dei purum et scriptum aliquod continet quod cum istorum principiis consistere non potest, illud vel rejiciunt vel eludunt ejusmodi sapientes, quibus magis placent vana philosophiae seu incredulitatis commenta quam Christi doctrina. Quod attinet ad philanthropiae atque humanitatis sensum, cum quo doctrina ista consistere nequit juxta adversarios, jam diluimus in responsione ad secundum.

289. Et haec sunt argumenta, seu potius declamationes, quas solidis adeo rationum momentis in re tam gravi opponunt sectarii, qui sic committunt negotium aeternae salutis subjectivae suae persuasioni; quid si deciperentur? Ipsi viderint.

PROPOSITIO XII.

Tolerantia religiosa est impia et absurda

290. Duplex distinguitur tolerantia politica seu civilis, et theologica seu religiosa, quarum prima dici potest extrinseca, altera intrinseca. Tolerantia politica est libertas seu facultas, quam princeps vel respublica tribuit civibus eam profitendi religionem, quam quisque maluerit; religiosa est expressa vel tacita professio veritatis omnium religionum omniumque sectarum, qua scilicet quilibet tenet religiones omnes aut sectas aeque veras ac bonas, hominique proinde omnes aeque salutares esse. Juxta istud principium nulla religio vel secta potest aliam tanquam falsam accusare ac respuere, atque inde oritur *indifferentismus*, quem vocant, erga religiones omnes, utpote quae tum verae, tum bonae, tum divinae esse possint; perinde est unam potius quam aliam pro-

fiteri et sequi. Nos hic de tolerantia politica non disserimus, dantur enim nonnulla rerum adjuncta, in quibus ea non modo licita, sed etiam necessaria est.

291. Porro tolerantiam religiosam impiam atque absurdam esse evincimus 1. ex eo quod per eam inutilis plane evaderet revelatio; si enim religiones omnes sive christianae sive antichristianae aeque bonae sunt ac salutares, ad quid Deus voluntatem suam hominibus patefecisset? Ad quid supplicia comminatus esset in eos, qui ejus resisterent voluntati? Nonne illusoria omnia ista forent? At vero *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur; dixit ergo et non faciet, locutus est et non implebit?* (Num. XXIV, 19)

292. Evincimus illud 2. ex eo quod in tali hypothesi duae vel plures darentur veritates sibi invicem contradictoriae, hoc vero absurdum esse nemo non videt; etenim veritas individua est ac simplicissima, nec ipsi opponi potest nisi error et falsitas. Veritas necessario excludit errorem et falsitatem, ut lux tenebras expellit, neque cum iis consistere ullo modo potest.

293. 3. Ex eo quod tunc Deus aeque patrocinaretur veritati et errori, et aeque diligeret et salvaret eos qui ipsi obsequerentur, et eos qui voluntarie et culpabiliter ipsi resisterent, rejicerentque veritates a se ad credendum propositas; et propterea, quod consequens est, Deus esset indifferens ad veritatem et falsitatem, ad virtutem et vitium, ad obedientiam ac perduellionem. Quod esset destruere ipsam Dei notionem, atque inducere Deum Epicuri.

294. 4. Ex eo quod Christus, si sermo praesertim sit de diversis christianorum sectis, auctor fuisset et revelator omnium contrariarum opinionum quae reperiuntur in diversis his ac prope innumeris sectis, non solum divisis ab ecclesia catholica, sed etiam inter se. Christus propterea se Deum esse et non esse revelasset, vel saltem indifferens esset ad utrumque, sive adoraretur ut Deus,

sive haberetur ut simplex creatura, et sic de ceteris; ac licet ipse quidpiam docuerit, nihil ipsius referret, etsi quisque contrarium omnino doceret ac sentiret, et hoc non ex ignorantia, sed ex voluntaria perfidia et contumacia. Quae quidem omnia aliaque non pauca quae urgeri possent, non solum falsam et impiam, ideoque in Deum contumeliosam, sed et absurdam ejusmodi tolerantiam evincunt, utpote et revelationi ac rectae ipsi rationi contrariam.

295. Quod et ipsi protestantes ad haec ipsa ferme tempora viderunt. Hinc tot ipsorum synodi, in quibus se invicem ejusmodi protestantismi frustula seu sectae anathematizabant (1); *haereticos* alii alios vocabant atque alienos a salute (ac recte, si alias unquam, hac saltem vice, et vere); hinc, antiquioribus praetermissis, anno 1828 in Hibernia celebrata est synodus a presbyterianis in qua proscripti sunt novi ariani atque unitarii, ac nova proinde inter ipsos scissio facta est (2). Neque his contenti, ut capitalis criminis reos protestantes passim insectati sunt eos, qui diversa a sua secta sensa profiterentur. Innumera suppeditat historia protestantismi exempla eorum qui sic vexati, dilaniati ac combusti etiam sunt (3). Loquor porro de protestantibus a protestantibus ipsis neci traditis. Nam quod attinet ad catholicos, notum est protestantismum, nulla secta excepta, constans et atrox bellum a suis incunabulis movisse adversus eos, quod adhuc in diversis eorum provinciis perdurat, non obstante systemate nuper ab ipso inducto de tolerantia universali, quae ita semper intelligenda est, ut excipiantur catholici quos adhuc non pauci protestantes profitentur se odio habere, et factis reipsa ostendunt (4). Quorsum vero haec

(1) Jam plura superius documenta dedimus. Consul. Bossuet, loc. cit.

(2) *Revue catholique* du 15 février 1830; *Irlande*, synode d'Ulster.

(3) Recolantur exempla paulo ante prolata.

(4) Non solum antiquitus sed et in praesentiarum protestantes profitentur intolerantiam adversus ecclesiam catholicam. Sic enim legitur in ope-

omnia, quorsum apud eos zelus proselytismi et missionum, si omnes religiones aeque bonae sunt, ac Deo eadem ratione sunt acceptae, vel si saltem Deus indifferens est erga quamcumque professionem? Si quilibet salvari potest in sua, ut ajunt, confessione, quare igitur ipsi solliciti adeo sunt de propria secta augenda, et eos acriter persequuntur, qui ad catholicam ecclesiam redeunt? Velint igitur nolint protestantes, et dictis et factis ostendunt, se saltem in praxi aliter omnino tenere, conscientia scilicet obluctante, quae dictat impiam ac absurdam esse ejusmodi tolerantiam religiosam, quam nunc ipsi comminiscuntur.

296. Atque ex his infertur 1. tolerantiam religiosam universalem, certam afferre perniciem omnibus religioni-

re: « Lichtblicke von protestanten *etc.*, *id est*, Lumina a protestantibus agnita, vel novissimae confessiones pro veritate factae ab ipsis adversariis, *per Doctorem Fr. Brenner*, *Bambergae* 1830, *pag.* 44: » Si protestantes nullibi jam sunt concordes, in religionem catholicam uniuntur, communem rem esse constituunt illam a se arcere atque impugnare; ipsique, quamvis liberalissimi, in aciem se sistunt, ut pugnam plenius inflamment, dirigant atque praelientur ». Et sane in folio litterario Jenae 1820, num. 11, 13 legitur: » Sincerus protestans non potest indifferens esse, si quis confessionis suae particeps infidelis evadit (id est, catholicus fit); talem moralem corruptionem oportet cum ira et indignatione omnis immoralitatis considerare ». Et Dr. Krug. in opere *Die Kirchenverbesserung*, etc. id est, *Ecclesiae melioratio* (reformatio), *seu pericula Protestantismi*, Lipsiae 1816, Protestantibus principibus acclamat: « Protegite potenti brachio vestro libertatem evangelicam tanta cum difficultate acquisitam ». *Sic Dr. Espe, in op.* die Hoffnung des Sieges, etc. *id est*, Spes victoriae protestantismi in innovata pugna cum romana ecclesia, *Lipsiae* 1827 « · Vincendum nobis est, *inquit*, hoc, amici, verbum signale omnium sit, qui ex persuasione nostrae adhaerent ecclesiae quando vel per verbum, vel si non cogunt, per factum contra adversarios in arenam descendamus ». Finem vero huic declarationi seu diatribae imponit jurejurando aeternae pugnae adversus romanam doctrinam; quod per subsequens *amen* confirmatur. Hoc vero scriptum corona donatum est. Omitto quae in novissima Berolinensi *Agenda* seu liturgia leguntur, ne nimius sim. Interea ex his habetur specimen odii perpetui protestantismi in ecclesiam catholicam. Nec mirum; aliter enim esse nequit.

Dum vero vel hic vel alibi de odio protestantium aut sectarum in ecclesiam catholicam verba facimus, intellectum id volumus *de spiritu*, ut ajunt, *sectae*, non autem de singulis individuis. Nec enim abnuimus non deesse inter sectarios ipsos sive ex privatis sive ex principibus viris eos, qui catholicos colant, ac omni comitate etiam ac favore prosequantur.

*

bus, quas dum supponit aeque veras esse, hoc ipso declarat omnes aeque falsas vel saltem dubias.

297. Infertur 2. tolerantiam ab iis solum propugnari posse, qui nullam vel religionem vel fidem habent, nempe ab atheis, deistis, protestantibus, qui cum nunquam in incerto non sint, quaerunt per hanc persuasionem quamdam conscientiae tranquillitatem ac pacem, quam aliter obtinere non possunt; et sane a protestantibus praesertim proclamari haec tolerantia coepta est, postquam rationalismus ac nova philosophia apud ipsos invaluit, quae omnem revelatam religionem e medio tollit. Hinc demum eam inierunt veluti societatem, in qua recudere, ut ita dicam, trium praecipuarum ecclesiarum, seu priorum emendatorum Lutheri, Zwinglii atque Calvini, reformationem nisi sunt.

298. Infertur 3. pacem et tranquillitatem quam *indifferentistae* seu *tolerantes* sectantur, non esse veram animi quietem, sed languorem soporemque vix aut ne vix quidem ab ipsa morte dissimilem; placet ipsis mortis ac sepulchri tranquillitas, atque hic quidem mentis animique morbus eo sane gravior atque insanabilior est, quo magis negligitur ignoratur et latet. Quid enim agas cum homine, qui sanari renuit, qui aegrotare se negat, qui imminente jam morte incolumem se ac tantum non immortalem arbitratur? *Desperata est plaga ejus*, ut Michaeae verbis utar.

399. Infertur 4. eam potissimam causam esse, cur omnes sive deistae, sive sectarii adeo abhorreant ab unanimi catholicorum voce: *Extra ecclesiam catholicam nulla salus.* Lethifero siquidem somno correpti, nolunt ab hoc, quem amant, sopore expergefieri: hinc veluti ii qui non tam mente quam corpore aegrotant, ipsi medico irascuntur; non aliter isti dum unanimiter nunc tolerantiam religiosam proclamant, catholicis indignantur, eosque acriter persequuntur, eo quod in eamdem senten-

tiam minime conveniant. Non tamen ideo ab hoc pietatis officio desistere, sed potius quasi tuba extollere debemus vocem nostram; haec enim vox, dum illos licet invite turbat et anxios tenet, potest fortasse ipsis fieri salutaris; dubium enim et conscientiae turbatio in iis qui errorem sectantur, solet esse primus ad veritatem gradus. Dolendum plane vehementissime, quod nonnulli neoterici scriptores, nescio quo falsae pietatis obtentu, vel inani spe ducti, in iis praesertim regionibus, in quibus maxime malum crevit ac praesentissimo remedio opus est, vix audeant aperte hoc fidei nostrae dogma tueri, imo illud ita infirmare contendunt, ut omnem vim suam amittat (1); ex hac porro pessima agendi ratione fit, ut isti protestantes nullum percipiant emolumentum ex ejusmodi temperamentis, ac veritas potius pro-

(1) Inter hos non infimum locum obtinet Franc. Oberthür, in sua *Idea biblica Ecclesiae Dei*, Solisbaci 1828, in qua vol. 1, pag. 1, haec leguntur: « Quo pertinet quod hodie magis quam olim plurimi christianorum gravem experiantur luctam inter sensum humanitatis, nunc multo quam alias, acutiorem, dissidentes in religionis theoria ac diversarum ecclesiarum vel confessionum, ut vocant, homines excusantem, atque ab omni quem inde contraxisse videri possent, reatu absolventem et ex altera parte inter conscientiam, illum in publicis fidei symbolis articulum: *Extra ecclesiam non est salus*, metuentem ». Cui quidem luctae nova, quam ipse aperuit, via consulere se posse arbitratus; pag. 65. scribit Apostolum docere: « Ut salutem quis adipiscatur, non interesse, cujus ecclesiae sit membrum, sed quam justus »; pag. 68, « fidem vero .... scriptura monente, interpretamur esse religionem sinceram hominis »; pag. 79, profitetur consilium suum hoc esse, ut pharisaïsmo occurrat, quo quis confidit salutem obtinere per solam professionem externam suae religionis, ceterosque despicere, qui *alieni sunt a propriae sectae communione*; pag. 100, repetit ecclesiae unitatem 1. ab uno fundatore ecclesiae J. C., 2. ab uno totius ecclesiae fundamento, apostolorum doctrina, 3. ab uno externo ejusdem professionis communi symbolo, baptismate; quo sensu quaelibet secta posset sibi vindicare unitatem. Hoc opus a capite ad calcem scatet doctrinis novis, erroneis, depromptis magna ex parte a protestantibus. Quid mirum proinde si auctor in prooemio ad cit. 2. editionem pag. 10, jactet elogia, quae suae huic locubrationi tribuerunt relationes quae a protestantibus Gottingae scribuntur? Et sane saepius citatum ac laudatum hoc opus est a scriptoribus protestantibus, biblicis et rationalistis.

Neque pariter probari possunt, quae in hanc sententiam habet Marianus Dobmayer, in suo *Systemate theologicae catholicae*, Solisbaci 1811, tom. IV, pag, 195.

datur, et vacillantes catholici in extremi exitii periculum adducantur (1).

DIFFICULTATES

300. I. Obj. Deus delectatur rituum et caeremoniarum quibus colitur varietate; quemadmodum homines fructuum et florum in hortis, principes officiorum et ministrorum multitudine in regiis aedibus, vel imperatores multarum urbium ac gentium multiplici obsequii genere gaudent; ergo.

301. Resp. *N. A.* in sensu adversariorum; ut enim una veritas est, ita una est vera religio, cui superstitio e regione adversatur, ut error opponitur veritati. Jam vero Deus, qui veritas est, errore et falsitate delectari nequit, nec proinde diversitate religionum. Diversitas florum in hortis et officiorum in aedibus principum nullam arguit oppositionem, sed mirifica est in eumdem finem conspiratio. Sic etiam diversum obsequii genus potest imperatori placere, si ea obsequii varietas componi possit cum obsequio ipso, secus vero si pugnet. Atqui veritas cum errore, religio cum superstitione componi inter se nequeunt, quemadmodum non componitur contemptus cum obsequio, obedientia cum contumacia (2).

302. II. Obj. 1. Publica tranquillitas postulat, ut quisque patriam religionem sequatur; 2. nam si secus agat nec reipublicae nec principum legibus praestabit obsequium; 3. hinc multa bella, seditiones et clades catholicorum intolerantia peperit. 4. Quod si religio patria colenda non est, si unica est christiana religio in qua salus obtine-

(1) Hac enim ratione fit ut timore depulso, ipsi transeant ex una in alteram communionem perinde ac si ageretur de transitu de una in aliam scholam aut academiam, quemadmodum non pauca luctuosa exempla testantur infirmorum scilicet quorumdam catholicorum.

(2) Cons. Segneri, *L'Incredulo senza scusa* part. II, cap. ult.

ri possit, ergo crimen est poena aeterna dignum, quod quis fide et revelatione careat, de qua nihil unquam audivit (1). Quod cum absurdum sit, sequitur 5. eum qui falsam religionem profitetur quam veram putat, tum culpa liberum esse, tum Deo placere posse, non secus ac illum qui veram religionem profitetur; Deus enim ex intentione operantis judicat omnes. In omnibus proinde religionibus Deus aeque coli potest, ac salus aeterna obtineri (2).

303. I. Resp. Ad 1. posse ejusmodi argumentum adversus deistas retorqueri et adversus omnes haereticorum antesignanos seu primos reformatores: publica tranquillitas postulat, ut nemo agat et scripta in lucem emittat contra religionem patriam; ergo deistae ac primi protestantes qui tot scripta edidere contra patriam religionem, seditiosi fuerunt, et in Deum ipsum peccarunt.

304. II. Resp. directe, *Dist. antec.* publica tranquillitas postulat, ut quisque religionem patriam sequatur si vera sit, *C.* si falsa *N.* Nunquam enim debent homines assentiri mendacio; nec principes jus ullum habent recipiendi falsam religionem, cum ipsi praesertim ad veram religionem complectendam teneantur (3). Ceterum li-

(1) Rousseau, *Emile*, tom. III.

(2) Ita Baylius in *Comm. phil.*

(3) Peropportune hoc animadvertit *The catholic miscellany* Jun. 1826. Tabula ibi apponitur mutationum in religionis professione, quibus subjacere debuit Henricus Ienckins in provincia Eboracensi sectando religionem praescriptam a legibus civilibus quibus unum fere ac idem est facta. Henricus Ienckins ortus anno 1501 vivere desiit anno 1670, cum vixisset annos 169. Ab anno 1501 usque ad annum 1534, sub Henrico VII, et Henrico VIII, annis 33. catholicus; ab anno 1534 ad annum 1547, sub eodem Henrico VIII, annis 13 partim catholicus partim anglicanus; ab anno 1547 ad 1553, sub Eduardo VI, annis 6 anglicanus; ab anno 1553 ad 1558, sub Maria annis 5 catholicus; rursum ab anno 1558 ad annum 1649, sub Elisabetha, Jacobo I et Carolo I, annis 91 anglicanus; ab anno 1649 ad annum 1653, interregnum, fanaticus; ab anno 1653 ad annum 1660, sub Cromwel, annis 7 presbyterianus; demum ab anno 1660 ad annum 1670, sub Carolo II, annis 10 anglicanus. Id est, debuit octies mutare religionem; quod si id non est ludere in negotio salutis, ac Deum et homines contemnere, profecto quid sit nescio. Tale porro esset principium Rousseau.

cet nemo possit religionem falsam suscipere, etsi illa humanis legibus praeciperetur, ac prohiberetur vera religionis professio, pax tamen servanda est, nec ordo publicus perturbandus. Sola in ejusmodi casibus resistentia, quae passiva dicitur, est opponenda, prout religio docet, ac primi christiani in praxim deduxere (1). Quod si fiat, nullum tranquillitati publicae detrimentum affertur, etiamsi falsa patria religio non observetur.

305. Ad 2. *D.* Is reipublicae legibus obsequium denegat, quia nec potest obsequi, nec tenetur, *C.* secus *N.* Tales enim leges sunt essentialiter nullae, Deo enim opponuntur. Tunc enim quispiam homini obedire tenetur, ubi Deo ipse contraria non praecipit: *Oportet enim Deo magis obedire quam hominibus* aliquid contra Deum praecipientibus.

306. Ad 3. *D.* Et ista bella, seditiones, caedes ad summum exorta sunt ex intolerantia civili, *Tr.* ex intolerantia religiosa *N.* Si quid enim probaret adversariorum argumentandi ratio, evinceret nonnulla esse et locorum et rerum adjuncta, in quibus toleranda est a principibus seu reipublicae moderatoribus religionum diversitas, quod minime diffitemur. Quanquam bella et seditiones, de quibus adversarii loquuntur, aliam omnino causam, a religione diversam, habuisse suo loco ostendimus (2).

307. Ad 4. *Neg.* sequelam. Perperam siquidem colligit Rousseau culpam in eo esse, quod quis fide et revelatione destitutus sit, de qua nihil unquam audivit. Nam juxta catholicae ecclesiae doctrinam, si quis invincibili verae fidei ignorantia laboret, is neque in culpa est, neque

(1) Illustre hujus agendi rationis praebuerunt exemplum milites christiani sub Juliano apostata, qui licet scirent facile futuros se totidem victimas superstitionis hujus imperatoris, si victor e Perside rediisset, attamen fortiter alacriterque pugnabant adversus imperii hostes.

(2) Part. 1, n. 367.

propterea poenae obnoxius; Deus enim impossibilia non jubet. Hinc theologi docent infidelitatem negativam non esse peccatum (1).

308. Ad 5. *D.* Quam veram putat invincibiliter, *C.* vincibiliter *N.* Quare rursum negamus Baylii sequelam: *ergo in omnibus religionibus Deus aeque coli potest*; alioquin sequeretur Deum aeque coli sive ab iis qui humano sanguine et obscoenis ritibus falsa numina colunt, sive ab iis qui legitimum cultum vero Deo exhibent, quod tamen adeo horrendum dictu est, ut ipsorum incredulorum aures offendat.

309. III. Obj. 1. Quilibet videtur admittere religiones omnes veras esse hoc sensu, quod ipsae sint totidem idiomata quibus creatura infirma exprimit obsequium, gratum animum et amorem suum erga dominatorem universi. Quaecumque demum sit ipsius ignorantia vel barbaries, quicumque sint errores, quibus illius mens obvolvitur, ipsius obsequium semper ad Deum dirigitur, semper Deus totius universi ille est, qui illud recipit, quocumque nomine id ipsi offeratur. Gentes silvestres ac barbarae agnoscunt actionem Dei in fulgure, quod iram et minas patefacit, benevolentiam in pluvia quae campos foecundat, providentiam in febri quae vires debilitat, atque in cortice peruana medicinali quae eas restituit. Quaerunt hunc Deum, ac putant se eum invenisse in tuguriolis suis, vel intra proximam silvam; saepe in saxo informi, in arboris trunco, in ave arbitrantur se eum invenisse. Stolide profecto ipsae decipiuntur; attamen dum ad haec objecta convertunt preces, ens invisibile mente revolvunt, vel ens cujus actio est invisibilis, magis potens quam homo, quod remuneratur vel punit, ejusque protectionem implorant. Sed hoc *Esse* solum in mundo est. Ita quidem Sismondi (2). Cui conso-

(1) Recolantur quae superius allata sunt ex propositionum Baji proscriptione, s. Augustino, etc.

(2) In *Revue encyclopédique*, Pa-

nat Benjaminus Constant dicens: 2. *Omnes cultus diversi exprimere non debent nisi sensum omnibus communem* (1); ergo.

310. Resp. ad 1. *D.* Si invincibiliter ignorent, quali obsequio Deum honorare debeant, *C.* si Deus manifestaverit modum, quo velit honorari, illisque innotescat *N.* Certe si Deus non manifestasset voluntatem suam circa modum, quo coli ab hominibus velit, quacumque demum ratione homo exprimat venerationem suam et obsequium creatori, dummodo cum recta ratione non pugnet, recte fungitur munere suo. Ast si homini innotescat hic modus quem Deus praescripserit, jam ipse non potest pro lubito suo Deum colere; alioquin fieret inobedientiae reus. Quare jam concidit tota superstructa moles illius argumenti, seu potius poeticae descriptionis quam subdit genevensis hic auctor. Silvestris enim ac rudis ille homo quem sibi fingit quaerentem Deum suum in tugurio vel silva, etc., est *Esse*, ut ita dicam, abstractum, ac difficile est, imo impossibile ut, si ejusmodi homo ceterorum utitur consuetudine, non possit deprehendere errorem suum, vel ut lux saltem aliqua ei identidem interius non affulgeat, Deum creatorem universi non esse vel truncum vel saxum, ac si sincera mente, et prout oportet, Deum quaerit, Deus certo praesto illi erit, interna saltem illustratione, ad eum erudiendum, ne in tam turpem idololatriam corruat. Hinc receptum illud adagium in scholis: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Quare tam rudis ignorantia quae invincibilis sit, vel non datur, vel diuturna saltem non erit. Hinc diversum tulit judicium apostolus Paulus circa ritum seu cultum idololatricum, eosque qui *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum*

ris 1826, Janv. art. *Opinions religieuses.*

(1) *De la religion*, etc. lib. 1.

et serpentum (1). Nec sufficit ut cultus interpretative, ut aiunt, referatur in Deum unicum et verum, nisi id ex ignorantia inculpabili fiat, si tamen dari posset; sed requiritur, ut aperte atque, ut loquuntur scholae, *formaliter* in verum Deum dirigatur; alias vel ipsa turpissima idololatria quae victimarum sanguine vel obscoenis ritibus sordescit, in Deum dirigeretur, eumque coleret ac honoraret.

311. Ad 2. *D.* Diversitate accidentali et innocua, *C.* essentiali ac perniciosa *N.* Omnia ejusmodi systemata a protestantibus vel incredulis excogitata evanescunt, si lenocinio verborum quibus concinnata sunt, expolientur.

312. I. Inst. 1. Christianus sibi conscius suae fallibilitatis nunquam vi adiget ceteros ad sua propria sensa admittenda; id enim non aliud esse arbitraretur, nisi ipsos in aeternas poenas conjicere; nonnisi invito animo poterit a sua communione eos repellere qui, eodem fatente, forsan melius et rectius, quam ipse, sentiunt, quosque forte Jesus ipsi praefert. Semper reverebitur sentiendi rationem fratrum suorum, nunquam eos ut haereticos habebit, nunquam odio prosequetur, nunquam ob ipsorum fidem rejiciet. Ita minister Chastel; qui praeterea refert 2. ecclesiam genevensem declarasse, vere Christianos esse eos omnes, qui admittunt Deum, Jesum Christum et Scripturas (2); hinc 3. subdit: Omnes reformati, quicunque demum sit modus, quo interpretantur Scripturas, debent se considerare ut fratres, repellere a se anathemata, schismata, controversias, ac se invicem in Christo ut fratres diligere ac revereri. 4. Quod attinet ad catholicos, si nos eos a communione nostra arcemus, non propter ipsorum dogmata vel ritus id facimus, sed tum propter spiritum intolerantiae, quam profitetur ipsorum

(1) Rom. 1, 23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν.

(2) Op. cit. *De l'usage des confessions*, etc. pag. 81 et pag. 106.

ecclesia, tum propter eorum dependentiam ab auctoritate humana, etc. (1); ergo.

313. Resp. ad 1. *D.* Christianus protestans, *C.* catholicus *N.* Certe nullum jus habet protestans, si velit sibi esse consentiens ac fidelis principio reformationis, ceteros erroris accusare, vel repellere, vel anathematizare, fidei confessionem exigere, etc.; cum omnes et singuli protestantes eodem jure gaudeant, quibus *quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.* Quod si secus fecerunt eorum majores, violarunt ejusmodi jus, prout violavit omnium primus Calvinus dignus eorum parens, dum igni damnavit Servetum, eo quod hoc jure uti voluerit, licet admiserit et ipse Deum, Jesum Christum et Scripturas, ac proinde verus esset christianus juxta declarationem ecclesiae genevensis; quod pessimum exemplum ceteri reformati sequuti sunt usque ad hanc epocham, in qua primum totum systema protestantismi ejusque spiritum agnoverunt. Ipsis propterea gratulari debemus. Ast catholicus, qui ab auctoritate infallibili instituitur, ejusmodi commixtiones ac foedera quae erroris tantum propria sunt, nec facere nec inire potest, alioquin jam non catholicus.

314. Ad 2. Quae ecclesia genevensis rursum jure suo usa est in hac declaratione, et emendavit suos emendatores; non longe abest forsitan illud tempus, quo eadem ecclesia declarabit Christianos eos etiam qui rejiciunt Scripturas, prout plures jam reformati faciunt, ut ex dictis suo loco patet. Islamitae ex declaratione ecclesiae genevensis veri Christiani sunt; nam et ipsi admittunt Deum, Jesum Christum (ut magnum prophetam sicuti ecclesia genevensis) et, ex parte saltem, Scripturas. Mirum profecto in modum per hanc declarationem suos ecclesia genevensis terminos dilatavit.

(1) Ibid.

315. Ad 3. Concedimus totum, sed interea petimus a ministro Chastel, num suis irenicis, quo nomine volunt appellari, congruere possint quae haereticis sui temporis scribebat Tertullianus? *Pacem quoque*, ait ipse, *cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis impugnationem conspirent* (1); *schisma est unitas ipsis* (2). Adeo verum est haereticos seu protestantes omnium saeculorum eodem spiritu duci!

316. Ad 4. *D.* Attamen propterea catholici non conqueruntur, *C.* quasi conquerentur *N.* Non debet adversarius noster cum sua ecclesia genevensi sollicitus esse de catholicorum sensu propter ejusmodi communionis denegationem; nam eam catholici nec quaerunt nec ambiunt, atque utpote intolerantes etiam ultro oblatam respuerent, ut humanae, quam ipse vocat, auctoritati subesse pergant.

317. II. Inst. 1. Ast religio non est dogma; ipsa consistit in relatione hominis cum Deo suo, minime vero in illa Dei notione quam sibi quisque efformat, vel in verbis quibus eam exprimit. 2. Religio est quaedam animi affectio (italice: un sentimento), non autem scientia; ipsa enascitur ab expressione amoris (3); ergo.

318. Resp. ad 1. *D.* Ita tamen ut dogmata credenda proponat, *C.* secus *N.* Religio utique in se non est nisi moralis virtus quae hominem inclinat ad Deum debito cultu prosequendum, at objectum istius cultus sunt etiam dogmata quae Deus revelavit ac credenda proposuit. Qui enim renuit fidem Deo revelanti ac per ecclesiam revelationem proponenti adhibere, iste Deum profecto, ut decet, nulla ratione colit. Atque in hac fide praecipue consistit tanquam in sua radice ac fundamento tota relatio, quam homo habet cum Deo suo qui veram sui no-

(1) *De praescriptionibus*, cap. 41.
(2) Ibid. cap. 42.
(3) Sismondi loc. cit.

tionem homini manifestavit, et ut plurimum verba quibus eam exprimat.

319. Ad 2. *N.* Haec siquidem animi affectio non est nisi fructus et effectus quem religio producit, non autem religio ipsa est. Notiones rerum confundi non debent, alioquin orietur confusio. Sic expressio amoris non est nisi affectus quem inspirat ipsa religio non vero ab ipsa enascitur religio, quae absolute stare potest absque ejusmodi expressione.

320. IV. Obj. Deus ipse commendat tolerantiam religiosam; 1. Deus enim, inquit Salvador (1), creare voluit coelum ac terram in bonum omnium hominum. 2. Foedus inivit cum Noe cunctorum hominum parente. 3. Moyses neque allexit neque impulit unquam socerum suum ad relinquendos deos suos. 4. Bona Noemi dicebat nuribus suis: *Ite, revertimini ad populum vestrum, et ad Deos vestros* (Ruth. I, 12). 5. Legati Jephte loquuntur non sine veneratione de Kamos Ammonitarum Deo (Jud. XI, 24). 6. Michaeas progressus est eo usque, ut ratione formali ac positiva praenunciaverit tempora tolerantiae generalis: *Concident* (populi) *gladios suos in vomeres . . . non sumet gens adversus gentem gladium . . . quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine* (Johovah) *Dei nostri in aeternum et ultra.* Cfr Isaiae II, 4; ergo.

321. Resp. *N. A.* Ad 1. *D.* in bonum omnium hominum creare voluit coelum et terram, ut omnes homines, tantis beneficiis per eum cumulati, eum colerent ac digno obsequio et amore prosequerentur, *C.* ut sic ostenderet sibi placere tolerantiam religiosam, id est, omnium superstitionum foedissimarum cultum, eumque probare, *N.* Quis enim tam stultum nefas in animum indu-

(1) *Histoire des institutions de Moïse*, pag. 120.

cat suum nisi atheus? Si quid valeret hoc argumentum sive inductio judaei philosophi Salvador, id etiam sequeretur, quod nempe Deo placerent homicidia, furta, blasphemiae, flagitiaque omnia, in quae homines scelesti facile adeo prolabuntur; cum et pro ipsis creaverit Deus coelum et terram, et *pluere faciat super justos et injustos*. Attamen adversarius noster id etiam prae oculis habeat, Deum nempe creasse pariter paradisum et infernum, ut pro meritis post praesentem vitam decernat unicuique vel praemia vel poenas. Deus quidem vult ex animo omnes homines salvos fieri, atque *ad agnitionem veritatis* venire. Quod si homines desciscunt, si malunt cupiditatibus indulgere, et colere opera manuum suarum, et veri Dei, qui fecit illos, oblivisci, etsi creaverit pro ipsis etiam coelum et terram, aeternum tamen, nisi resipiscant, a Deo punientur.

322. Ad 2. *D.* Quatenus nunquam amplius diluvio esset homines perditurus sicut prius, *C.* ad cohonestandam tolerantiam religiosam *N.* Quin potius ne vera religio oblivioni daretur, vel humanis commentis corrumperetur, elegit sibi Abraham ejusque posteritatem in populum peculiarem, cui commissam voluit revelationem suam, donec veniret plenitudo temporis, in qua gentes ab erroribus revocarentur ad veri Dei cognitionem et amorem, quod suo loco ostendemus (1).

323. Ad 3. *D.* Nunquam allexit neque impulit socerum suum ad relinquendos deos quos non habebat, *C.* quos habebat *N.* Jethro enim erat cultor, imo sacerdos veri Dei cui in deserto obtulit holocausta et hostias, ut patet ex libro Exodi (cap. XVIII, 12). Non poterat proinde Moyses eum impellere ad falsos deos relinquendos. Ceterum quod non impulerit etiam, ut sese cum populo Israel conjungeret, ac proinde profiteretur cultum mo-

(1) In tract. *De incarnatione.*

saïcum, hoc falsum est, ut rursum patet ex libro Numerorum (cap. X, 29-31), ubi et semel et iterum eum invitavit, multa bona ei promittens. Judaïcane an potius philosophica est haec fides integerrimi illius Salvador?

324. Ad 4. *N.* prout profert Salvador. Nunquam enim dixit Noemi: *Ite, revertimini ad populum vestrum et ad* Deos vestros (1); sed solum: *Revertimini filiae meae, et abite*; cum vero discessisset ab ea Orpha, altera ejus nurus, dixit Noemi ad Ruth: *En reversa est cognata tua ad populum suum et ad Deos suos, vade cum ea;* ita ut sensus sit: vade et tu in terram tuam, prout et illa perrexit. Haec autem profata est Noemi, ut interpretes passim exponunt, ad explorandam Ruth constantiam atque animi propositum (2). Quid igitur habetur, quod vel innuat tolerantiam religiosam?

325. Ad 5. *D.* Id est, ad mentem ammonitarum ac moabitarum, *C.* ex mente Jephte qui non credebat nisi in verum Deum, *N.* Ut si nos argueremus adversus islamitam, ac diceremus: Si tuus propheta Mahumetes hoc tibi praescripsit, etc.; numquid hinc sequeretur nos habere Mahumetem ut verum prophetam, vel de eo loqui non sine veneratione? Non puto; talis vero est sensus legatorum Jephte (3).

326. Ad 6. *Neg.* Imo contrarium omnino vaticinatur, sensus enim est: etsi omnes gentes ambulent in vanitate sensus sui, falsos deos vel idola colentes, nos tamen semper ambulamus et ambulabimus in nomine Jehovah Dei nostri. En quomodo verba Michaeae vertat Rosenmüller, quem Salvador interdum in medium profert:

(1) Sic enim Salvador refert verba Noemi: *Allez, retournez à vos peuples et à vos dieux*; jam vero etiamsi recederemus a versione vulgata. hebraica veritas ita se habet שׁוּבְנָה בְנֹתַי לֵכְן ad verbum: *revertimini filiae meae, ite* ... nec additur; *ad Deos vestros.*

(2) Ita exponunt non solum interpretes catholici a Lapide, Tirinus, Calmet, etc. sed ipsi protestantes, ut videre est in *Criticis sacris*, ad hunc locum.

(3) Ita pariter hunc textum exponunt citati interpretes.

Nam omnes populi ambulant in nomine Dei sui, nos vero ambulamus in nomine Jehovah, Dei nostri in perpetuum et aeternum (1), qui praeterea sic pergit exponere sensum prophetae: *Id est, quum Jehovah vobis spem faciat tam praeclarae restitutionis, oportet vos bono animo stare, et hac promissione fretos pergere in vero ejus cultu, utcunque aliae gentes suis diis serviant, et in suis superstitionibus superbiant.* Consonat Chaldaeus Paraphrastes, qui sic reddit citatum versum: *Etenim omnes populi ambulant juxta id quod idola colunt, nos vero confidimus in verbo Jehovah, Dei nostri, in saeculum et in saecula saeculorum* (2). Haec ignorare non poterat judaeus auctor. Ubi est igitur formalis illa, imo *formalissima*, ut ipse loquitur, et positiva praedictio futurae alicujus tolerantiae generalis (3)? Quare vero idem auctor proferat Isaïam II, 4, non video, cum ibi nec syllaba nec jota habeatur ad rem suam.

327. Inst. Intolerantia civilis nullo modo distingui potest ab intolerantia religiosa; duae enim hae intolerantiae sunt prorsus indivisibiles; impossibile siquidem est pacifice vivere cum iis, qui tanquam inimici Dei habentur (4); ergo.

328. Resp. *N. A.* quoad omnes partes. Non solum enim distingui possunt duae istae intolerantiae, sed distingui omnino debent, ut distinguuntur et differunt inter se objectum temporale et spirituale. Regis enim seu magistratus qualiscumque est poenas in delinquentes contra incolumitatem reipublicae decernere, vel eas inflige-

(1) In hunc locum.

(2) Ibid.

(3) En verba auctoris: « Il va jusqu'à prophétiser de la manière la *plus formelle* et la *plus positive* les temps de la tolérance générale: un jour tous les peuples cesseront de combattre, et prendront plaisir à la paix; chacun marchera en invoquant le nom de son Dieu, Israël toujours le nom de Jehovah ». Perfrictae frontis sunt ii, qui fidem omnem abjecerunt.

(4) Ita J. J. Rousseau, *Emile*, liv. IV, tom. III.

re. Religionis est declarare eos, qui culpabiliter falsitatem vel errorem sectantur extra viam salutis esse, et eos interea non solum pati, sed amare, iis benefacere, atque omnimode eorum salutem procurare ad exemplum Christi et apostolorum, qui non solum pacifice vixerunt cum iis, qui pervicaces in suis erroribus erant, sed omni beneficentiae argumento eos prosequuti sunt, ut eos sibi conciliarent; eo magis, quod nos semper lateat, an non futurum sit ut ipsi aliquando revertantur ad veritatem ac resipiscant. Quamdiu vivunt, juvat spem aliquam alere de eorum conversione, quae non raro felicem habuit exitum.

CONCLUSIO

329. Ex iis, quae hucusque disseruimus, pronum est colligere totum christianae religionis systema in auctoritate fundari. Deus enim ita disposuit, ut homo, qui limitibus circumscriptus est, ac errori obnoxius, rationem suam subjiceret ipsius auctoritati ; quare non contentus revelare veritates, quae intra rationis ac naturae fines continentur , revelavit praeterea veritates , quae humanae mentis aciem atque obtutum superant, ut homo disceret munus sibi incumbere subjiciendi propriam rationem in iis, quae ad fidem ac religionem pertinent, atque Deum statuisse mundum salvare per fidem.

330. Donec veniret plenitudo temporis, extraordinaria providentia, ut vidimus, ipsemet prospexit révelationis suae incolumitati atque integritati (1). Ac cum misit Filium suum ad homines retrahendos ab illis ignorantiae tenebris , quibus ipsi sua culpa obvolvebantur , utpote obliti, magna saltem ex parte, illarum veritatum quas jamdiu Deus ipsis patefecerat, atque ad dandam illis pleniorem sui cognitionem, constituit, ut haberetur magis-

(1) Prout fatetur ipse Limborchius, etsi socinianus, in sua *Amica collatione cum erudito Judaeo* , nempe Orobio. Cum enim Orobius in tertio scripto objecisset : « Nunquam tot difficultatibus, dubiis et variis intelligentiis obnoxium fuisse verbum Dei quam sub evangelio; in ecclesia Israëlis nullas enatas sectas, nisi jam depravato saeculo , et de rebus ad legis essentiam non pertinentibus »; respondet Limborchius ad istud secundum punctum : « Quod ecclesia israëlitica in principio variis opinionibus agitata non fuerit, causa fuit crebra prophetarum, qui spiritu divino commovebantur, frequentia, quorum auctoritatem omnes excipere tenebantur » (cap. IV. resp. ad tertium Judaei scriptum). Ergo, colligo, auctoritas et quidem divina necessaria est ad unitatem servandam, alioquin hominum ingenia dilabuuntur. Quoad dissensiones enatas post evangelium, facile fuisset catholico respondere, ipsas non ex evangelio ipso emersisse sed ex privatorum perduellione ab illa auctoritate, quae divinitus constituta est ab ipso evangelii auctore , nempe ecclesia catholica. At sociniano homini alia via ineunda erat, quae satisfacere expostulationi Judaei nullo modo potest , ut legenti ejusmodi effugia , quae hic habet Limborchius, patet; neque melius, ut supra monuimus, huic ipsi difficultati occurrit Grotius protestans.

*

terium juge, infallibile, visibile, atque perpetuum, quo tuto dirigerentur in salutis via; neque a veritatis tramite, ut antea, aberrarent. Hoc vero magisterium posuit in ecclesia, quam Christus fundavit, eam sibi acquirendo sanguine suo, ac praecise in pastorum coetu sub regimine unius capitis visibilis, quod in totum corpus influeret, quodque fundamentum totius aedificii ecclesiae suae esse voluit. Constituit, ut huic ecclesiae omnes subjicerentur, nisi velint haberi tanquam ethnici et publicani, id est extorres ab hoc individuo corpore seu societate a se constituta, ac rei criminis perduellionis, ideoque aeternae damnationis.

331. Huic ecclesiae revelationis depositum consignavit; mandavitque, ut ipsa in nomine suo praedicaret evangelium omni creaturae, id est in omni loco et omni tempore, adsistentiam suam promittens, ne unquam in hoc ministerio vel deficeret vel erraret. Voluit ut pignus adsistentiae suae praeseferret miracula, vaticinia, aliaque charismatum dona, nec non foecunditatem, non solum in filiis gignendis, sed provehendis usque ad plenam sanctitatem.

332. Haec autem ecclesia, quae coepit in Petro et in apostolis, continua et nunquam interrupta successione, velut persona moralis semper jugiterque perseveravit, ac plena vita praedita usque ad nos, prout ex divinis promissis semper jugiterque una et individua perseverabit usque ad consummationem saeculi, ambiens omnia loca et omnia tempora, semper praeseferens divinae adsistentiae pignora et argumenta. Restitit enim firma et invincibilis adversus sibi praenunciatas inferni machinationes, tum externas ex parte ethnicorum seu infidelium, tum internas ex perduellione filiorum suorum. Sibi sufficiens, seu potius divino praesidio ac divinis pollicitationibus innixa, independens omnino est ab hominum sive favore sive furore; humanos favores spectat ut media, persecutiones

et iram ut probationes, sed nec illis innititur, nec istas formidat, et saecula trajicit novis semper triumphis clara, uberes sanctitatis fructus producens, homines nempe tum omnibus virtutibus tum charismatum donis insignes in testimonium divinae originis suae, ac novos semper filios in coelum transmittens, usque dum et ipsa, non habens neque rugam neque maculam, cum completus fuerit electorum numerus, regnabit in perpetuas aeternitates.

333. At sicut Deus voluit unitatem ecclesiae suae constitutam esse in principio auctoritatis, e converso sectae ab hac auctoritate divinitus constituta, desciscentes, ut ductum spiritus privati seu rationis, ut vocant, individualis, sectarentur, oppositum ecclesiae magisterio principium dissolutionis ac divisionis substituerunt. Quo principio semel posito, factum est, ut nunquam illae inter se unitatem doctrinae conservare potuerint, atque, ut consequens erat, nunquam sibi constantes nisi in sola mobilitate, de novitate in novitatem, de errore in errorem prolapsae sint; novas semper confessiones edentes, ac in frustula comminutae, donec consummerentur atque perirent, ut sal in aqua dissolvitur. Ita veteribus sectis accidit, ita novis, quae desierunt in naturalismum seu rationalismum, ultimum, juxta Leibnitzium, haereseos genus (1). Quod

(1) Non me fugit Ephemeridem evangelicam ecclesiasticam (mens. Janua. 1830, n. 5, 6) vehementissime insurrexisse contra rationalismum, ac contra doctores Gesenium et Wegscheider, professores theologiae Hallae. Censura autem adeo fuit virulenta, ut non solum commoverit horum professorum auditores, sed compulerit facultatem theologicam ad invocandam ministerii protectionem adversus impugnationes aemulae Berolinensis Universitatis (vid. *Appendix extraord. Ephemer. univers.* n. 26, 1830). At quis non videt hanc agendi rationem destruere principium et essentiam reformationis? Si enim, ut toties dictum est, essentia reformationis consistit, ipsis fatentibus, in plena examinis libertate atque in plena independentia spiritus privati a qualibet auctoritate, quo jure Berolinenses excandescere possunt adversus rationalistas, si isti corollaria deduxerunt ex principio et essentia reformationis? Si ipsis persuasum est, se in scriptura non invenire nisi purum rationalismum, quo jure id illis objicitur, quod reformatores sibi arrogarunt? Adeo verum est nullum dari medium inter catholicismum et rationalismum sive deismum. Quilibet enim apud protestantes potest respondere: *Quis nostrum judices vos constituit?*

si interdum atque ad tempus consistere visa est inter haereticos protestantes antiquiores et modernos aliqua unitatis species, id factum non est, nisi quia ipsi non fuerunt consentientes suo proprio principio, substituentes, sive aperte, sive occulte, propriam auctoritatem auctoritati ecclesiae catholicae, quam deseruerunt. Sublata enim auctoritate, necesse est ut auferatur unitas, imo unitatis principium ac proinde ecclesia ipsa, quia sublata auctoritate non remanet nisi individualis libertas, individuus cujusque sensus; et vinculum disrumpitur, quo simul ejusmodi membra secum cohaereant, adeo ut sectae non sint nisi aggregatio turbarum, seu etiam individuorum, quorum alterum nihil habet cum altero commune, nisi principium dissolutionis ac divisionis, seu unitatem negativam, id est, privationem essentialem cujuscumque compaginis atque unitatis.

334. Neque huic auctoritatis ecclesiae catholicae defectui supplet auctoritas scripturae, ut protestantes reponunt; nam praeterquam quod ipsis constare non potest de numero, de integritate, de divina inspiratione sacrorum librorum ac singularum eorum partium nisi ex testimonio et auctoritate ecclesiae catholicae, a qua, ut ipsi loquuntur, se tandem in libertatem vindicarunt (1), ac proinde cum integrum unicuique sit, ex principio examinis spiritus privati, eos admittere vel rejicere, ut factum ostendimus a protestantibus recentioribus, quemadmodum semper factum est a protestantibus antiquis (2), illud ipsi constituunt tanquam remedium, quod semper fuit omnis mali origo. *Neque enim*, ut praeclare jam observaverat s. Augustinus (3), *natae sunt haereses, et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profun-*

(1) Nempe sicut filius prodigus se emancipavit ab auctoritate paterna.

(2) Nempe ebionitis, cerinthianis, marcionitis, manichaeis, etc. qui et ipsi rejecerunt eos libros, quos ipsis rejicere placuit.

(3) Tract. XVIII, in Joan. tom. III, p. 440, edit. Maur.

dum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Adeo ut nulla unquam fuerit haereticorum secta, quae non inniteretur alicui scripturarum auctoritati (1).

335. Interea Deus ordinatissima providentia sua permisit, ut haereses et sectae orirentur, viventibus adhuc apostolis ipsis, ut ex ipsorum agendi ratione adversus ejusmodi novatores protestantes, compertum esset toti posteritati seu subsequentibus saeculis, tum quaenam esset haereseon origo, tum ratio, qua ecclesia se gerere deberet cum haereticis seu protestantibus orituris; ut hos nempe expelleret e sinu suo, et fideles praemuniret adversus eorum conatus ac subdolas versutasque artes; tum demum ipsis, nisi resipuerint, sempiterno exitio certo addicendos denunciaret, nullum interponens discrimen inter haereses et haereses, haereticos et haereticos. Quandocumque enim quis reus est protestantismi, seu protestationis adversus ecclesiam, quam Christus instituit depositariam perpetuam revelationis, magistram et interpretem, seu, ut loquitur Paulus, *columnam et firmamentum veritatis* (I Tim. 5), certissime ejusmodi poenam incurret.

336. Non exiguum tamen emolumentum cepit, aut capit ecclesia catholica ex ejusmodi semper sibi succedentibus haeresibus et sectis, ipsarumque perpetua mobilitate, ortu et interitu. Ac 1. quidem ex occasione exorientium errorum diligentius inquirit in fidem suam, explicate et luculentius evolvit veram doctrinam, ut inde magis appareat pulchritudo totius catholici systematis, et nexus intimus omnium veritatum, quas profitetur, ut reipsa semper factum est, quoties quilibet novator aliquam veritatem impugnavit. 2. Ut ex perpetuo conflictu, quem sustinere debet ex parte haereticorum, vigilet semper,

(1) Cons. Vinc. Lirin. *Commonitorium* n. 45 et seqq.

firmioremque quodammodo auctoritatem nanciscatur. Etenim prout justi ex malorum insectatione probantur, ac magis eorum virtus nitet, sic ecclesia, quae est, ut saepe diximus, moralis persona, ex sectarum machinationibus, malis artibus, calumniis, imo saepe ferro et igne, pulchrior semper ac nitentior splendet. 3. Ut omnibus planum compertumque sit, ecclesiae stabilitatem ac firmitatem non aliunde quam a Deo ipso ejusque promissis esse repetendam, dum opera hominum continuo diffluunt ac dissolvuntur. 4. Ut ex sterilitate haereticorum omnes discant jugem ecclesiae catholicae foecunditatem Deo soli acceptam esse referendam, non autem humanae cuivis industriae vel hominum conatibus, quia: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam*; et: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. III, 7). 5. Ut discant omnes, fidem donum Dei gratuitum esse, neque scientia comparari posse, neque humana industria, quibus virtutibus certe pollent plures inter sectarios, nec quempiam de se debere praesumere, et: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (I Cor. X, 12); quum Deus de se praesumentes dimiserit in desideria cordis eorum ac *dicentes se esse sapientes, stulti facti sint, et Deus errare eos fecerit quasi ebrios*; adeo ut vix sit errorum monstrum sive theoreticum sive practicum, in quod plus minus ejusmodi sapientes non inciderint, et vix sit contradictio, in quam ipsi turpiter non sint prolapsi; sic neminem aliter posse in fide perseverare nisi humilitate et oratione, prout nemo ad veram fidem nisi humilitate et oratione accedere potest: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. IV, 6). Neque mirum cuiquam videri debet tantam hominum multitudinem in haeresi vel schismate versari, dummodo is secum animo reputet, ante adventum Christi, Deum dimisisse omnes gentes ingredi vias

suas, una excepta hebraica natione; post Christum vero, vocatas quidem fuisse gentes ad fidem, ast judaicum populum in coecitatem ac mentis stuporem incidisse (1).

337. Cum igitur ex dictis duplex tantum sit ad veritatem via, *ratio* videlicet et *auctoritas*, omnes de religione controversiae ad hunc cardinem, ut ita dicam, revocantur: utrum videlicet in religionis negotio auctoritas rationi, an contra ratio auctoritati sit praeferenda; vel clarius etiam, utrum per viam disquisitionis et examinis, instituendi per privatum uniuscujusque spiritum, seposita omni auctoritate, an vero per viam fidei ac submissionis publicae ac legitimae auctoritati in religionis negotio sit incedendum; vel etiam ulterius: utrum standum sit auctoritati ecclesiae catholicae, an vero, ista posthabita, unicuique liberum relinquendum sit Scripturas privato sensu admittere et interpretari, ac cudere sibi religionem, prout magis minusve quidpiam probabile videatur (2).

(1) Vincentius Lirinensis internos haereticorum tumultus cruciatusque graphice describit in suo *Commonitorio*, cap. 15, dicens: « Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum aestibus, quantis turbinibus exagitantur! Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tanquam contrarii fluctus, reliduntur; nunc temeritatis praesumptione, et ea, quae incerta videntur, adprobant; nunc irrationali metu etiam, quae certa sunt, expavescunt; incerti, qua eant, qua redeant, quid adpetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quae quidem dubii et male penduli cordis afflictio divinae erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicae fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur ac pene enecantur procellis, ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quae male novitatum ventis expanderant, seseque intra fidissimam stationem placidae ac bonae matris reducant et teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivae et salientis aquae fluenta potare. Dediscant bene quod didicerant non bene; et ex toto Ecclesiae dogmate, quod intellectu capi potest, capiant, quod non potest, credant.

(2) Sane in Ephemeride protest. (*Le Globe*) n. 137, aperte scribitur: « Notre siècle doute, et, dans le doute, sa religion *c'est sa liberté*, parce que c'est le seul dogme, qui permet à chacun de suivre ce qui lui plait aujourd'hui, de le rejeter demain. Le caractère de ce siècle est de ne pas avoir une religion, mais d'en avoir mille, mais d'en avoir presqu'autant qu'il y a de familles dans chaque nation ». Potuisset insuper adjicere *quot sunt individua in qualibet familia*. Hic graphice describitur systema protestantismi, quod consistit in nulla habenda religione, nulla fide, sed in profitendo purum dubium, prout suo loco monuimus.

Dixi ecclesiae catholicae auctoritati ; nam si systema seu via auctoritatis admittitur , nullum dubium esse potest aliis quibuscumque eam ecclesiam praevalere auctoritatis pondere , quae omnes certo vincit sive antiquitate , sive universalitate , sive unitate et consensione , imo nulla est , quae cum ipsa comparari possit.

338. Jam vero non potest admitti via sensus privati , quin incidamus in illa omnia absurda , quae recensuimus , quaeque eo tandem homines deducunt , ut omnem fidem amittant , incidantque in perfectum scepticismum religiosum , adeo ut nemo sciat quid tenere , quid respuere debeat , sed majori tantum aut minori probabilitate quadam permoveatur. Unde fieret , ut disputare liceret de religione eodem fere modo ac olim disputabatur inter philosophos ; religio vero non esset nisi systema philosophicum , sectae autem totidem academiae , vel scholae philosophicae , in quibus liberum est id tenere ac sectari , quod bonum unicuique videtur. Quis autem sobrius sibi persuadere poterit Deum sic dedisse revelationem suam , ut ejus existentia et sensus permitteretur hominum disputationibus , et omnia incerta , omnia confusa essent , ac religio desineret in pyrrhonismum vel philosophicam quaestionem (1) ? In hoc systemate protestans

(1) En quomodo ab alio folio protestantico progressus protestantismi describitur : « C'est au seizième siècle que la première fois , dans la série des événements qui nous intéressent, on voit la liberté de conscience ouvertement et nettement érigée en principe ; mais d'abord ce n'est point cette liberté illimitée qu'on a réclamée depuis , c'est seulement la faculté de croire , sur un certain nombre de points déterminés , autrement que l'Eglise catholique. A mesure qu' on se succédant , les sectes , qui s'élèvent du sein de l'Église , prétendent s'éloigner davantage de sa doctrine , elles reculent aussi théoriquement les bornes de cette faculté qu'elles s'attribuent par le fait. *Les Écritures sacrées* avaient été d'abord le champ, où il paraissait convenu que la liberté de conscience devait se renfermer; bientôt cette limite est franchie ; *la religion* par quelques hommes est réduite , dans son dogme , à une simple conception de la raison et du sentiment , et dans son culte à une pure relation métaphysique de l'homme à son Créateur ; enfin les idées fondamentales de toute institution ou croyance religieuse sont elles-mêmes attaquées , et c'est a l'abri du principe de la liberté de conscience , toujours de plus en plus étendue , que ces di-

sive haereticus, divulsus ab ecclesia universa omnium saeculorum, quaeque hactenus perdurat, segregatus a consortio eorum etiam, qui ecclesiam deseruerunt, cum quisque habeat ex principio protestantismi religionem suam individualem, et sibi a se cusam, solus est, velut insula sive scopulus, in medio mari procellis fluctibusque undique percussus. Quam vero spem, quodve solatium capere potest ex religione sua? Quid si erret? Quod judicium sibi polliceri poterit a Christo Domino post mortem? Omnia plane in hoc systemate horrorem ingerunt, ac plena omnia formidine sunt. Contra vero catholicus, in systemate seu principio auctoritatis securus vivit; ipse communicat cum ecclesia omnium saeculorum et locorum omnium; consortio fruitur apostolorum, martyrum, sanctorum omnium aetatum; nullum unquam poterit ob religionis suae professionem periculum subire, nisi (quod absurdum omnino est) universa catholica ecclesia locum periculis daret; se ipse spectat veluti membrum magnae familiae, cujus caput invisibile Christus est, qui imaginem sui reliquit in Petro ejusque successoribus vicariis suis, in qua omnia bona communia sunt, universalis quidam amor omnia regit, in qua omnia sapientissima providentia a Christo ad nos usque perseverant, omnes eidem mensae eucharisticae assident; et si quae humana fragilitate maculae contrahuntur, per humilem culparum confessionem, in qua ex integra animi sui manifestatione magnum quisque a parente omnium amantissimo per-

vers degrés d'incrédulité se produisent tour à tour et essaient de se faire recevoir » (*Producteur*; n. 9, pag. 408). Hoc ipsum, jam a quinto Ecclesiae saeculo, rursum praeviderat et praenunciaverat, in suo admirabili *Commonitorio*, cap. XXXI, Vincentius Lirinensis: « Nam si semel admissa fuerit, *inquit*, haec impia fraudis licentia, horreo dicere quantum exscidendae atque abolendae religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?

cipit solatium. Nunquam solus catholicus est, nec vivens nec moriens, sed sicut unus Dominus, ita una fides, unum baptisma, unum corpus et unus spiritus, sicut vocatus est in una spe vocationis suae. Quin imo nec deseritur post mortem; pergit enim communicare cum ecclesia sua, sive militante, cujus suffragiis juvatur, sive triumphante, quae manus ad ipsum tendit et ad se eum invitat.

339. Itaque vel nulla religio, vel sola religio catholica. Nullum datur medium; vel si medium datur, est medium incohaerentiae. Quia si Deus est, si divina providentia sua cuncta gubernat, per nexum quemdam validamque ipsius rationis vim ad catholicam professionem tandem deveniri debet.

340. Placet haec omnia testimonio et auctoritate magni Augustini roborare et confirmare, qui non minus vere quam eleganter velut compendium exhibet eorum omnium, quae hactenus fuse a nobis, in utraque hujus tractatus parte, discussa sunt atque exposita.

341. *Si Dei providentia*, scribit ipse, *non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior, nescio quae conscientia Deum quaerendum, Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes adtollamur in Deum. Haec autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut saepe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine ... miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet, in quo genere nihil est populis aptius, et omnino stultis hominibus, quam id quod*

sensibus admovetur. Sed rursus haec in duo dividuntur; quaedam enim sunt, quae solam faciunt admirationem, quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi praeter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suae, sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, caecis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt; ita quaedam corpori manifestiori beneficio, quaedam vero menti occultiori signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant; sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista modo non fiunt? Quia non moverent nisi mira essent. Nam diei et noctis vices et constantissimum ordinem rerum caelestium ... decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo loqui possimus, hebescit obruiturque miraculis; nos vero haec omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim his causis obscurius? sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut, his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas. Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quae in his prava sunt, quod fere superantibus libidinibus evenit, improbare citius et detestari quam deserere aut mutare

possimus. Parum ne consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus adtingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et praedicat? Quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies continuata jejunia, quod castitas usque ad conjugis prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci haec faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt; sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi; populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est divina providentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum praedicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate, miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sa-

pientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare? Quamobrem si quid te vel ratio vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credo, curam tui geris; velim me audias, et bonis praeceptoribus catholicae christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici caritate committas; Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et justitia poenas luimus, et clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque praecepta et disputationes doctissimorum hominum et vere christianorum, neque libri, neque serenae ipsae cogitationes defuerint, quibus facile quod quaeris invenias (1).

(1) Lib. *De utilitate credendi*, capp. 16, 17, 18, tom. VIII, opp. edit. Maur.

FINIS.

INDEX

		pag.
TYPOGRAPHUS LECTORI		V
LECTORI BENEVOLO		VII
PROLEGOMENA		XI

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE

PARS PRIOR ADVERSUS INCREDULOS 1

CAPUT I.	De divinae revelationis possibilitate	3
PROP. I.	*Possibilis est divina revelatio immediata*	4
	Difficultates	5
PROP. II.	*Possibilis est divina revelatio mediata*	7
	Difficultates	8
PROP. III.	*Possibilis est revelatio illarum veritatum, quae mentis nostrae captum excedunt, seu est possibilis mysteriorum revelatio*	10
	Difficultates	11
CAPUT II.	De revelationis necessitate	18
PROP. I.	*Ex eo, quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit, jure infertur divinae supernaturalis revelationis necessitas*	21
	Difficultates	24

PROP. II. *Ex eo, quod nulla humana sapientia aut industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursum infertur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas* *pag.* 29
DIFFICULTATES 32
PROP. III. *Cum humana ratio ex se motiva sufficientia non praebeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos, iterum necessitas jure infertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, quae naturali rationis lumine cognosci possunt* 36
DIFFICULTATES 39
CAPUT III. DE NOTIS DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS 45
ARTIC. I. De miraculis 47
PROP. I. *Miracula sunt possibilia* 51
DIFFICULTATES 52
PROP. II. *Miracula certissimam notam exhibent ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem* 57
DIFFICULTATES EX RATIONE 38
DIFFICULTATES EX DAEMONUM EFFICACIA 63
DIFFICULTATES EX HISTORIA 66
DIFFICULTATES EX DEFECTU CERTITUDINIS 72
DIFFICULTATES EX INTIMA HOMINIS VI ET EFFICACIA 79
ARTIC. II. De prophetia 85
§ I. De prophetiae possibilitate 87
PROP. *Prophetia est possibilis* 87

DIFFICULTATES *pag.* 88

§ II. De vi et efficacia prophetiae ad ostendendam divinitatem revelationis 89

PROP. *Prophetia est certissimum divinae ac supernaturalis revelationis argumentum* 90

DIFFICULTATES 91

DIFFICULTATES EX ETHNICORUM VATICINIIS 101

CAPUT IV. DE EXISTENTIA DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS 109

PROP. I. *Christus miraculis et vaticiniis, praesertim vero sua a mortuis resurrectione divinam sui missionem comprobavit, seu divina facta est ac supernaturalis in Novo Testamento per Christum revelatio* 111

DIFFICULTATES ADVERSUS CHRISTI MIRACULA ET VATICINIA 117

DIFFICULTATES CONTRA CHRISTI RESURRECTIONEM 128

PROP. II. *Doctrinae evangelicae excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem invictissime confirmat* 141

DIFFICULTATES 150

PROP. III. *Admirabilis christianae religionis propagatio in omnibus suis adjunctis spectata ineluctabile pariter suppeditat divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum* 172

DIFFICULTATES 175

PROP. IV. *Conservatio Christianae Religionis in omnibus suis adjunctis spectata*

non minus certum divinae ac supernaturalis Christi missionis suppeditat argumentum *pag.* 184
DIFFICULTATES 190
PROP. V. *Christianorum martyrum testimonium, omnibus ejus adjunctis perpensis, validissimum etiam est divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum* 194
DIFFICULTATES 201
Conclusio prioris partis 214

PARS POSTERIOR ADVERSUS HETERODOXOS 220

PROP. I. *Validissimae rationes ostendunt, de via ordinaria divinam revelationem ab auctoritate divinitus instituta atque infallibili custodiri, atque proponi debere* 221
DIFFICULTATES 224
PROP. II. *Sola ecclesia a Christo institutà instructa est hac infallibili auctoritate* 229
DIFFICULTATES 235
PROP. III. *Sola proinde ecclesia est custos et interpres infallibilis divinae revelationis, sive viva voce per traditionem transmissae sive litteris consignatae* 239
DIFFICULTATES 242
PROP. IV. *Ecclesia Christi est una, visibilis atque perpetua* 245
DIFFICULTATES 252
PROP. V. *Hinc sola ecclesia catholica est vera ecclesia Christi* 265

DIFFICULTATES pag. 274

PROP. VI. *Quicumque quovis tempore spiritus privati placita sectando sese opponunt ecclesiae catholicae magisterio, rebelles sunt, sectarii et novatores* 282

DIFFICULTATES 287

PROP. VII. *Quoad eos, qui auctoritatem rejiciunt catholicae ecclesiae, ut spiritus privati placita sectentur, nulla datur vera fides, sed opinio tantum, vel dubium* 294

DIFFICULTATES 303

PROP. VIII. *Haeretici et schismatici declarati extra Christi ecclesiam sunt* 309

DIFFICULTATES 314

PROP. IX. *Protestantismi origo ac variae phases ipsius arguunt falsitatem* 317

DIFFICULTATES 329

PROP. X. *Sterilitas protestantismi in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum* 336

DIFFICULTATES 348

PROP. XI. *Culpabiliter in haeresi vel schismate vel incredulitate ex hac vita decedentibus nulla salus esse potest, seu extra ecclesiam catholicam nulla datur salus* 354

DIFFICULTATES 362

PROP. XII. *Tolerantia religiosa est impia et absurda* 368

DIFFICULTATES 374

Conclusio 387

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
135 in not. (2).	1.	Emmanuel Küster *Characteristik des... seu character* etc.	Küster, *Immanuel oder characteristick*... sive *Emmanuel seu character* etc.
138	16	indueremur	inducremur
214	13	sive ex parte hominis	sive ex parte Dei, sive
236	23	acquiescebant	acquirebant
257 in not.	2	societas	societates
316	24	*facultas*	*facultates*

REIMPRIMATUR

F. D. Buttaoni *Ord. Praed. S. P. A. Mag.*

REIMPRIMATUR

A. Piatti *Patriarcha Antioch. Vicesgerens.*